ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

HISTORIA LIGUSTICA

IN

ROMANAM GOTHICAM LANGOBARDICAM

TRIBUS LIBRIS DISTRIBUTA

Complectens Ejusdem Vices Ab Obitu Sancti Ambrosii
Et Irruptione Ac Dominatu Barbarorum
Usque Ad Finem Schismatis Aquilejensis.

ACCEDIT COROLLARIUM

Usque Ad Theodori II. Mediolanensis Antistitis
Et Liutprandi Regis tempora Productum.

PARS PRIMA

Liber I. et II.



MEDIOLANI. MDCCLXXXXV.

Ex Galeatiorum Typographio.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Novi semper Scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos, credunt. Utcunque erit, juvabit tamen rerum gestarum memoriæ . . . , pro virili parte & me ipsum consuluisse.

TIT. LIV. *Præf.*

10. B°. — 28.

Digitized by Google

MARIAE BEATRICI
ATESTINAE
FERDINANDI
AUSTRIAE ARCHIDUCIS
UXORI
MASSAE DUCI
CARRARIAE PRINCIPI.

Digitized by Google

Digitized by Google



SIquis hoc meum Latini Operis *REGIAE CELSITUDINI TUAE* nuncupandi consilium improbet aut damnet, se ipsum totius

Digitized by Google

litterariae rei expertem & in Italia hospitem fatetur; Atestinam vero Familiam perpetuum omnis litteraturae praesidium & dulce decus, praestantissimorum Virorum ingenia ejusdem Familiae auspiciis ad summum gloriae fastigium evecta, Nomen demum ipsum Tuum tot jam Voluminibus praefixum, prorsus ignorat. Quotquot autem REGIAE CELSITUDINIS TUAE ad omnia factum ingenium, operam Tuam in scientiis ac Linguarum praesertim studiis egregie collocatam norunt atque admirantur; non solum id a me sine assentatione factum intelligent, sed etiam virtuti Tuae jure perquam optimo debitum una voce pronunciabunt. Ex quo enim primùm Aug. Mariae Theresiae nutu, & Serenissimi Avi Tui voto, ad Regium ingenium Tuum studiis Principe dignis erudiendum evocatus ad Te accessi; in primo illo provinciae susceptae aditu statim introspexi ac pene exhorrui praestantiam mentis, & ingenii aciem cum summa ac mirifica sciendi aviditate conjunctam. Itaque ab Geographiae, Topographiae, & Chronologiae tradendis praeceptis ac legibus expeditus, dum universam ab Orbe condito & redempto evolvere pararem Historiam, Tute Ipsa

Digitized by Google

vidisti, maximum ad id subsidium fore latinitatis studium, atque optasti, ut, quae addiscenda erant veterum Regnorum & Rerumpublicarum initia, progressiones, vices, & exitus, ea tum scripto traderem ad memoriae subsidium, tum ad aliquod Latini sermonis specimen degustandum Latino ipso stilo exararem. Adumbrata isthaec Romanae eloquentiae venustas ac lepos semel ac in oculos atque aures influxit, mox Regium sollicitavit animum, ut primis quoque illius linguae rudimentis & syntaxis etiam praeceptis institui velles. Fecit Tua illa jam tum eximia suavitas morum, & mentis vis incredibilis, ut facile adducerer, ne id muneris recusarem. Quid jam dicam? Adeo profecisti, ut, Quae Romanae Historiae, Picturae, & Architectonices praeceptis expolita jam fores, Quaeque Etruscum & Gallicum sermonem, quo jamdiu pure ac nitide utebaris, Teutonico quotidianis hausto colloquiis cumulares; Eadem quoque adamares latine loquendi facultatem, tum etiam Italico themate ocyus latine reddito, & Latinis Scriptoribus, syntaxi rite dissoluta moxque concinne composita, in tuum veluti succum ac sanguinem conversis, Latinam ipsam elegantiam ac robur perfacili negotio assequerere.

Digitized by Google

Ex hoc inexplebili discendi ardore, hauſtisque Historiae luminibus originem ducit illa magiſtra vitae prudentia, qua excellis adeo atque emines. Hinc illa sitis optimorum librorum ac selectioris comparandae bibliothecae: hinc illae in eadem diuturnae commorationes ac deliciae: hinc denique illa, Regii Conjugis aemula, sedulitas admiranda Regiae Prolis non dumtaxat educandae, sed omnibus Religionis ac scientiae praeſidiis instruendae.

Sed ſtudium iſtud erga latinas litteras Principibus nonnunquam aliis commune; illarum autem usus Tibi cum paucis proprius ac peculiaris. Ex quo enim tempore, perlectis Aetatis Aureae Scriptoribus, Linguae ſuavitatem deguſtaſti, perpulit adeo animum & oblectavit illa verborum concinnitas ac ſermonis elegantia, ut, quidquid eſſet noſtra quoque aetate latino ſtilo conſcriptum, Hiſtorias potiſſimum, in dies avidius tereres manibus, & latinam linguam quaſi aliarum, quae apud cultiores Europae populos uſurpantur, parentem fere communem non tam intimo ſenſu, quam legendi exercitatione venereris & colas. Tua item Regia Soboles ex illa Matris optimae cura fructum cepit, ut audio, valde uberem, in Veterum celebriorum ſtilo

Digitized by Google

gustando, ac sententiis addiscendis erudita, atque in abditiores totius linguae recessus manu ducta.

Haeccine vero, qui tantarum rerum prima veluti semina jecisse videar, rescire ego & versare animo possem; quin cuperem quotidie magis non tam indicium aliquod edere gratulationis meae, quam testimonio prodere quantam, quàmque fere omnem illius tantae laudis partem Tuum sibi ingenium, Tuaque industria vindicaret? Sed ego illud etiam spectandum censui, universi ut intelligerent, me, qui septennio atque amplius meam in illa institutione operam collocaverim, jure optimo facere, si, Cui obsequium meum semel addixeram, Eidem fructum quoque studiorum meorum reliquum consecrarem. Quàm vero ad sensus animi Tuos accommodate, quum de sacris scribam Mediolanensium rebus? Movebat sane, quum id facerem, Tua illa singularis religio ac pietas in ore atque oculis Mediolanensium civium semper, ex quo Tuo fruuntur aspectu, summa cum laude defixa atque versata. Amor ille incitabat, quo Ambrosii *Sedem complecteris, praecipuam hujus* Historiae *materiem ac segetem; in qua admirabere Tui similes Principes Foeminas,* Amalasuntham *scilicet, Bajoaricas item*

illas, Theudelindam, Gundebergam, Theodotam, Cunipergam, *inter Langobardorum barbariem virtute & religione praestantiſſimas, inſtar ſiderum in tenebricoſa caligine micantes. Cujus quidem Provinciae Ducibus Tu Ipſamet recentibus* REGIAE PROLIS *Tuae nuptiis novum ſidus addidiſti.*

Adeſdum igitur, obſecro: REGIA illa non tam honoris, quam animi Tui CELSITUDINE hoc quamvis tenuiſſimum ingenii munuſculum, veteris obſequii ac famulatus mei arrham & pignus, eo animo excipe, quo mea omnia olim conſueviſti. Quod ſi aequi bonique feceris, tum plane intelligam, me adhuc eo loco apud Te eſſe, quo ſemper fui.

CELSITUDINIS TUAE REGIAE

Dabam ex Biblioth. Ambroſ.
XIV. Kal. Sextil. MDCCLXXXXV.

Humillimus obſequentiſſimus
atque addictiſſimus Servus & Cliens
BALTHASSAR OLTROCCHI
Bibliothecae & Colleg. Ambroſ. Praefectus.

Digitized by Google

SYNOPSIS PARTIS PRIMÆ

SEU

EPITOME

Libri I. ac II. & cujusque Capitis Sectionum.

ARGUMENTUM OPERIS.

ECCLESIAE MEDIOLANENSIS HISTORIA LIGUSTICA IN ROMANAM GOTHICAM LANGOBARDICAM TRIBUS LIBRIS DISTRIBUTA.

PROŒMII SUMMA.

Hujus Operis occaſio. II. Tituli ratio. III. Opus quare trifariam diviſum. IV. Argumentum Libri Primi. V. Argumentum Libri Secundi. VI. Argumentum Libri Tertii. VII. Corollarium. VIII. Civilis hiſtoria Eccleſiaſticæ admixta. Et cur. IX. De ſynchronorum Scriptorum uſu, & critice in iis adhibita. X. Quinam Auctores ſynchroni adhibiti ad Gothicam & Langobardicam Hiſtoriam. XI. De ſtilo Operis. XII. Operis vices. XIII. Procemii concluſio.

LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM.

Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoria LIGUSTICA ROMANA ab obitu S. Ambroſii Mediol. Epiſcopi, & S. Simpliciani ſucceſſione, ac ſubſequentium Epiſcoporum, uſque ad Theodorum I.: ſimul & ab Honorii & Arcadii Augg. Imperio; nec non ab Alarici, Rhadagayſi, atque Attilæ Barbarorum in Italiam irruptionibus uſque ad Occid. Imperii interitum, atque Herulorum ſub Odoacre invaſionem, ejuſque in Italia regnum. Ab Æra Vulg. anno CCCXCVII. ad CDLXXXVIII.

CAPITIS PRIMI

Sectionum summa.

Eccleſiæ Mediolanenſis imminuta dignitas poſt mortem S. Ambroſii. Hujus imminutionis cauſæ. II. Simplicianus Ambroſio ſuccedit. Ejus res geſtæ. Metrop. Mediol. dignitas. Gothi, Alarico & Rhadagayſo ducibus, ad Italiæ clauſtra

Digitized by Google

inhiantes a Stilicone repelluntur. III. S. Antiſtitis Simpliciani mors. Huic Venerius ſuccedit. Ejuſdem pro Eccleſia labores. IV. Gothi Alarico duce in Venetiæ fines movent; in Liguriam irrumpunt. Honorii Aug. in Aſtenſi urbe vix ſubſiſtentis pavor: ibi ab Alarico obſiderur. Superveniente Stilicone, Alaricus ad Pollentiam vincitur. V. Iterum etiam ad Atheſim Alaricus a Stilicone ſuperatur. VI. Aliæ Venerii curæ in Vigilanrii erroribus a Provincia ſua repellendis. VII. Item contra ethnicæ ſuperſtitionis reliquias; donec Honorius, Mediolano poſthabita, Romam triumphaturus proficiſcitur.

CAPITIS SECUNDI

Sectionum summa.

Suſceptum a Venerio pro S. Jo. Chryſoſtomi in Sedem Conſtantinopolit. reſtirutione patrocinium. II. Quo tempore Hiſtria & pars Venetiarum ab Italica Provincia fuerit disjuncta; ſive de origine Primatus Eccleſiæ Aquilejenſis. III. Novum Italiæ allatum bellum a Rhadagayſo Romam appetente; qui tandem a Stilicone inrerficitur. IV. Serenæ pro ſalute conjugis Stiliconis votum de Libycis marmoribus ſternendo Nazariano Tumulo. V. Suſpiciones de fide Stiliconis conceptæ; earumque cauſæ. VI. Alaricus minarum plenus ex Pannonia Italiam verſus progreditur. Stilico Romam profectus magnum auri pondo pro Hoſte deliniendo, invito Senatu, paciſcitur. VII. S. Venerii mors. Ejus laudes ex utroque Paulino, & ex Ennodio. Utrum auctor fuerit Libri *De Sacram.* De Cleri Mediol. caſtrimonia contra Landulphi aſſeclas. VIII. Venerio Marolus ſuccedir. Ejus generis origo, & laudes ex Ennodio. IX. Jamdudum conceptæ de Stiliconis fide ſuſpiciones tandem erumpunt. Stilico Honorii juſſu interficitur. Item Serena ejus Conjux, & Eucherius filius. Roma ab Alarico obſeſſa ad deditionem compellitur; pacemque magna auri ſumma ab Hoſte redimit. X. Honorius nunqnam animum inducit ad pacem confirmandam. Iratus Alaricus iterum Romam contendit. Imperium Honorio abrogat; e Conſularibus faſtis expungit. Attalum purpura induir. XI. Alaricus Ravennam ad Honotium proficiſcitur, iterum pacem poſtulaturus, ſed fruſtra. Romam denuo petit ac miſere depopulatur. XII. Quæ in ea direptione acciderint. XIII. Quo vere anno Roma ſit capta. Alarici mors brevi conſequuta pacem ex inſperato toti Italiæ ominatur.

CAPITIS TERTII

Sectionum summa.

Ataulſus Alarici ſucceſſor divinitus pacis conſilia cum Honorio init. Gallam Placidiam uxorem ducit. Honorius Italiæ damnis & catholicæ Religioni conſulit. Ataulſo extincto, Galla Placidia Conſtantio nubir. Attalus purpura exutus ab Honorio in triumphum ducitur. II. Honorii Edicta & curæ pro Fide catholica. Pelagii errores a Paulino Mediolanenſi in Africa detecti, Innocentii I., Zoſimi, & Bonifacii Decretis confixi. Marolus Antiſtes noſter Sacerdotalis continentiæ cuſtos & vindex. III. Conſtantii, Honorii Collegæ, mors. Honorius tricennalia ſui Imperii Ravennæ celebrat. Inter Honorium & Placidiam ſororem domeſticæ ſimultates. Maroli, & Honorii Aug. obitus. Marolo Martinianus

Digitized by Google

ſuccedit. IV. Martiniani laudes ex Ennodio. Quæ in Urbe noſtra Templa excitaverit. Quæ jam Baſilicæ exſtarent ante Ambroſium; quas Ipſe conſtruxerit. V. Exinde ſtatuitur, ipſo Ennodio duce, geminas Ædes a Martiniano conditas, fuiſſe *S. Laurentii*, & *S. Stephani*. De loco *Ad Innocentes* nuncupato, nunc *S. Stephani ad Rotam*, vel *in Brolio*. VI. Thermas Herculeas, non Fanum Herculis, antea exſtitiſſe ubi nunc Ædes Laurentiana, conjicitur ex ipſa Thermarum ejus ætatis architectonices deſcriptione. VII. Ex ipſo Ennodii Carmine magis confirmatur, geminas Martiniani Ædes non alias fuiſſe ab jam memoratis. VIII. Valentinianus III., *Joanne* Tyranno mactato, Occid. Imperio potitur. Neſtorii hæreſis in Oriente exordia. Ea de cauſa Epheſina Œcum. Synodus. Martinianus Catholicum dogma propugnat. IX. Martiniani obitus. Is in *S. Stephani* Baſilica tumulatur. Utrum hæc gemino *SS. Zachariæ* & *Stephani* titulo nuncuparetur. X. Glycerius Martiniano ſufficitur. Ejus elogium ex Ennodio. Occidentale Illyricum Orientis Imperatori ſubjicitur. Genſericus in Africa, Gothi in Gallia Imperium perturbant. XI. Intempeſtiva Glycerii Antiſtitis mors. S. Jo. Chryſoſtomi Corporis ex Antiochiæ Cœmeterio Byzantium translatio. XII. Lazarus Glycerio ſubſtituitur. Ingenui ejus mores & egregia indoles ex Ennodii epigrammate.

CAPITIS QUARTI

Sectionum summa.

Attila Hunnorum Rex in Pannonia utrique Imperio minitatur immenſo exercitu. S. Lazarus belli metu Triduanas Rogationes inſtituit. II. In Manichæos latentes inquirit. III. Hujus Antiſtitis ætate Ravennatis Sedis ab Italica Metropoli divulſio. IV. Lazari obitus ante Attilæ adventum. Euſebius natione Græcus Lazaro ſufficitur. Ejus geſta ex Ennodio. V. Synodus Rom. & Chalced. Œcum. ſub Leone contra Eutychen. Interim Synod. Mediol. ſub Euſebio. Synodica ipſius Epiſtola. Quo anno Mediol. Synodus habita, diſquiritur. VI. Hæc haberi non potuit anno CDLII. Id probatur ex temporum calamitate. Attila nempe in Liguriam irrumpens Mediolano imminet. VII. Agri & Urbis Mediol. excidium, Paſtoris & Ovium exilium, ex Homilia, vulgo S. Maximi Taurinenſ. Epiſc. fuſe deſcribuntur. VIII. Paſtoralis Euſebii in gregem ſuum cura. Omiſſa Mediolano, Attila Padum verſus copias movet. Ibi S. Leonis eloquentia victus in veteres ſedes repellitur. IX. Sed id certe divinitus potius, quam humanitus accidit, fuſis ab Euſebio noſtro ad Deum precibus. X. Civium cum Euſebio ad Patriam reditus. Hic in Majorem Baſilicam reparandam incumbit, quam probatur fuiſſe *Intramuranam*, de qua loquitur S. Ambroſius. XI. Hanc Euſebius ſolemni ritu dedicat. Qui mos in ea celebritate obtinuerit uſque ad noviſſimam Templi Dedicationem a S. Carolo factam. XII. Attilæ, Aetii, Valentiniani III. mors. Maximus Imperium Occid. occupat; quo mactato, Genſericus Vandalorum in Hiſpania Rex Romam diripit. Avitus purpura induitur. Solus Ricimer tyrannidem in Italia exercet. XIII. Avito Majorianus, Majoriano Severus ſuccedunt. Inter hæc mala Euſebius ſanctiſſime moritur; atque animam exhalanti Geruntius ſufficitur. XIV. Chronologia Pontificatus Euſebii, & duorum ſubſequentium Epiſcoporum emendata. XV. Quid animadverſione dignius acciderit in Geruntii electione. Quænam fuerint Baſilicæ Majoris *membra*, quæ

Digitized by Google

in *Homilia* vulgo *S. Maximi* commemorantur. XVI. Conjectando diſquiritur, utrum jam ab Ambroſii ævo aliqua extiterit Baſilica *S. Theclæ* ſacra. Geruntius Majoris Baſilicæ *membris* utcunque reficiendis operam ſuam adjungit. XVII. Geruntii curæ in grege ſuo excolendo. Sanctiſſima ejus mors. XVIII. Geruntio Benignus ſuccedit. Ejus Pontificatus initium ſtatuitur. Is nuper electus Synodo Romanæ ſub Hilaro Papa intereſt.

CAPITIS QUINTI

Sectionum summa.

Severus Occid. Aug. veneno extinguitur. Rom. Imperii vices ſub Ricimeris tyrannide. Anthemius Severo ſuccedit. II. Bellum contra Cath. Relig. Benigni Antiſt. noſtri laudes. Criſpinus Ticinenſ. Epiſc., obitus ſui præſcius, Mediolanum venit, ubi votum ſuum de Epiphanio ſibi ſucceſſore eligendo exponit. III. Criſpini obitus. Benignus Epiphanium Criſpini ſucceſſorem in Urbe Mediol. conſecrat. De Metropolitæ Mediol. jure in Ticin. Epiſcopi Conſecratione. IV. Aſparis in Oriente & Ricimeris in Occidente contra Augg. ſimultates. Aſpar juſſu Leonis Imp. interficitur. Mediol. Procerum & Benigni Ep. ad Ricimerem preces pro legatione pacis ad Anthemium. V. Prima Epiphanii legatio, a Ricimere ad Anthemium. Ricimer Romam depopulatur. Anthemium purpura ſpoliatum occidi jubet. Olybrium Aug. declarat. VI. Ricimeris Tyranni, Olybrii Occid. Aug., & Benigni Med. Epiſc. obitus. VII. Senator Benigno ſuccedit. Ejus merita, & res in Pontificatu geſtæ, ex Ennodio. VIII. Glycerius Rom. Imperium invadit. Ob illatam ab aliquibus Auguſti Matri injuriam S. Epiphanius veniam ab eodem deprecatur. Widemiri cum Gothis in Italiam irruptio. Leo Or. Aug. Leonem II. nepotem ſuum moriens Imperatorem deſignat; qui cum Patre Zenone regnat. IX. Leo & Zeno Or. Augg., Glycerio in Occid. depoſito, Julium Nepot. purpura exornant. Bellum contra Euricum. Altera S. Epiphanii legatio, ſcilicet ad eundem Euricum. Hujus Ariani Regis in catholicam Relig. perſecutio. X. Proni in ruinam Rom. Imperii viciſſitudines. Oreſtes Patricius in Nepotem Aug. armatus Ravenna & Imperio potitur. Romulum ejus filium Auguſtum renunciat. XI. In hoc miſerrimo Italiæ ſtatu quæ fuerint Senatoris Antiſt. noſtri cogitationes ac curæ. Ejus ſcripta deperdita. XII. S. Senatoris mors: ſupremæ ejus tabulæ. Theodorus I. illi ſuccedit. De integro hujus Præſulis Pontificatu Chronologia emendata. XIII. Theodori præconia ex Ennodio. XIV. Rom. Imperii interitus. Odoacar totius barbariæ princeps in Liguriam irrumpit. Ravenna & Roma potitur. Romulum Auguſtum ſive Auguſtulum in Campaniam ablegat. XV. Odoacar nonnihil Catholicæ Religioni infenſus. Theodori Epiſc. in hunc Tyrannum conſtantia. XVI. Odoacris bella in Rugos, quorum Regem Feliteum ſive Febam captivum in Italiam abducit. Fridericus Felitei filius ab Onoulpho Odoacris fratre ſuperatur.

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM.

Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoria LIGUSTICA GOTHICA a poſtremis Theodori I. Pontificatus annis uſque ad Honorati inaugurationem: ſimul & ab Theuderici, primi poſtea Gothorum in Italia Regis, in hanc Provinciam adventu, atque Odoacris cæde; uſque ad Teiæ ultimi Gothorum Regis Regnique Gothici interitum, & Narſetis Patricii in Italia Ducis adminiſtrationem. Ab Æra Vulg. Anno CDLXXXVIII. ad DLXVIII.

CAPITIS PRIMI

Sectionum summa.

Theuderici Oſtrogoth. Regis conſilium de Odoacre ab Italica ditione depellendo. II. Theudericus, Friderico Felitei Rugorum Regis filio ſibi conſociato, Italiæ limites ingreditur. III. Gemino bello Odoacrem ſuperar, primo ad Flumen Sontium, deinde ad Athesim. IV. Odoacar novum prælium parans ad Adduam caſtrametatur. V. Theodori I. Epiſc. obitus. Huic ſufficitur magni nominis Paſtor Laurentius I. Sub Hujus clientela Ennodius ſuſcipitur. Ennodii merita & laudes. VI. Nondum conſecratus Laurentius ad Honoratum Novarienſ. Epiſc. proficiſcitur. Dilatæ Conſecrationis cauſæ. VII. Tertio Odoacar a Theuderico ad Adduam vincitur: qui Romam, deinde Ravennam fugit. Victor Theudericus Mediolanum tandem ingreditur. Laurentius conſecratur. VIII. Italicorum militum defectioni a Tuſa excitatæ Laurentius fortiter obſiſtit. IX. Theudericus Ticinum confugit. Tuſa Mediolanum dirlpit: Laurentium Epiſc. & cives captivos abducit. Theudericum obſidet. X. Rebelles In fugam Theudericus conjicit. Ravennam properat. Gundobadi Burgund. Regis in Ciſalpinas regiones irruptio. XI. Theudericus Ravennam obſidet. Laurentii e Tuſana captivitate reducis, & Epiphanii Ticinenſ. per hæc tempora Paſtoralis ſollicitudo. XII. Theuderici geſta primo Ravennatis obſidionis biennio. XIII. Dedita tandem Ravenna, pacis conditiones inter Odoacrem & Theudericum initæ. XIV. Theudericus imperata Odoacris & Primorum Herulorum nece ſolus in Italia regnat. Gothi, Ticino relicta, Ravennam contendunt. XV. Friderici Rugorum Regis ab Theuderico defectio. Rugi rebelles Ticinum Gothis vacuam occupant. XVI. Rugos tandem Theudericus per Duces ſuos profligat, & ab Italia pellit, Friderico ipſo interempto.

CAPITIS SECUNDI

Sectionum summa.

Nova Theuderici ſtudia pro Rom. Rep. & Italiæ Regno firmando. Singularis Ejus in rebelles Italicos humanitas; Laurentio & Epiphanio ad Regem legatis exorantibus. II. Regis liberalitas pro redimendis a Gundobado captivis. Quarta Epiphanii legatio, Lugdunum ſcilicet ad eund. Gundobadum, comite Victore

Digitized by Google

Taurinenſi Epiſcopo. III. Laurentius jam antea cœptum Urbis reficiendæ opus aggreditur. Geminas intramuranas Baſilicas ſimul conjungit. Novum *Baptiſterium* ædificat. IV. *Baſilicam SS.* flammis conſumptam inſtaurat. Quænam hæc fuerit. V. Ennodius ditiſſimæ feminæ nuptiis Mediolani clarus ab uxore ſejungitur. Hinc Ticinenſi Clero Diaconus adſcribitur: quo tempore id acciderit. VI. Quinta Epiphanii legatio, Ravennam ſcilicet ad Theuder. pro Liguribus tributorum onere ſublevandis. Hujus ſancti Antiſtitis obitus; poſt quem iterum Ennodius Mediolanum ad Laurentium confugit. VII. Ennodium exinde moram Mediolani traxiſſe, probatur primo ex valetudine ope S. Victoris Mediol. Martyris ab ſe recuperata. VIII. Item ex jure Metrop. Epiſc. ad ſe evocandi, quos vellet, ex ſibi ſubjectis Eccleſiis; deinde ex eo, quòd geminas Ennodius *Ditiones* Ticinum tranſmiſerit. IX. Idem probatur ex pluribus ipſius Ennodii Epigrammatis in laudem SS. Mediol., & Epiſcoporum ab Ambroſio ad Laurentium; ex crebris hujus Præſulis laudibus. Id confirmatur etiam ex Romano itinere in comitatu Laurentii noſtri ob cauſam electionis Symmachi, Rom. Pontif., quocum inde redux Natalem Ejus Cathedræ celebrat; & cum quo iterum Romam proficiſcitur. X. Nonnullis aliis argumentis ſingularis oſtenditur Ennodii cum Laurentio noſtro familiaritas, & proinde in Urbe noſtra domicilium. XI. Huic ſententiæ ſuffragantur etiam nonnullæ Ennodii ad Symmachum Rom. Pontif. *Epiſtolæ*; item ipſius iter *Brigantionem* Laurentiii juſſu ſuſceptum. XII. Demum ex variis Ennodii ejuſdem *Epiſtolis* haud obſcure liquet, eum Mediolanenſi contubernio uſum fuiſſe.

CAPITIS TERTII

Sectionum summa.

Theuderici regni ſapientiſſimi laudum epilogus. II. Maximus Epiphanio ſuccedit: a Laurentio conſecratur. Laurentius tranquillitatem Romanæ Eccl. reddit, in Symmachi Papæ electione perturbatam. Symmachus pacifice ſedet. III. Iterum inflammatur Schiſma, de Symmachi Papæ electione; qui tandem, legitima coacta Synodo, calumniis omnibus abſolvitur. IV. Theuderici ſimul & Laurentii rectè ſapienterque geſta pro Eccleſiæ pace, & pro vindicanda Symmachi innocentia in pluribus Romæ habitis Conciliis. V. Sedato tandem Rom. Schiſmate, Laurentii curæ in ejus reliquiis diſſipandis. Is *Marcelliani* Aquilejenſ. Epiſc. pertinaciam infringit. Synodum Rom. cogit Symmachus, vulgo *Quartam* & *Palmarem* appellatam; qua Odoacris Decretum configitur. Huic Synodo interfuit Laurentius. Laurentius Mediolanum cum Ennodio redux, Cathedræ ſuæ natali die ab eodem celebratur. Uterque Romam revertitur ad V. Synodum celebrandam, in qua Ennodius *Apologeticum* ſuum recitat. VI. Laurentius Mediol. regrediens primo fortaſſe Ravennam ad Theudericum proficiſcitur. Mirifica Hujus regiminis prudentia. Ejuſdem Antiſt. Decretum de *Cellulanis* in Cleri conſortio habendis. VII. Exemplar Decreti de *Cellulanis* ab Ennodio Laurentii juſſu exarati. VIII. Laurentius ad propoſitum redit de jam exſtructis Baſilicis exornandis, noviſque excitandis. Ea, quæ de Euſebio diximus, recoluntur, unam ſcilicet reparaſſe *Majorem* Eccleſiam ab Attila deſtructam. Geminæ intramuranæ *Domus*, ſeu Baſilicæ, a Laurentio exornatæ, & *Baptiſterii* ab ipſo reædificati artificium ex Ennodio deſcribuntur. IX. Laur. Baſilicam *S. Xyſti* Laurentianæ adjungit. *S. Calimerii* Ædem in meliorem formam exſtruit. De Cryptarum, ſive *Confeſſionum* origine. X. Maximi

ximi Ticin. Ep. obitus. Ennodius ei ſuccedit: a Laurentio noſtro conſecratur. De Jure Metrop. Laurentius moritur. Ejus cultus apud Mediolanenſes. XI. Reliqua coronidis loco de Laurentii virtutibus ab Ennodio commendatis. De pueri Aratoris in litteris erudiendi cura ab hoc Præſule ſuſcepta. De Aratoris geſtis.

CAPITIS QUARTI

Sectionum summa.

Laurentio ſuccedit Euſtorgius II., Theuderico in exteris regionibus feliciter regnante Laurianum domi excipit. *S. Xyſti* Baſilicam perficit. *Feminarum Baptiſterium* condit. De frequentiore in Pagis ac Vicis Baptiſteriorum uſu II. Euſtorgius patrimonium Mediol. Eccleſiæ, in Agro Siculo ſitum, apud Theudericum ſtrenue defendit. Metropolitica jura in Auguſtanam Eccleſiam juſſu ejuſdem Regis exercet. III. Theuderici erga Cathol. Relig. favor. Lex Rom. de Mortuorum ſepultura extra Urbis ambitum num a Gothis hoc ævo obſervaretur. De Tumulo Agathis filiæ Comitis Gattilanis, Mediolani recens excavato. IV. Euſtorgii laudes ex Avito Viennenſi Epiſcopo. Ejus obitus; cujus certus annus contra nonnullos Chronologos deſignatur. V. Euſtorgio Magnus ſuccedit, ſummopere ab eodem Avito laudatus. Juſtini Aug. erga Catholicos favor. De *Gregentio* quodam Mediolanenſi, hac ætate apud Homeritas in Oriente Epiſcopo. VI. Juſtinus Aug. bellum Arianis in Oriente indicit. Eos Theudericus acriter defendit. Hujus Gothi Regis in Joann. I. Rom. Pontif., in Symmachum & Boetium, omneſque Catholicos furor, qui Regis morte tandem extinguitur. VII. Magnus adhuc quadriennio, Amalaſuntha & Athalarico regnantibus, Eccleſiam noſtram pacifice gubernat. Sancte moritur. VIII. Amalaſuntha ſapienter Regnum adminiſtrat, & filium Athalaricum educat. Injuſtas Primorum querelas ac ſeditiones prudenter diſſimulat, & ulciſcitur. IX. Magno ſuſſicitur Datius. Monaſtica Ejus vitæ profeſſio ante Pontificatum. De Monaſticis ante S. Benedictum Inſtitutis in Occid. X. Datium quadriennio poſt initum Pontificatum turbant ac vexant Gothici Regni vices, Athalarico extincto, Amalaſuntha interfecta, Theodahado Gothicum Regnum uſurpante. XI. Liguriæ calamitates ſub Rege Theodahado exponuntur: ſames ſcilicet a Datio enarrata. De hujus Sancti Antiſtitis exilio. Utrum Is auctor fuerit Mediolanenſium a Witige defectionis. XII. Bellici hinc & inde motus Theodahadum vexant. Stulta Ejuſdem de Regno repudiando cum Juſtiniano conſilia. XIII. Felix Gothici Regis armorum eventus. Stulta item Hujus de Regno retinendo conſilia. Juſtiniani in Regem furor ac minæ. Rex Pontificem Romanum Agapitum Byzantium ire compellit ad mitigandum Auguſtum.

CAPITIS QUINTI

Sectionum summa.

Theodahadus Rex Datium in exilium conjicit. Agapito Rom. Pontifici defuncto Silverius ſuſſicitur. Datiani exilii annus iterum diſquiritur. II. Datius Conſtantinopolim pergens, Corinthum appellit; ubi domum ab infeſto Dæmone liberat. Theodahado ejecto Witiges Rex ſuſſicitur. III. Datius Byzantio Romam proficiſcitur: fortaſſe cum Agapiti exuviis. De penuriæ damnis, quæ Liguriam paulo

Digitized by Google

ante vexaverat, Silverium Pontif. præſentem alloquitur: & probabiliter de Auguſtæ Theodoræ conatibus pro Anthimo in Sedem CP. reſtituendo. Byzantium revertitur. IV. Romæ obſidio a Witige tentata. Silverii exilium. Vigilius in Petri Cathedram intruditur. V. An Datius princeps legationis ad Beliſarium fuerit pro Patria Græcis prodenda, contra Procopium, ejuſque exſcriptores denuo expenditur. VI. Cum Witige pacem petente Beliſarius trimeſtre induciarum tempus paciſcitur: ſed vix cœptum violat; & Gothos perſequitur. VII. Witiges cogitur Roma recedere; & ad Ravennæ defenſionem properare. VIII. Beliſarius interim Mundilam cum ſubſidiariis Mediolanum mittit ad Civium defectionem fovendam. IX. Infeliciſſimus hujus expeditionis exitus. X. Mediolani a Burgundionibus capti cruentum excidium. Novis argumentis Datius proditionis nota vindicatur. XI. Hujus Mediolanenſis excidii annus ſtatuitur. Quo id dolore affecerit Beliſarium, Juſtinianum Aug., & Datium noſtrum. De Larienſi ſeu Comenſi Inſula, *Chriſtopoli* nuncupata. XII. Datius Byzantii exul Hæreticorum turbas in Chalcedonenſ. Synodum pro condemnatione *Trium Capitulorum* excitatas ſtudet compeſcere. XIII. Beliſarius Ravennæ obſidionem urget: ea potitus Witigem cum familia captivum, & regias opes ad Juſtinianum abducit. Alexander Logotheta Beliſario in Italia ſufficitur. Sub hujus tyrannide Greci labuntur, Gothi reviviſcunt, qui Ildibado & Erarico Regibus interfectis Totilam ſubſtituunt. Egregia Totilæ regni initia.

CAPITIS SEXTI

Sectionum summa.

Vigilius Papa ab Juſtiniano Aug. in controverſiam *Trium Capitulor.* Conſtantinopolim evocatus, primo in Siciliam navigat: unde, Dario comite, ad Regiam Urbem proficiſcitur. II. Summi Pontificis conſtantia adverſus *Trium Capit.* hoſtes, duce potiſſimum ac præſente Datio. Injuriæ ac contumeliæ utrique illatæ, ex Vigilii ipſius teſtimonio deſcribuntur. III. Item ex univerſi Italiæ Cleri *Epiſtola*; quæ ipſorum Italorum pro Datii reditu conatus ac ſtudia abunde teſtatur. Exinde etiam Datiani exilii annus ſtatuitur. Gallorum Epiſcoporum cura pro Datio tam indigne habito. IV. Datius Chalcedone ſanctiſſime moritur. Injuſtæ in Eum calumniæ refutantur. Totilas totam Italiam vaſtat. Teias Rex a Gothis eligitur. Totilas interficitur. Orientalis Imperii & Gothici Regni vices. V. Montana Liguriæ & ipſius Venetiæ loca in Francorum poteſtatem redacta vexantur. Larienſis Inſula, ſeu *Chriſtopolis*, graviſſime conflictatur. Vitalis in Datii locum eligitur. A Macedonio Aquilej., nondum, vel verius, nunquam Schiſmatico, rite Ravennæ conſecratur. Ab inuſta Schiſmatis nota expurgatur. VI. Gothico Regno per Teiæ obitum penitus a Narſete everſo, fervent in Oriente diſſidia pro *Trium Capitul.* damnatione. Juſtiniani Aug. juſſu *Quinta Synodus* cogitur; cui Vigilius intereſſe recuſat. Vigilius Auguſto imperante in exilium projicitur. Paulo poſt, *Quinta Synodo* ab ſe confirmata, & *Tribus Capitulis* condemnatis, ab exilio revocatur. Hinc origo *Schiſmatis Aquilejenſis*. VII. Vigilius Romam revertens Syracuſis in itinere moritur. Pelagius I. Schiſmaticorum hoſtis ſufficitur. Vitalis obitus. Schiſmaticus Epiſcop. Mediol. Sedem uſurpat. Utrum Macedonius, an Paulinus Aquilejenſe Schiſma inchoaverit. Hic quando, & a quo fuerit conſecratus. VIII. Paulinus Schiſmatis Aquilej. auctor. Mediolanenſem haud rite conſe-

Digitized by Google

erat. Paulini Sedis initii certior epocha exinde ſtatuitur. Mediolanenſis Epiſcopus dux Schiſmatis in Liguria. Aquilej. conciliabulo intereſt. Pelagii querelæ. Narſes ab Schiſmaticis ſua communione prohibetur. IX. Narſes, diſſimulatis interim injuriis, Francici & Gotbici belli reliquias perſequitur. Hoc tempore ortum eſt primum Aquilejæ *Patriarchæ* nomen. Narſes Mediolanum reficit. Schiſmatico Epiſc. in exilium abducto, legitimum Ambroſianæ Sedi præficiendum curat. X. *Illum*, a Pelagio non nominatum, Schiſmaticum Mediol. Epiſc., electum poſt Vitalis obitum, *Frontum*, fuiſſe affirmatur ex *Catalogo* noſtro. Hujus *Catalogi* Prima Pars quo tempore & ordine fuerit conſcripta. XI. *Frontone* depulſo Auxanus rite conſecratur: Obſoleta tunc primum mutuæ Conſecrationis inter Mediol. & Aquilejenſ. conſuetudo; & *Cautionum* uſus fortaſſe tunc temporis inductus. Narſetis in Mediol. Eccleſiam & Urbem beneficia. Mediolani reparationis ab eo factæ certa epocha ſtatuitur. XII. Narſes, reſtituta Urbe, Vitali Altinenſi Epiſcopo in Siciliam, *Frontone* Genuam, ablegatis, Auxano ſuffecto, Mediolanenſem Eccleſiam Catholicæ Unitati reſtituit. Juſta aſſeritur Antiſtitum noſtrorum chronotaxis a *Datio* uſque ad *Honoratum*. XIII. Romanorum de ſuprema Narſetis poteſtate querelæ apud Juſtinum II. Auguſtum. Rumor expenditur de evocatis a Narſete in Italiam Langobardis. XIV. Auxanus ſancte moritur. De *Pallii*, & de Metropoliticæ Epiſcopi Med. dignitatis antiquitate. De Ejus jure Provinciales Epiſcop. ad Concilia convocandi, & conſecrandi. XV. Honoratus poſt Auxanum eligitur. *Cautione* veroſimiliter oblata. Ejus Sedis initia turbat ac vexat Langobardorum, Alboino duce, in Italiam irruptio.

ADDENDA.

pag. 191. nota (*) lin. 4. ut teſtatur coævus Scriptor Betinus Trezzi in Opere ſuo poetico, cui titulus: *Letilogia del Trez*, Edit. Mediol. 1458., qui in eo Capitulo, ubi ſingulas Urbis Eccleſias recenſet, ſic de Eccleſ. S. *Thecla* ait ſub fin.

Andrè al muro rotto & Tegla ſancta,
Che ſcontro de l' antiqua già extirpate
In picol giro conſta cominziate.

Item Stephanus Dulcinius &c.

pag. 261. nota (17). Ap. Jornand. *De Reb. Getic.* Cap. 58. fit mentio cujuſdam *Mundonis Attilanis* (in Cod. mſ. Ambr. *de Attilani*) *quondam origine*, qui per hæc tempora floruit, ſcilicet initio regni Theoderici.

pag. 276. lin. 18. & 19. etiam ipſe Abbas (*) poſt Abbatem Theodatum &c.
(*) Florianus in cit. *Epiſt.* ſic: *Sanctæ memoriæ Theodotum Abbatem meum & Archimandritam.*

pag. 319. nota (97). In numo ap. Murator. *Antiq. Med. Ævi*, Diſſ. 27. Tom. 2. col. 587. ſic legitur: DN . BADVILA REX.

pag. 351. lin. 14. nominare forte (*) noluit &c.
(*) S. Ambr. in Lib. 3. *De Sp. Sancto* Cap. XI. acriter conqueritur, quod *hoc falſum & ſacrilegum ſimulacrum* (idest Auxentius Pſeudoepiſcopus) *in Eccleſiaſticis Codicibus exprimeretur*.

pag. 362. nota (*) lin. 18. & *Auxani* ſepulcro. Sæpius item legitur in *Calend.* in calce *Antiphon.* Eccl. S. Satyri, Sæculi XIV. exeuntis. In *Calendario* vero Miſſalis Ambr., Eccl. olim SS. *Syri & Materni Burgi Deſii*, ſcripti anno 1463. ad diem 2. Jan. *S. Martiniani Epiſcopi ad S. Stephanum ad Rotam, ſive in Brolio*; item ad diem 12. Nov. legitur: *S. Arſatii Archiep. ad S. Steph. ad Rotam, ſive in Brolio.*

Digitized by Google

Quæ in pauca admodum Exemplaria hujus Primæ Partis irrepſerunt,

			ERRATA	*CORRIGE.*
pag. 8		*lin.* 9	a S. Hieronymi	hoc S. Hieronymi
—		10	hoc præconio	*dele* hoc.
—	*not.* (22)	1	18. Aug.	15 Aug.
10	(32)	3	Pirenæumque	Pyrenæumque
13		penul.	æſtris	aſtria
18		1	Rhetiam	Rhætiam
25	(62)	3	circumvenctus	circumvectus
43	(34)	3	tributas	tributos
48		4	Sere a	Serena
65		ult.	comitia	comitiis
79		11	apprime	primùm
89	(7)		*Epiſt.* 43.	*Epiſt.* 63.
93		11	*Detornenſis*	*Dertonenſis*
112	(62)		pag. 29.	pag 92.
121		9	*cunctis*	*ſanctis*
142		16	CDLXII.	CDLXXII.
154		9	axpartem	expertem eſſe
155		23	reverſi. Inſtare	reverſi, inſtare
157		ult.	exanimi	exanimati
—	(11)		propitio	propitio
173		6	, Epiphanius ;	; Epiphanius,
185	(*)	10	pag. 173. E	*dele* E.
—	—	11	pag. 179. B.	*dele* B.
197	(59)	2	memorat. .	memorat
—	(63)	2	*themate*	*themate*
255	(6)	2	ſitiaot	ſitiat
262		13	ditiſſime	ditiſſimæ
264		17	XXII. Datii annis	XXII.º Datii anno
267		15	Regnum, inquam, Italiæ	Regnumque Italiæ ipſum
—		marg.	A. DXXIV.	A. DXXIV. & DXXV.
268		marg.	A. DXXV.	A. DXXVI.
271	(47)		C. 1.	C. 2.
276		11	'tyrocinium	tirocinium
281		18	XXII. annorum	XXI: annorum, & aliquot menſium
296	(19)		Sect. IX.	Sect. X.
310	(69)	1	qui	quæ
316		3	*Cyrri*	*Cyrrhi*
317		9	Burgundioinum	Burgundionum
321		marg.	An. DLXVI.	An. DXLVI.
331		5	in hac	me in hac
336		4	miſſam	miſſa
338		ult.	nullam	nullum
340		2	hæreamus	hærera
344		16	Iſtriis	Iſtria

Siquæ errata inciderunt in Sectionum Summam, emendavimus in Synopſi hujus Partis Primæ.

Digitized by Google

ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS
HISTORIÆ LIGUSTICÆ
PROŒMIUM.

UT ſunt res humanæ, hujus aggrediendi Operis non modici, quiddam in ſpeciem perpuſillum occaſio fuit. *Rhythmum* illum Langobardicum loquor; de quo, & ex quo multa in tertio (1) hujus Operis Libro. Is quum ignotus antea eſſet, aut à nullo, quem ſciam, animadverſus, mihi primùm auſpicatò ſe obtulit in duobus Biblioth. Ambroſ. perantiquis Codicibus. *Rhythmum* hunc perſpicue patet Cuniberto Langob. Rege adhuc in vivis degente (2) conſcriptum. Præmiſſa ibi narratiuncula de ejus avo ARIPERTO ac BERTARIDO patre, pars reliqua, eaque major, in eo potiſſimum verſatur, ut ejuſdem CUNIBERTI conſilia curaſque detegat pro celeberrimo *Trium Capitulorum* Schiſmate penitus (3) delendo, & Aquilejenſibus Schiſmaticis cum Sergio Papa ac Romana Eccleſia conciliandis. Hæc quum in oculos incidiſſent, totius Hiſtoriolæ, intactæ hucuſque, & a nemine prælibatæ, attentius perlegendæ primùm, ac Hujus Operis occaſio.

(1) p. 532 & ſeqq. (2) Vide præfert. p. 657. (3) Vide pagg. 526. 579. 625. & ſeqq.

Digitized by Google

deinceps edendæ deſiderium mihi excitarunt. Totus itaque *Rhythmus* ex barbaris illis Langobardicorum characterum tricis, eorum etiam lineamentis vetuſtate ſqualentibus, erat eruendus; ſed is tandem continenti labore, & aſſidua ſyllabarum ſiglorumque comparatione, integer ac numeris omnibus abſolutus emerſit. Tum enimvero conſilium incidit longius in res noſtras excurrendi, totiuſque demum HISTORIÆ hujus conſcribendæ. Etenim, quum ex *Rhythmo* illo, ut monui, jam pateret, *Aquilejenſe Schiſma*, Cuniberti piiſſimi Regis opera, fuiſſe ſtirpitus exciſum; nonnulla ſtatim occurrerunt, cur ejus originem Schiſmatis altius repetendam exiſtimarem. Eadem illa Cuniberti pietas admonebat, ut Religionis Langobardicæ vices evolverem, ſane varias ac diuturnas. Ea ſiquidem natio Ethnicis tenebris adhuc involuta, quum, e ſuis finibus egreſſa, ſeſe commercio & contubernio Gothis miſcuiſſet, Chriſtianam Religionem ab iis hauſerat, ſed Arianis erroribus contaminatam. Eos tamen abſterſit, hortatu S. Gregorii, ac Theudelindæ Reginæ ſtudiis Catholicam veritatem & communionem amplexa: quam malo quodam fato illud plane *Aquilejenſe Schiſma* ſua cito lue afflavit. Convaluit poſtmodum ipſa ex ea labe: & primùm caute ac tacite adnitente Gundeberga, magnæ Theudelindæ filia, ſub utroque Ariano Conjuge clanculum viguit; regnantibus deinde Ariperto ejuſdem Theudelindæ fratris filio, Bertarido item Ariperti, & Cuniberto Bertaridi, filiis, libere triumphavit. Hæc vero omniaquum Gothica tempora ſuis initiis contingerent, pluraque offerrent inde repetenda, Sedi Mediolanenſi tum fauſta, tum infauſta; committendum non fuit, quin res quoque Gothicas attingeremus. Urgebant in primis jactatæ ſæpius in ejus ævi Epiſcopos noſtros calumniæ, quibus erat occurrendum. Quæ omnia quum Romani lapſuri Imperii calamitates in memoriam revocarent, atque mutuis cuncta vinculis inter ſe co-

Digitized by Google

hærerent; tandem conſtitui, obſcuræ & calamitoſæ *Ligurum* ætati lucem aliquam impertiri, ſumpto exordio ab Sancti Ambroſii obitu, progreſſuque facto uſque ad *Schiſmatis Aquilejenſis* finem. Hoc enimvero Schiſma, Sergii quidem I. Romani Pontificis auctoritate, ſimul tamen interpoſita per Benedictum, reor, Antiſtitem noſtrum SS.um Cuniberti piiſſimi Regis opera, ex hoc, quem e tenebris eruo, Langobardico *Rhythmo* ſublatum penitus & extinctum fuiſſe intelligemus.

II. *Ligurum* commemorato nomine, ea ſtatim ſubibit legentibus admiratio, quid iſthuc id nominis faciat, aut cur tanti apud nos valeat, ut hanc noſtram ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS HISTORIAM inſcribamus perpetuo *LIGUSTICAM*! Quid enim *Ligures*, ab ulteriori olim Eridani ripa uſque ad Mare Inferum (4) porrecti, cum *Inſubribus* citra hoc flumen aliquo intervallo diſſitis, cujus gentis caput *Mediolanum*? Veriſſime id quidem, ſi ratio habeatur veteris dumtaxat Italicæ Chorographiæ ante Magni Theodoſii ætatem. Sed enim, quum noſtra hæc HISTORIA, uti præmonuimus, exordiatur ab Ambroſii obitu, quo tempore, paulo ante defuncto Theodoſio, Honorius & Arcadius imperabant; ſic inſcribendi cauſam habuimus ſatis inſignem. Siquidem ea potiſſimum ætate regio illa ſeu provincia, in qua ſitum erat *Mediolanum*, vocitari cœpit *Liguria*. Equidem ſcio, de tempore, quo Provinciarum in Italia diviſio peracta ſit, varie olim a Criticis judicatum & ſcriptum: ex quo tamen in lucem edita eſt *Notitia* illa *utraque Provinciarum*, quam legimus (5) apud Schelſtratum, omnis videtur ſublata apud æquos æſtimatores dubitatio, ac dirempta contentio. Etenim numerus Provinciarum XVII., in quas, *Notitiæ* illius ætate, diviſum Imperium erat, non exſurgit, niſi computatis Ægypti *Arcadia*, Tituli ratio.

(4) Cluver. *Ital. Antiq.* Lib. 1. Cap. 8., præfert. pag. 58.
(5) *Opus Geograph. Hierarch.*, *Notitia* V. pag. 632. & *Notitia* X. p. 649.

Digitized by Google

& Ponti *Honoriade*: quas Provincias, quæve nomina, ignota ante & inuſitata, ſatis patet non potuiſſe in Honorii & Arcadii honorem invehi, nisi ab communi utriuſque Patre Theodoſio Magno. Huic propterea uni diviſio illa tribuenda; ipſaque adeo *Notitia Honorii & Arcadii temporibus conſcripta* & dicitur, & jure ac merito exiſtimatur. Jam in ea Provinciarum Imperii diviſione eminet Italiæ in Septemdecim Provincias diſtributio, quarum decem Vicario Urbis, Septem vero aliæ, *Venetia* (6) nimirum, *Æmilia*, *Flaminia & Picenum Annonarium*, *Liguria*, *Alpes Cottiæ*, *Rhætia prima*, & *Rhætia ſecunda* Vicario Italiæ, ita dictæ, parebant. Igitur Septem hiſce Provinciis *LIGURIA* adnumeratur, quæ quidem, etiam ex Veterum ſenſu intellecta, media inter alias jacet, ut & *Inſubriæ* caput *MEDIOLANUM*; habebat quippe conterminas *Venetiam* cum *Hiſtria* ad Ortum, *Rhætias* duas ad Boream, *Æmiliam* ac *Flaminiam* ad Meridiem, *Alpes* denique *Cottias* ad Occaſum. Patet autem, quum *Inſubriæ* nomen in hoc numero non appareat, illam in aliqua ex nominatis comprehenſam; in nulla vero potius, quam in *Liguria*, tum quia ſitus ille medius cum nulla magis convenit, quam cum *Inſubria*, tum quia illa *Liguriæ* definitio, quam ex Cluverio (7) nobis objecimus, facile retinetur, ſi eam ab Apenninis & Mari Infero ad terras porrexeris & ultra, & citra Eridanum ſitas. Quare in altera ex memoratis *Notitiis Provinciarum Imperii* (8) conceptis verbis habetur: *Liguria*, *in qua eſt Mediolanum*. Quin imo in antiqua (9) *Notitia Codicis Thuani* & Mediolanum primo loco, ut Urbem decuit principem, & Urbes aliæ, quibus conſtabat latio-

(6) Apud Schelſtrat. Op. cit. p. 232. & Car. a S. Paulo *Geogr. Sacra* p 32. (7) Vide Cluver. l. cit. (8) Apud Schelſtrat. *Notitia X.* cit. pag. 649. (9) Apud Car. a S. Paulo Op. cit. p. 30.

Digitized by Google

latiore illo ſenſu *Liguria*, ſic recenſentur: *In provincia Ligurienſi Civitates viginti*. *Civitas* Mediolanum, Metropolis. *Civitas Vigintimilienſium*. *Civitas Albingenſium*. *Civitas Vuadis*. *Civitas Genua*. *Civitas Tartona*. *Civitas Eboreia*. *Civitas Taurinis*. *Civitas Alba*. *Civitas Aſtenſis*. *Civitas Aquis*. *Civitas Vercellis*. *Civitas* * *Noveria*. (* ſic) *Civitas Cremona*. *Civitas Bergamo*. *Civitas Lauda*. *Civitas Regio*. *Civitas Parma*. *Civitas Brixia*. *Civitas Curia*. Ergo provincia illa, in qua ſitum *Mediolanum*, appellabatur *Liguria* tum ætate ea, qua *Notitiæ* illæ primùm conſcriptæ, quod Arcadii & Honorii tempore contigiſſe creditur, tum ea, qua Provinciarum illa non tam diviſio, quam denominatio facta cenſetur, quod ad Theodoſii Magni tempora revocandum ſtatuimus cum eruditiſſimis viris. At *Liguriæ* nomen latiori hoc ſenſu aliquanto ante uſurpatum crediderit quiſpiam ex S. Ambroſii Epiſtola *ad Vercellenſes*, in qua (10) dum Eccleſiam illam *ſolam ex Liguriæ*, *Æmiliæ*, *Venetiarumque partibus Sacerdotis egere officio* conqueritur, eam utique non omiſit, cui tanquam Epiſcopus præerat, primo propterea loco compellatam. Id quoque conjectaverit alius ex Paulini textu, ubi (11) narrat, Ambroſium inter Conſulares adlectum miſſumque a Probo, *ut Liguriam & Æmiliam regeret*. Sed & Ambroſius Epiſtolam illam ſcripſit, Theodoſio jam vita functo, & Paulinus potuit eo nomine Provinciam, in qua erat *Mediolanum* ex uſu ſui temporis appellare. Quin & de Conſtantii temporibus ſuboriri poteſt ſuſpicio; Socrates (12) enim & Sozomenus (13) de S. Euſebio uterque iiſdem fere verbis loquuntur: *Euſebius Vercellarum, quæ Liguriæ civitas eſt, Epiſcopus*. Verum illi quum Sæculo V. ſcripſerint, & Urbem illam *in Liguria eſſe*, non

d

(10) *Epiſt* 63. n. 1. ſcripta a. 396. Opp. T. 2. col. 1022. f. & col. 1023. a. (11) In S. *Ambr. Vita* n. 5. Opp. App. col. 11. c. (12) *Hiſt. Eccl.* L. 2. c. 36. (13) *Hiſt. Eccl.* L. 2. c. 15.

Digitized by Google

fuiſſe, affirment, ætatis ſuæ Topographiam, & loquendi conſuetudinem ſequi debuerunt. Haud negandum tamen, cauſam exſiſtere aliquam potuiſſe, cur aliquanto ante diviſionem ita cœperit *Liguriæ* nomen intelligi: fortaſſe quòd unus atque idem Conſularis toti illi regioni jam cœpiſſet præfici. At certum ac ſtabilem ſic loquendi uſum, repugnantibus Antiquitatis exemplis, nemo unquam ſatis evicerit anteriorem Theodoſio; a quo quidem, in nova illa Imperii diſtributione, certis & communiter poſtea receptis limitibus Provincias ſingulas circumſcribi oportuit; idque ex eo fortaſſe jam tempore, quo poſt Gratiani mortem, Valentiniano II. adhuc puero, ſolus ferme utrumque Imperium adminiſtrabat. Provinciæ igitur, in qua *Mediolanum*, certum ac legitimum acceſſit *Liguriæ* nomen circa illud plane ſpatium temporis, quo S. Ambroſius e vivis exceſſit. Quidni ergo HISTORIAM, quæ ab Ambroſii obitu inciperet, inſcriberemus LIGUSTICAM? Sane illa haud videtur potuiſſe aptiori vocabulo appellari, quam eo, quod & gentem, ad quam pertineret *Hiſtoria*, & tempus deſignaret, ab quo *Hiſtoriæ* ipſius exordia peterentur. Sed nomine eo progreſſus quoque & finis deſignatur. Sæculo enim V.° *Ligûres* nominavit Mediolanenſes Poeta ipſe Claudianus, ſic Romam ipſam apud Honorium, qui tunc in noſtra Urbe degebat, de ipſis Mediolanenſibus ſic conquerentem inducens, quòd Gentium Caput, triumphi cauſa, poſthabere Mediolano (14) videretur:

Veſtra, parens Auguſte, queror: quonam uſque tenebit
Prælatus mea vota Ligur?

Nam Socrates & Sozomenus eodem prorſus Sæculo qua voce ſint uſi, jam meminimus. Illuſtres Sæculo VI.° Hiſtorici Procopius & Jornandes: at ille (15) ſic: *Romani Mediolanum perveniunt, & citra*

(14) *De VI. Honorii Conſulatu*. Vide huj. Op. p. 26. n. (63). (15) Procop. *De Bello Goth.* Lib. 2. c. 12.

Digitized by Google

pugnam cum reliqua Liguria obtinent; iſte autem (16) brevius: *Mediolanum quoque Liguriæ Metropolim*. Vocabulum vero tunc natum, quum ad interitum jam vergeret Romanum Imperium, viguiſſe etiam ac multo magis ſub Gothis & Langobardis, teſtatum maxime habemus ex Pauli Diaconi Hiſtoria, cujus illa ſunt loca Lib. II. Cap. XV. *Secunda Provincia Liguria, in qua eſt Mediolanum*; ibidemque Cap. XXV. *Alboin igitur Liguriam introiens . . . Mediolanum ingreſſus eſt*. Ac Paulus quidem, qui Sæculo floruit IX., *Liguriæ* nomen videtur commemorare tanquam ex præſenti uſu; eſt tamen, cur eum magis juxta temporum, de quibus ſcriberet, conſuetudinem locutum interpretemur. *Langobardiæ* ſiquidem nomen Rotharis Regis ævo, medio ſcilicet Sæculo VII., cœpiſſe invaleſcere, in Opere ipſo (17) oſtendemus. Ex quo facile eſt conjicere, vocabulum alterum, quum paulatim obſoleviſſet, penitus obliteratum, VIII. Sæculo unaque Regno Langobardico ad finem inclinantibus; videlicet circa Ratchiſii & Aſtulphi Regum tempora, quibus Legum Langobardicarum Codex perfectus demum & ſcriptis conſignatus. Quare Cuniberti Regis ætate, quem potiſſimum ſpectat poſtremi Libri Hiſtoria, quique Sæculum attigit octavum, *Liguriæ* nomen, ſenſim dilapſum, Mediolanenſis Provincia vix videtur laciniâ retinuiſſe; multoque id magis ſubſequentium Regum ævo, uſque ad Aſtulphum. In hoc itaque tempus nos quoque *Hiſtoriæ* noſtræ finem contulimus. Commodiſſime porro; ferme ut, qui *Liguriæ* ampliori ſenſu acceptæ viciſſitudines noverit, is vel tantum audito HISTORIÆ LIGUSTICÆ nomine, hujus ut initium, ab S. Ambroſii ſcilicet obitu, ſic finem, in Cuniberti nimirum, aut, ſi mavis, Liutprandi Regno & Benedicti noſtri Pontificatu, intelligere ſtatim poſſit; quin & *Hiſtoriæ* quoque partitionem.

(16) *De Reb. Geticis* C. 42. inſ. *Rer. It. Scr.* T. I. p. 212. col. 2. A. (17) Pag. 519. & ſeq.

Opus quare trifariam diviſum.

III. Enimvero, quo tempore nobilis hæc Provincia *Liguriæ* nomen obtinuit, *Romanis* primum, mox *Gothis*, tum *Langobardis* obnoxiam fuiſſe, conſulto commemoravimus. Inde igitur Operis in Tres Libros diviſio. Sane tria Sæcula, quæ S. Ambroſii mortem ſunt conſequuta, Barbarorum irruptionibus quum fœdata identidem fuiſſent, tandem in eam calamitatem erupere, ut vi quadam fatali Romanum in Occidente Imperium, ac nomen pene ipſum prorſus extinctum interierit. Etenim iidem Barbari, collocato in Italia domicilio, etiam regnare auſi, initium Regni barbarici ſternente primum Odoacre, mox Theuderico Gothorum Rege ejuſque ſucceſſoribus Regnum ſtabilientibus. Gothis demum a Narſete exterminatis, in veteres imo majores calamitates hæc Italiæ pars recidit miſerrime, eaſque multo diuturniores; poſtquam Langobardi Regiam hic Sedem annos amplius ducentos fixam tenuere. Res igitur ipſa eo docebat, ut eadem illa Sæcula juxta diſcrimen triplicis Epochæ trifariam diſpertiremur. In res vero Eccleſiaſticas potiſſimum intenti, cum Hiſtoriam conſtituiſſemus inſcribere ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS, in Primo Libro appellavimus LIGUSTICAM ROMANAM, eam ætatem complexi, qua Romanis Auguſtis ſuberat adhuc Liguria: tum in Secundo Libro LIGUSTICAM GOTHICAM, ea perſecuti, quæ ad Gothicum Regnum ſpectarent: in Libro demum Tertio LIGUSTICÆ LANGOBARDICÆ titulum fecimus, in rebus geſtis Langobardorum, abs quibus orta molitio totius Operis, ſubſiſtentes.

Argumentum Libri I.

IV. Habe jam brevibus conſilium ſcribentis meum. Primus ſcilicet Liber ab obitu exordiens S. Ambroſii, Italiæ Diœceſeos venerandi ſemper Antiſtitis, ſimul complectitur initia dolorum Imperii Romani, & Liguſticarum ſeriem calamitatum Imperio eo labente & in ruinam proxime inclinante. In hoc itaque Libro, poſt repetitas ipſius Almæ Urbis clades populationeſque, ultimum deſcri-

Digitized by Google

bimus illatum a Barbaris Ethnicæ ſuperſtitioni exilium; tum vero Paſtorum noſtrorum in Liguſtico ovili moderando ac tuendo ſingularem prudentiam ac ſanctitatem nullis unquam caſibus labefactatam.

V. Perſequimur deinde Libro altero, perditis Romanæ Reip. rebus, reſtitutum per Theudericum Gothorum Regem Italiæ atque Liguriæ ſtatum; mox per ſuccedentium Regum vecordiam ſenſim dilapſum; expoſitum imo perviumque prædæ Francorum, qui denique Mediolanum miſerando excidio perdendam reliquere. Vices hìc Gothici Regni poſtremas atque finem expendentes, Narſetem admirabimur, tot Liguriæ vulneribus, & Schiſmati præſertim Aquilejenſi in noſtram Provinciam jam permananti, medicam manum viriliter apponentem. Eminebit interea, florente ejuſdem Theuderici regno, Diœceſeos noſtræ dignitas ac majeſtas ſub Laurentio I. Antiſtite, ac Succeſſoribus uſque ad regnum Theodahadi. Sub cujus infeliciſſimo imperio pulſus in exilium Datius, quum opem Eccleſiæ noſtræ ferre præſens non poſſet, univerſo Occidenti favere non deſtitit. Exul ille Conſtantinopoli, ibi ſemper, quoad vixit, animo præconcepta futuri Aquilejenſis Schiſmatis mala metuens & cavens, *Trium Capitulorum* damnationi interritus obſtitit. Verum, Eo extincto, quum anno mortem ejus conſecuto Vigilius Rom. Pontifex *Synodo Quintæ* tandem eſſet aſſenſus; Iſtri Epiſcopi claſſicum Schiſmatis cecinere. Quæ lues paulo poſt Mediolanum quoque annis prorſus XI. infecit; ſed eam Pelagius I. Papa conſiliis ac decretis primùm, mox Narſes, concordi ſtudio depulere. Argumentum Libri II.

VI. Tertium Librum implent Langobardorum Regum, quà impie, quà pie geſta. Huc ſpectat Epiſcoporum noſtrorum Genuæ in maritima Liguriæ parte illud veluti exilium ultra annos LXX.; in quem annorum curſum complures planæ Liguriæ viciſſitudines cadunt, memoria dignæ. Semina ſcilicet Religionis Catholicæ in Argumentum Libri III.

Digitized by Google

Regiam Langobardorum jacta per S. Gregorium ac Theudelindam Reginam, perque Bajoaricam hujus progeniem, identidem in Solio ſedentem, feliciter propagata: Mediolano reddita S. Ambroſii Sedes, Rotharis tempore, poſt maritimam Liguriam captam, Regnoque adjectam: Aquilejenſes demum Schiſmatici, quum Cuniberti Regis juſſu Papiam evocati eſſent, ejurato Schiſmate, cum Regiis Legatis Romam miſſi, & a Sergio Papa Catholicæ Eccleſiæ conciliati. Quæ concordia ex inedito hactenus ſupra memorato *Rhythmo* comprobatur.

Corollarium.

VII. Jam, nequid mancum atque mutilum legentibus occurrat, ſcriptionem noſtram clauſimus addita, coronidis loco, Appendicula ſive *Corollario*. Quo XXV. reliquos a Cuniberti obitu annos quibus ſedit Benedictus, perſequimur; ac nonnulla item de ejus Succeſſore Theodoro expendimus, ejuſdem Liutprandi fratre. Ut demum conſtet, poſt adeo varias belli ac fortunæ vices quod adhuc fuerit hoc tempore Mediolanenſis hujus Metropolis decus dignitas ac majeſtas, ſynchronum *Rhythmum De Laudibus Mediolani*, jam ſemel atque iterum a Viris Clariſſimis evulgatum, juvat exhibere recuſum tertiò, novisque animadverſionibus illuſtratum.

Civilis hiſtoria Eccleſiaſticæ admixta. Et cur.

VIII. Res autem cum ſacras, tum profanas quoque iisdem libris complecti placuit eo conſilio, ut certis ex profana hiſtoria comparatis luminibus ad Eccleſiæ etiam noſtræ Epiſcoporum ſtatuenda tempora certiora, quam hactenus, progrederemur, ſimul & eorum rebus geſtis, ævi præſertim calamitate identidem obſcuris, facem aliquam afferremus. Fatendum eſt enim, Majores noſtros, veteresque Hiſtoricos, certis chronologiæ legibus deſtitutos, tempora fœde permiſcuiſſe; recentiores vero aliquoties a temporum ratione aberraſſe, eò quòd neglectis profanæ hiſtoriæ ſubſidiis, & inobſervatis temporum calamitatibus aut vicibus annos, quot Antiſtes

Digitized by Google

quiſque in Pontificatu ſedit, ſtatuerint. Ex ea re factum, ut alios nimis intempeſtive accommodarent, alios ex *Catalogorum* fide unum alteri continuata ſerie ſufficerent, nulla habita ratione intermedii temporis, quo inter unius mortem alteriuſve ſucceſſionem aut neceſſitas, aut ratio Sedem vacaſſe poſtularet. Hinc aliquos ſediſſe Paſtores alieno admodum tempore credidere; nonnullorum vero Pontificatus ſpatium aut contrahere, aut protendere auſi ſunt; quum aut eorum temporum monumenta deliteſcerent, aut, quæ exſtabant, non admodum fideliter legerentur.

De ſynchronorum Scriptorum uſu, & Critice in iis adhibita.

IX. Hac autem ætate quum Scriptorum veterum teſtimonia ad limam atque incudem, Criticorum operâ, fideliſſime revocata facile terantur omnium manibus; quumque plurima in dies ſingulos emergant documenta, atque Ars chronologica velut in meridie verſetur; ferendum omnino non erat, quin vitiis illis, aut nævis remedium aliquod adhiberemus. Ac laudandi tamen alii ante hanc ætatem Scriptores, quod nobis viam quodammodo ad veritatem indagandam ſtravere: ſiquid autem in eo peccarunt, danda venia, gratiaque imo habenda, quòd poſteros exemplo ſuo periculum incurrendæ reprehenſionis cautius effugere docuerunt. Quod ut diſcrimen ſedulo præcaveremus, decrevimus in hanc *Hiſtoriam* nihil invehere, niſi ex ſynchronis Scriptoribus depromptum; ſed accurato judicio prius libratum, ne aut credulitatis nimiæ vitio laborare, aut nova, quæ proferremus, noſtro excogitaſſe marte crederemur. Veruntamen juſta hæc ſolertia nos in alios neceſſario ſcopulos impegit.

Quinam Auctores ſynchroni adhibiti ad Gothicâ & Langobardicam Hiſtoriam.

X. Dum enim in hac barbaricorum temporum caligine verſaremur, pauca admodum ſubſidia mutuari ab ejus ætatis Scriptoribus licuit. Quæ etiam fuit cauſa, ut apud Majores noſtros manca & primoribus deguſtata labiis, ne dicam ferme depoſita, hujus Ævi hiſtoria reperiatur. Juſtum igitur ut conflaretur Liguſticarum re-

Digitized by Google

rum barbaris iis Sæculis Volumen, confugiendum fuit ad *Miſcellæ*, *Procopii*, *Jordanis*, *Caſſiodorii*, *Ennodii*, *S. Gregorii Epiſtolarum*, denique *Pontificalis Libri*, conſuendas veluti lacinias; revocandaque ad trutinam fuerunt, quæ reliquit de noſtris regionibus *Paulus Diaconus* inferioris Langobardici Ævi Hiſtoricus. Scriptor is laborem poſterorum levare aggreſſus, potius oneravit, intertextis fabuloſis narrationibus, temporum ſerie identidem interturbata, hauſtiſque popularibus ex triviis & ſuburra rumoribus. Hinc neceſſitas exorta comparandæ invicem fidei atque auctoritatis, ut vera a falſis ſecernerentur. Hinc expiſcanda nova edita documenta ad retegendas Veterum fallacias; & inedita etiam in lucem producenda, quæ obſcura illuſtrarent, & incognita patefacerent.

De ſtilo Operis. XI. Haud inficior, adhibitam in veritate rerum elicienda diligentiam hiſtorici ſtili nitori ac ſuavitati nonnihil forſitan obfuiſſe. Qui enim venuſtatem Salluſtianam, aut preſſam Cæſaris elegantiam in hoc Opere, qualecunque ſit, deſideret, id mente recolat, velim, propoſitum noſtrum maximo intervallo diſtare ab inſtituto eorum e Noſtris, qui aut hoc Sæculo XVIII.°, aut etiam XVI.°, Aureæ illius Ætatis latinos Hiſtoricos imitando exprimere ſtuduerunt. Hi enim quum ſuorum plerumque temporum res geſtas ad narrandum propoſuiſſent, ea ſcriptis conſignabant, quæ oculis ſuiſmet viderant, quorum cauſas exploratas habebant, quorum demum exitus intuebantur. Plana itaque omnia & conſtituta ac recepta ut plurimum nactis vix aliud quidquam ſupererat negotii, quàm ut ea verbis ornarent. At nobis res ipſæ, de quibus ſcribendum ſuſcepimus, extricandæ, ſtatuendæ, vindicandæ erant: quod, qui in ſe receperit, eum neceſſe eſt identidem abrumpere narrationis curſum, ſæpe alio rſum divertere, refellere non raro aliena, mox hiſtoriam retexere, retextam verò meliori in lumine collo-

care,

Digitized by Google

care, interdum conciliare Scriptores inter ſe digladiantes, abſona emollire, contraria componere, hæſitando demum, pertentando, obluctando, anguſtias inter ac ſalebras paſſim incedere. Quare ii ipſi, qui noſtra ætate in rebus hiſtoricis tractandis ſpinoſam hanc ac plane criticam, & quaſi polemicam ſcribendi viam inſiſtere coacti ſunt, Viri quamvis acuti ac diſerti, in verborum delectu, & ornatu dictionis vix quidquam ponendum operæ cenſuerunt. Horum ſi ego ſequi exemplum voluiſſem, quis mihi ſuccenſeret? Malui tamen ſtili curam non omnino defugere: quædam etjam graviora facta Liviano more dilatanda & expolienda citra veritatis detrimentum putavi; quod ideo factum, ut occurrerem legentium tædio, & ſiccæ omnino ac jejunæ apud coævos Hiſtoriæ Scriptores aſperitatem narrationis delinirem.

XII. Nunc, ut de Operis ipſius vicibus dicam, accipe. Quintus jam annus agitur, ex quo perfectum abſolutumque, uti ſiſtitur, hoc Opus prælo committere conſtitueram. Veruntamen conflictata identidem morbis valetudo corporis, ſin minus ut abjicerem hanc cogitationem, ſaltem ut differrem Typographi operam, compulit. Tandem ſub initium ſuperioris anni, vixdum inchoari Editio eſt cœpta; cum in eum morbum incidi, ut Opus Poſthumum facile videretur inſcribendum. Sed demum ſemeſtri ferme inter morbum & conſequentem corporis languorem evoluto temporis ſpatio, Superis faventibus, recreatum, nullo reliquo mentis aut membrorum vitio præter hebetem oculorum aciem, atque inſanabilem ſenectutem, me plane conſolata eſt hujus Ambroſianæ Bibliothecæ Cuſtodis, Cæſaris a Cruce, diligentia atque ſollertia. Is enim ſuâ in prælo urgendo operâ effecit, ut Prima interim Pars e Typographi manibus eliceretur. Aſperrima conſequuta hiems nonnihil præli ipſius retardavit laborem, qui appetente ſerò nimis vere inſtauratus tandem Editioni finem impoſuit. Operis vices.

Digitized by Google

Proœmii concluſio.

XIII. Habes igitur hujus Operis cauſas, Scriptoris conſilium, & vices. Certe in iſta, qualiſcunque ſit, Scriptione hoc unum fuiſſe mihi propoſitum ſcio, ut veritatem inquirerem, non gloriam. Ut VERITAS enim ipſa teſtatur: * *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Hoc tamen fateri, ac præ me ferre non vereor: ſi Opus hoc noſtrum lecturi lucem aliquam deprehenderint Hiſtoriæ noſtræ aſperſam in tanta Sæculorum caligine, recreabit me ſuſcepti laboris fructus; certe uberrimus, ſi Sanctorum Mediolani Antiſtitum res geſtæ, labores, & pericula certis velut indiciis teſtata, ſuiſque apte definita temporibus doctorum hominum judicio exiſtimentur.

* Jo. c. 8. v. 54.

LIBER I.

Digitized by Google



Attila diffugientibus ad montes civibus, Mediolanum incendit.

S. Max *Nom.* XCIV.

LIBER PRIMUS

Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoria LIGUSTICA ROMANA ab obitu S. Ambroſii Mediol. Epiſcopi, & S. Simpliciani ſucceſſione, ac ſubſequentium Epiſcoporum uſque ad Theodorum I., ſimul & ab Honorii & Arcadii Augg. Imperio; nec non ab Alarici, Rhadagayſi, atque Attilæ Barbarorum in Italia irruptionibus uſque ad Occid. Imperii interitum, atque Erulorum ſub Odoacre invaſionem, ejuſque in Italia regnum. Ab Æra Vulg. anno CCCXCVII. ad CDLXXXVIII.

CAPUT PRIMUM.

Eccleſiæ Mediolanenſis imminuta dignitas poſt mortem S. Ambroſii. Hujus imminutionis cauſæ.

* Anno CCCXCVII.

MEdiolanenſem Sedem Italicæ Diœceſeos caput quemadmodum vivente Ambroſio ſummum dignitatis & gloriæ faſtigium tenuiſſe, apud omnes indubitatum eſt; ita * poſt ejus obitum aliquid identidem de veteri ſplendore remiſiſſe non auſim inficiari. Neque velim, quod ejus majeſtas defloruerit, id quiſquam vitio vertat ſedentium in ea per ſub-

Digitized by Google

ſequentia tempora Antiſtitum, quorum nunquam intermortua laus fuit; ſed id temporum atque occidentis ſenſim Imperatoriæ dignitatis fato accidiſſe, fateamur neceſſe eſt: quum poſt Theodoſium I., cui, ut ethnici poetæ Claudiani (1) verbis utar, Deus ipſe *militabat*, nullus unquam eo nomine dignus Imperator Romanæ urbis & ditionis habenas ſit moderatus, qui par labefactatæ dignitati reſtituendæ, imo dumtaxat reliquiis ſuſtinendis crederetur. Itaque Theodoſio defuncto quum mors Ambroſium quoque triennio ferme poſt intercepiſſet, veriſſime aut vaticinatus eſt Stilico (2) exclamans: *quod, tanto Viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ*, aut, ſi credamus (3) Claudio Rutilio, gemino illo munimento Theodoſio & Ambroſio nudata Italia, patere ſibi tutiſſimam viam ad eam prodendam atque occupandam perduellis Stilico exiſtimavit. Verumtamen antequam Stiliconis proditio manifeſtis teneretur indiciis, tam caute ac fortiter in ſpeciem pro Aug. Honorii Imperio decertare viſus eſt, ut Auguſtus ipſe unum Stiliconem veluti Italiæ aggerem ac firmamentum amplecteretur. Hinc quum jam illum Theodoſius Serenæ (4) ex fratre filiæ nuptiis honeſtaſſet, Honorius ipſe Mariam ac

(1) In *Panegyr. de III. Conſul. Honorii* p. 129. Edit. Pariſ. 1602.

„ O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
„ Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
„ Et conjurati veniunt ad claſſica venti

(2) Ap. Paulin. in *Vita S. Ambr.* n. 45. In Append. Opp. S. Ambr. Ed. Pariſ. 1690.

(3) In *Itinerario* L. 2. v. 41. & ſeqq. Edit. Amſtel. 1687.

„ Quo magis eſt facinus diri Stiliconis acerbum,
„ Proditor arcani qui fuit imperii,
„ Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
„ Crudelis ſummis miſcuit ima furor:
„ Dumque timet quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
„ Immiſit Latiæ barbara tela neci.

(4) Serena, defuncto patre, a Theodoſio patruo adoptata fuerat, ut innuit Claudianus *De laudibus Serenæ*. p. 213. a tergo:

Digitized by Google

poſt hujus obitum Thermantiam Serenæ ac Stiliconis filias ſibi matrimonio ſociaverat, & parentis proinde loco eum habebat. Quumque hic paternas Imperatorias omnes virtutes in ſe deſiderari aperte cognoſceret, præter pietatem ac religionem, quarum ſemper retinentiſſimus fuit; in militari Stiliconis ſcientia, utinam fide! ſemper exinde tutiſſime conquievit. Quare in unum hunc Ducem Cæſaris conſanguineum omnium oculi erant converſi, eum unice admirabantur Romani, & Conſulem etiam renuntiatum, & Claudiani Carminibus (5) celebratum univerſa ſuſpexit Italia reip. columen atque præſidium. Sibi famam hanc atque gloriam comparaverat Stilico anteqnam IV. Sæculum exiret. Etenim, qui Gothi a Valente prius anno CCCLXXVI. cis Danubium evocati, deinde anno CCCLXXXII. a Theodoſio ad ipſius Imperii defenſionem & ſtipendia adſciti fuerant, atque egregie militia functi, ſub Honorio V.[1] Sæculi initio in ipſius Imperii perniciem conſpiravere. Quibus motibus aſſenſi (6) Duces *Alaricus* & *Rhadagayſus*, perruptis Alpium Juliarum clauſtris, quum aliquando in Venetiæ finibus volitaſſent impune, tandem ſuperveniente cum copiis Stilicone, & deinde progreſſo Altinum uſque Honorio ipſo, qui illuc e Mediolanenſi Sede convolaverat, excedere Italiæ finibus coacti, & ita conatu depulſi ſunt, ut tamen ad ejus poſſeſſionem, veluti ad illius clauſtra pererrantes ac frementes, aſpirare non ceſſarent.

Defuncto Genitore tuo, ſublimis adoptat
Te Patruus.

Hic Serenæ pater & Theodoſii frater, & ipſe *Honorius* vocabatur: Theodoſius enim, ut ex Claud. ibid. p. 214.

„ Addidit & proprio germana vocabula nato

Idem affirmat etiam Claver. in notis ad Claud. *de VI. Honor. Conſul.* p. 164. a ſerg.

(5) *De Bello Getico* ſive *de victoria Stiliconis contra Alaricum*, & in *Panegyricis* tribus Stiliconis, & alibi paſſim. (6) Vide Murator. *Annali d' Italia* ad ann. 400. T. 2. p. 582.

Simplicianus Ambroſio ſuccedit. Ejus res geſtæ. Metrop. Mediol. dignitas. Gothi Alarico & Rhadagayſo ducibus ad Italiæ clauſtra inhiantes a Stilicone repelluntur.

II. Hæc porro armorum quies, licet a ſecuritate disjuncta, locum dedit Simpliciano Ambroſii ſucceſſori, ut ſancte omnes Paſtoris partes & egregie impleret. Hic ille eſt, qui tanti Anteceſſoris morientis (7) teſtimonio, & S. Auguſtini præconio (8) laudatus fuerat. Vigilii Tridentini & tum Provinciæ ſuæ Epiſcopi ad eum litteræ (9) deferuntur, in quibus de catholicæ Fidei in Ananiæ Valle triumphus declaratur, & de SS. MM. Siſinnii, Martyrii, atque Alexandri glorioſo certamine certior redditur. Neque omittam eorum trium Martyrum Corpora, non aliquas tantum particulas (demptis unice capitibus Tridenti a Vigilio aſſervatis) ab eo ſancto Epiſcopo ad Simplicianum tranſmiſſa, atque ab hoc in cognomine Baſilica recondita ut vetus fert noſtra traditio & Ipſorum oſſium pluries facta (10) recognitio. Neque id obſcure ex Paulini narratione (11) evincitur de Cæco eo, qui *tacto loculo, in quo Sanctorum reliquiæ portabantur, viſum recepit*, quum antea illi apparens in ſomnis S. Ambroſius dixiſſet: *Perge Mediolanum, & occurre fratribus meis, qui illo venturi ſunt*: quo ſane loquendi modo uſus non eſſet Ambroſius, ſi *reliquiæ* tantum aliquæ, non ipſi Martyres, ſeu ipſorum Corpora huc delata fuiſſent. Ad Metropolitani ſcilicet Epiſcopi noſtri curam atque notitiam de-

---

(7) Paulin. in *Vita S. Ambr.* n. 46. *Per idem tempus, cum in extrema parte porticus, in qua jacebat* (Ambroſius) *in uno poſiti Caſtus, Polemius, Venerius & Felix tunc Diaconi ſecum tractarent, voce ita preſſa, ut vix ſe invicem audirent, quis poſt obitum illius Epiſcopus ordinandus eſſet atque cum de nomine Sancti loquerentur Simpliciani, tanquam intereſſet tractatui, cum longe poſitus ab ipſis jaceret, approbans exclamavit tertio:* Senex ſed bonus. *Erat enim Simplicianus ævi maturus. Qua voce audita expaveſcentes fugerunt; defuncto tamen eo, non alius illi ſucceſſit, niſi is, quem Ille* bonum ſenem *trina voce ſignaverat.* (8) In Lib. *Confeſſ.* præſertim & alibi paſſim. (9) Ruinart. in *Act: M.M.* pag. 609. Edit. Amſtel. 1713. Ibid. in marg. notatur annus 397. ſed Baronius refert ad an. 400. Vide ad h. ann. n. II. & VIII. Pagius tamen in Notis deſignat annum 397. (10) Vide *Hiſtoriam Translationis a S. Carolo Borromæo celebratæ*, & a D. Placido Puccinelli deſcriptæ, in *Act. SS.* T. 7. Maji p. 45. & ſeqq. (11) *In Vita S. Ambr.* n. 52.

ducenda erat glorioſi illius certaminis victoria, in qua explananda Simplicianum Vigilius (12) *Patris* nomine compellat; ubi obiter lubet obſervare, in vetuſtiſſimis noſtræ Eccleſiæ litaniis, quæ etiamnum recitantur in Triduanis Rogationibus, ac Adventus & Quadrageſimæ feriis, SS. Provincialium hujuſmodi Epiſcoporum, puta *Vigilii*, *Zenonis*, *Proculi*, *Abundii*, *Syri &c.* nomina invocari ſemper conſueviſſe, imo antiquitus Templa etiam eorum nomini dicata exſtitiſſe atque adhuc exſtare. Sed ut ad Simplicianum redeam, quid dicam de honorifica legatione ab Afrorum Epiſcopis ad eundem miſſa, ut eum æque ac Romanum Pontificem conſulerent, num Donatiſtæ infantes baptizati & ad Fidem converſi poſſent ad ſacros Ordines promoveri? En ipſa Decreti verba (13). *De Donatiſtis placuit, ut conſulamus fratres & conſacerdotes noſtros Siricium & Simplicianum de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eoſdem, ne (quod ſuo non facerent iudicio) eum ad Eccleſiam Dei ſalubri propoſito fuerint converſi, parentum illos error impediat, ne promoveantur ſacri altaris miniſtri*. Tanti igitur faciebant Africani illi Patres Simpliciani reſponſum, quanti Siricii ipſius ſententiam æſtimabant, quum gemina illa unica ſuſpicerent Italiæ univerſæ lumina, ut ex eorum æque reſponſo ad deliberandum penderent: pari ſane ratione, qua, quum ſederet Ambroſius, teſtatus eſt ex (14) Theodorito Caſſiodorius (15) hiſce verbis: *Tunc* (ſcilicet imperante Valentiniano) *apud Heſperiam Damaſus Romanus, & Ambroſius Mediolanenſis ſpiritalibus iaculis feriebant hoſtes . . . . . Hos divina Providentia gubernatores in fluctuatione*

(12) Initio Epiſtolæ editæ in *Act. SS.* T. VII. Maji, ad diem 29. pag. 41. It. ap. Ruinart. in *Actis MM.* pag. 609. Edit. Amſtelodami. (13) *Concil. Carthag. III.* ap. Labbé T. 2. col. 1777. It. in Collect. *Can. Afric.* ibid. c. 1644. It. ibid. in *Codice Canon.* Gr. Lat. *Eccl. Afric.* col. 1072. (14) *Hiſt. Eccleſ.* L. 4. c. 30. Edit. Henrici Valeſii pag. 186. (15) *Hiſt. Eccleſ. Tripartita* L. 8. c. 10. V. etiam Sulp. Sev. *Sac. Hiſt* L. 2. p. 443. Ed. 1581.

præparavit, *& militum ſapientiſſimos duces*. Quod non eo dictum velim, quo parem in utroque dignitatem aſſererent, & Patriarcham Occidentis Siricium negarent (aliud enim eſt (16) Patriarchicum jus, aliud Metropoliticum) ſed quo in utroque Metropolitanum, in illo ſuburbicariæ Provinciæ, in hoc Italiæ venerarentur. Qui quidem Simplicianus Metropolita Italiæ & Gaudentium Novariæ Epiſcopum jure a Canonibus Eccleſiæ, non a Pontifice extra ordinem, ut adverſarii nonnulli clamitant, accepto conſecravit, & a Tridentino Epiſcopo Vigilio ornatus eſt pari honore litterarum, ac (17) Joannes Chryſoſtomus Conſtantinopoleos Epiſcopus, ad quorum utrumque honorifice & pari tenore de SS. Anaunenſium ſupradictorum martyrio leguntur epiſtolæ. Neque enim minori in pretio Metropolitanum ſuum Simplicianum habuit S. Gaudentius Brixianus Epiſcopus, quum Baſilicam, ſeu (*) *Concilium Sanctorum* dedicare vellet, paulo poſt annum, ut optime obſervavit (18) Cl. Galeardus, CCCXCVII. Quum enim in hujus Dedicationis Oratione (19) lætetur Gaudentius, quod in ea Solemnitate *convenerunt ſancti Antiſtites & Apoſtolici Viri &c. licet importunitas Barbarorum maximam partem celebritatis ſubtraxerit*, *ne ceteri ſancti Antiſtites*, *quos interfuturos credidimus*, *advenirent*; certum eſt, non potuiſſe Simplicianum metu belli ab ea celebritate abeſſe, quum per eos annos facta ſit ea Dedicatio, de quibus loquens Hieronymus (20) ſcribit: *Viginti & amplius anni ſunt*, *quod inter Conſtantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effun-*

(16) Vide Sirmond. *Propemptici* L. 2. c. 1. Opp. T. IV. col. 181. Edit. Pariſ. 1696. (17) Ruinart. cit. p. 610. & Papebroch. *Act. SS.* ad diem 29. Maji cit. p. 42. (*) Id nominis ſortita eſt hæc Baſilica, quod plures ibi SS. MM. Reliquiæ conditæ eſſent. (18) In Notis ad Collect. *Homil.* Veterum Brixian. PP. Ed. Brixiæ 1738. p. 339. Nota (e). (19) Ibid. pag. 336. (20) Epiſt. ad *Nepot.* ap. Galeard. ibid. p. 317. Nota (c).

ditur. Poterant igitur Venetiæ ſolum & Hiſtriæ Epiſcopi armorum ſtrepitu deterreri, quominus in ea Dedicatione adeſſent, non autem Metropolitanus Liguriæ cum Æmiliæ Epiſcopis. Quod autem Simpliciani tempore peractam eam Dedicationem a Gaudentio credamus, illud facit, quod ipſe in Sermone ſuo exponit: nimirum enumerans S. Jo. Baptiſtæ, & SS. Andreæ, Joannis, & Thomæ Apoſtolorum, & Lucæ (præter SS. Protaſii, Gervaſii, atque Nazarii Sanguinem) & Quadraginta Martyrum cineres a M. Baſilii neptibus in Oriente, dum ibi verſaretur, acceptos, recenſet etiam *ſanctos cineres Siſinnii, Martyrii, & Alexandri, quos nuper in Anaunia venerandæ Religionis cultui attentius inhærentes gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremavit*. Hos autem Chriſti teſtes martyrium obiiſſe Simpliciano ſedente, ſuperiores S. Vigilii Litteræ, & Paulinus (21) in Vita S. Ambroſii certiſſime teſtantur. Adde illam commemorationem Barbarorum eam celebritatem interturbantium, quæ mea quidem ſententia referri debet ad Simpliciani Pontificatus tempus, & * Alarici ac Rhadagayſi in Pannonia motus, qui deinde primo Italiam anno CD., Alpes Julias tranſcendentes & clauſtra montium perrumpentes, ſunt ingreſſi, ſed viriliter a Stilicone repulſi, ad earum Alpium radices ſubſiſtere coacti ſunt. * An. CD.

III. Depulſis ex Italia, ad quam cupiditatis oculos adjecerant, Tyrannis, brevis in Liguriam tranquillitas invehi viſa eſt; ſed interim Pontificatu & vita defunctus triennio vix exacto Simplicianus (22) XVIII. Kal. Sept. anni CD., apud Anauniæ Marty-

S. Antiſtitis Simpliciani mors. Huic Venerius ſuccedit. Ejuſdem pro Eccleſia labores.

(21) Num. 52. cit. (22) Sic in Catalogo noſtro vetuſtiſſ. MS. C. 133. P. Inf. edito a Mabill. in *Muſ. Ital.* T. 1. P. 2. p. 109. Edit. Pariſ. 1724. & a Papebrochio in *Exegeſi ad Acta SS.* T. 7. Maji p. LVII. *Simplicianus ſed. an. X.* [erratum pro III. vel IV.] *dep. XVIII. Kal. Sept.* Pagius tamen in Notis ad Baron. ad ann. 400. Nota I. probat obiiſſe ante diem 29.

Digitized by Google

rum leipſana, quæ in Baſilica *S. Simpliciani* exinde appellata paulo ante repoſuerat, depoſitus, vacuam Ambroſii Sedem alteri ex Ambroſiana ſchola (23) profecto, Venerio ſcilicet reliquit, Antiſtiti præclaris (24) SS. Ambroſii & (25) Auguſtini teſtimoniis laudato, quo moriente Italiæ etiam tranquillitas interiit. Vix dum ad Sedem evectus Venerius (26) ab Anaſtaſio Rom. Pontifice monitus per litteras, ut evigilaret ſolerter, nequa Italiæ pars Origenianorum errorum labe inficeretur, ſedulam adeo navavit operam, ut ipſius labores ad illos comprimendos ſuſcepti etiam a S. Hieronymi e Palæſtina in Rufinum ſcribentis hoc præconio (27) ornarentur: *Ergo beati Epiſcopi, Anaſtaſius & Theophilus &* Venerius *& Chromatius, & omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus, qui pari ſententia, quia pari & ſpiritu, illum hæreticum denunciant populis, fures librorum illius* (Origenis) *iudicandi ſunt; & quando in Eccleſiis prædicant, non Scripturarum myſteria, ſed Origenis furta commemorant.* Sin vero rimari attentius Venerii meritum velimus in depellenda hac a grege ſuo macula, luber obſervare, quæ Anaſtaſius Romanus in citata Epiſtola ad Jo. Hieroſolymitanum ſubdit: *Illud quoque, quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui, beatiſſimorum Principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens ab Origenis lectione revocetur: damnandumque ſen-*

Jun. Invenitur in vetuſtiſſimis Kalend. ejus depoſ. commemoratio ad diem 18. Aug., ſed ratione feſti Aſſumpt. B. V. M. translata in ſeq. diem.

(23) Paulin. in *Vita S. Ambr.* p. 46. (24) Ap. Paulin. ibid. (25) Lib. *Confeſſ.* paſſim. (26) Epiſt. ad Jo. Hieroſolymit. *Concil.* T. 2. col. 1195. C., in qua Anaſtaſius, exſecrans Origenis translationem a Rufino factam, ſic ait: *Quare noſce, qualem Epiſtolam ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum* Venerium *diligentiori cura perſcriptam parvitas noſtra tranſmiſerit, ſibique hanc conſcientiam fecerim, quod non ſuperfluo laborem formidine, neque vano timore ſollicitor.* De hac Anaſtaſii ad Venerium Epiſtola deperdita vide Conſtant, *Epiſt. Romm. Pontiff.* col. 731. n. IV. (27) Adv. Rufin. L. 2. Opp. T. 4. P. 2. col. 417. Edit. Pariſ. 1706.

Digitized by Google

ſententia Principum, quem lectio rerum profana prodiderit Pronum enim eſt credere, Venerium adlaboraſſe, ut Honorii Edicto Origenis translatio configeretur ex ſuo ipſius conſilio, qui facile Honorium tum Mediolani ſedentem potuerit exorare, ut Legem hanc ferret. Neque ſuam dumtaxat, ſed & aliorum quoque, eodem tempore, Ejus Paſtoralis cura ornavit Eccleſias. Nam (28) * legatione accepta a PP. Synodi Provincialis Carthaginienſis, qua rogabatur, ut inopiæ Clericorum iis in partibus ſubveniret, quamvis ſanctionibus jam factis prohiberentur aliò Clerici tranſmigrare; tamen igne caritatis ſuccenſus, quum ſciret *nullum ibi Diaconum vel illiteratum reperiri*, Venerius illuc (29) Paulinum ex noſtro Clero delectum tranſmiſit, qui egregiam illi Eccleſiæ navavit operam. Hic enim catholicis Epiſcopis ſignum veluti ſuſtulit ad occultam Pelagii peſtem ipſo in exordio comprimendam, ne magno fidelium damno invaleſceret, ac deinde S. Auguſtini precibus motus S. Ambroſii res geſtas luculenter ſcriptis conſignavit, quibus illius Epiſcopi acta immortalitati ſunt conſecrata.

* An. CDI.

IV. Vehemens interim cura ſollicitabat Honorium propter Barbaros Italiæ faucibus adhuc inhærentes; quare, quum apud nos ageret, legem ſanxit (30) ipſo anno CDI. de Muris Romæ reſtituendis, noviſque exſtruendis Almæ Urbis munitionibus. Eaque de

Gothi Alarico duce in Venetiæ fines movent; in Liguriam irrumpunt. Honorii Aug. in Aſtenſi Urbe vix ſubſiſtentis pavor: ibi ab Alarico obſidetur. Superveniente Stilicone Alaricus ad Pollentiam vincitur.

(28) In Concilio Africano, quod incipit: *Poſt Conſulatum Flavii Stiliconis* [ideſt anno 401.] *XIV. Kal. Julias*, Concil. T. 2. col. 1642. & Baron. ad hunc annum n. V. (29) Baron. ad ann. 401. cit. n. VII. (30) Vetus id docet Inſcriptio ap. Gruter. p. CLXV. n. 1. ſic exarata: *S. P. Q. R. Impp. Caeſſ. DD. NN: Invictiſſimis. Principibus Arcadio. Et. Honorio. Victoribus. Ac Triumphatoribus. Semper. Augg. Ob. Inſtauratos. Urbis. Æternæ. Muros. Portas. Ac. Turres. Egeſtis. Immenſis. Ruderibus. Ex. Suggeſtione ...... Fl. Stiliconis ...... Curante. Fl. Macrobio. Longimano. V. C Praefecto Urbis D. N. M. Q. Eorum.* Claud. *de VI. Conſ. Hon.* p. 160. ait: *Addebant pulchrum nova Mœnia vultum*. Vide Murator. ad ann. 401.

Digitized by Google

cauſa paulo poſt (31) Altinum uſque in Venetiam iterum progreſſus, ut e proximo Gothorum motus præſens inſpiceret, animo præſagiebat
* An. CDII. illorum machinamenta in ipſum caput Imperii. Hinc * timore percitus, quum ſibi tutè, ut rebatur, Mediolani conſiſtere non liceret, præſentia ſua privavit Italiæ Metropolim, & in Flaminiam contendens, Ravennæ, tum in urbe Flaminiæ munitiſſima, Sedem Regiam collocavit. Neque vanus futurorum interpres Auguſti metus fuit: II.° quippe ineuntis ſæculi V.¹ anno motis repente ex Juliis Alpibus caſtris, ſolus Alaricus renovato exercitu Italiæ fines iterum eſt ingreſſus. Qui tunc Italiæ pavor fuerit, quæ Aulæ trepidatio, perbelle exponit (32) Claudianus, qui tum Stiliconis gratia florens, atque in Aula verſatus, teſtis & oculatus fuit, & incommodi cumprimis particeps. In tam ancipiti caſu (33) conſtituti Honorius & Romani aliò tranſmigrare parabant, ut tantam belli molem jam inſtantem declinarent. Unus Stilico ignava hæc conſilia disjecit, & Honorium jam Gallias cogitantem, pudore propoſito, revocavit, compulitque ut Aſtæ valido cum præſidio incluſus ejus adventum

---

(31) Murat. ibid. (32) *De Bello Getico* p. 113. a tergo. Edit. cit.

„ Nonne velut capta rumor miſerabilis Urbe
„ Trans freta, trans Gallos, Pirenæumque cucurrit,
„ Famaque nigrantes ſuccinta pavoribus alas
„ Secum cuncta trahens &c.
„ Inſolito belli tremefecit murmure Thulen?

(33) Graphice hunc timorem Romanis objicit idem Poeta pag. cit.

„ Sic mihi tunc major Stilicho, cum læta periclis
„ Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
„ Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
„ Turribus invalidis fragiles procumbere muri?
„ Ferrataque Getis ultro ſe pandere portæ?
„ Nec vallum denſæque ſudes arcere volantes
„ Cornipedum ſaltus: jamjam conſcendere puppes,
„ Sardooſque habitare ſinus & inhoſpita Cypri
„ Saxa parant, vitamque freto ſpumante tueri &c.

Digitized by Google

ſumma cum feſtinatione, cum copiis, brevi futurum patiens opperiretur (34). Itaque, liget rigente ſumma hieme, tranſvectus Larium Lacum Stilico, emenſus raptim Alpium obſita nivibus juga, repentino ac inſperato adventu ſeditiones omnes in Vindelicis præſens compreſſit, ibique collectis ex Germania auxiliis, & præſertim Romanis legionibus ex Rheno, & Rhætis in ſubſidium evocatis, imo etiam Britannica legione adjuncta, juſtum conflavit exercitum, & ſæviente adhuc hiberno tempore in Italiam citatiſſime regreſſus ad Adduam ſubſiſtit, ubi ſcilicet, ut reor, ad Aureoli Pontem Hoſtis amnem trajecturo obſtiterat. Quum auxiliariæ vero acies lente procederent, & immineret jam in Aſtenſe vallum Alaricus, ſummoque in periculo verſaretur Auguſtus, im-

(34) Exprobrat Stilico hæc omnia multis propoſitis rationibus, ap. Claud. ibid. p. 115.
„ Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
„ Reſpicitis? Latione libet poſt terga relicto,
„ Longinquum profugis Ararim præcingere caſtris?
„ Scilicet Arctois conceſſa gentibus Urbe
„ Conſidet Regnum Rhodano, capitique ſuperſtes
„ Truncus erit, veſtros ſtimulant ſi pignora ſenſus,
„ Me quoque non impar naturæ cura remordet,
„ Nec ferro ſic corda rigent, ut noſſe recuſem
„ Quam ſanctum Soceri nomen, quam dulce mariti,
„ Quantus prolis amor: ſed nunquam oblita decoris
„ Obſcœnam latebram pietas ignava requiret,
„ Neu vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
„ Hic Conjux hic progenies hic rarior omni
„ Luce Gener; pars nulla mei ſubducta procellæ.
„ Accipe, tu noſtræ tellus Œnotria mentis
„ Pignora, communes tecum ſubeuntia caſus,
„ Exiguamque moram Muris impende tuendis,
„ Dum redeo lectum referens in claſſica robur.
„ His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
„ Pectora, migrantiſque fugam compeſcuit Aulæ.
„ Auſaque tum primum tenebris emergere pulſis
„ Heſperia, ut ſecum junxiſſe pericula vidit
„ Auguſtum, tantoque ſui ſtetit obſide fati.

patiens moræ Stilico, licet copiis inferior, viam Suis apertens cis Adduam, per mediam Gothorum aciem ſtrenue adeo irruit, ut improviſo metu perculſi hoſtes retro diſſipati cederent, ipſe citato agmine adventus ſui prænuncio trans Padum progreſſus, & feſtinato itinere legiones non longe ſubſequentes atque identidem advenientes colligens, quo metu Honorium liberavit, eodem plane perculit Alaricum (35). Promoto igitur exercitu, qui ſenſim con-

---

(35) Juvat facti hujus ſeriem audire ex Honorio ipſo, quem pulchre Claudianus (*De VI. Honor. Conſul.* p. 159. init. edit. cit.) inducit loquentem. Et nequis Vatis hujus verba poetice potius, quam vere dicta interpretetur, recolat animo, hoc Epinicium a Claudiano prolatum in ipſa Romana Urbe, coram ipſis Honorio & Stilicone & Ducibus atque Militibus, qui bellum ipſum ſtrenue confecerant, coram quibus mentiri aut ſummæ audaciæ, aut ingentis fuiſſet periculi.

. . . . „ Unum,
„ Si famâ nondum patuit, te, Roma docebo,
„ Subjectum noſtris oculis, & cujus agendi
„ Spectator, vel cauſa fui: populator Achivæ
„ Biſtoniæque plagæ, crebris ſucceſſibus amens,
„ Et ruptas animis ſpirans immanibus Alpes,
„ Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
„ Tutior auxilio brumæ; quod gentibus illis
„ Frigore conſuetis favet inclementia cæli,
„ Meque minabatur calcato obſidere vallo,
„ Spem vano terrore fovens, ſi forte remotis
„ Præſidiis, urgente metu, qua vellet, obirem
„ Conditione fidem; nec me timor impulit ullus;
„ Et Duce venturo fretum, memoremque tuorum,
„ Roma, Ducum, quibus haud unquam vel morte parata
„ Fœdus lucis amor pepigit diſpendia famæ.
„ Mox & per Latium ſtellarum more videbam
„ Barbaricos ardere focos; jam claſſica primos
„ Excierant vigiles, gelida cum pulcher ab Arcto
„ Adventat Stilicho: medius ſe clauſerat hoſtis
„ Inter me & Socerum, pontemque viamque tenebat,
„ Addua qua ſciſſas ſpumoſior incitat undas.
„ Quid faceret? differret iter? diſcrimina nullas
„ Noſtra dabant adeunda moras; perrumperet agmen?
„ Sed paucis comitatus erat: nam plurima retro,

ſtatus ex Alanis Rhætiſque ac Romanis legionibus advenerat, per Liguriam ab hoſte vaſtatam, Aſtenſem civitatem & Auguſtam Familiam adventu ſuo tantum recreavit, quantum Alarico pœnitendum inceptum ſuum fecit (36). Revera compulſus, ſuperve-

„ Dum uobis properat ſuccurrere, liquerat arma
„ Extera, vel noſtras acies; hic ille locatus
„ Ancipiti, longum ſocias tardumque putavit
„ Exſpectaſſe manus, & noſtra pericula tendit
„ Poſthabitis pulſare ſuis, mediumque per hoſtem
„ Flammatus virtute pia, propriæque ſalutis
„ Immemor, & ſtricto proſternens obvia ferro
„ Barbara fulmineo fecuit tentoria curſu.

Mox facta comparatione Stiliconis cum Diomede & Ulyſſe Rhæſi equos abducentibus, ſic proſequitur. Ibid. pag. 159. a tergo.

„ Ecce virum, taciti nulla qui fraude ſoporis
„ Enſe palam ſibi pandit iter, remeatque cruentus,
„ Et Diomedæis tantum præclarior auſis,
„ Quantum lux tenebris manifeſtaque prælia furtis.
„ Adde quod & ripis ſteterat munitior hoſtis,
„ Et cui nou vigilem fas eſt componere Rhæſum
„ Thrax erat; hic Thracum domitor: nou tela retardant;
„ Objice nou hæſit fluvii.

Expoſito poſtmodum Coclitis Horatii contra Perſenam & Tarquinios certamine ſic concludit. Ibid.

. . . . „ Celer Addua noſtro
„ Sulcatur Socero: ſed cum tranſnaret Hetruſcis
„ Ille dabat tergum, Geticis hic pectora bellis.

(36) Utriuſque ſenſus deſcribit Claudianus, quem ſynchronum Auctorem preſſo veſtigio ſequimur. *De Bello Getico* pag. 117. a tergo ſub fin.

. . . . „ Quis gaudia vero
„ Principis, amplexus alacris quis differat Aulæ?
„ Pulveris ambiguam nubem ſpeculamur ab altis
„ Turribus . . . .
„ Donec pulvereo ſub turbine, ſideris inſtar
„ Emicuit Stilichonis apex, & cognita fulſit
„ Canicies, gaviſa repens per mœnia clamor
„ Tollitur, Ipſe venit: portas ſecura per omnes
„ Turba ſalutatis effunditur obvia ſignis.

E contra Alaricus. Ibid. p. 118.

. . . . „ Qui vertice proximus aſtris
„ Poſt Alpes jam cuncta ſibi promittit apertas,

Digitized by Google

niente Romano exercitu, Alaricus ab Aſtenſibus munimentis receſſ dere, caſtramentatus fuerat ad *Urbem* (vulgo *l'Orba* vel *Urba*) tum Liguriæ, poſtmodum Langobardiæ fluvium, qui ex Apenninis montibus in *Bormiam*, ſive *Bormidam* in Agro nunc Alexandrino primum influens, conjunctis aquis inde Tanarum auget. Contra Stilico juſſas cohortes & auxilia ipſi Alarico oppoſuerat, novoque veluti vallo militum Honorium munierat intra Aſtenſia munimenta deliteſcentem. Ver jam appetebat, & refectis poſt citata toties itinera vix copiis ad exſultantem Barbarum comprimendum, & delendam Imperii labem, juſtum prælium non impares viribus Romani a Duce ſtrenue depoſcebant. Statutus itaque, teſte (37) Oroſio, ad pugnam dies VI.^{us} Aprilis, in quem eo anno Paſchalis Solemnitas incidit, ſummiſque utrinque viribus depugnatum ad Pollentiam Vicum; qui exinde magnum nomen habuit, ſed ad hoc temporis rudera etiam & nomen ferme amiſit, ad Tanarum amnem olim ſitus. Urebat Alaricum Italiæ amittendæ dolor, Stiliconem liberandæ ira ſtimulabat. Quare diſſipatis jam Alanis auxiliaribus, eorumque Duce Saule interfecto, quum Gothi impetum in Romanos facerent, reſtituit acrius certamen Stilico immiſſis legionibus Romanis; quæ nullibi pedem referentes tanta virtute prælium redintegrarunt, ut fuſis undique hoſtium ordinibus, & cædis avidiſſimæ, per ſtrata cadavera in ipſa quoque ſta-

---

„ Nil ſupereſſe ratus; poſtquam tot flumina pulſis,
„ Cinctaque fluminibus crebris tot mœnia cernit,
„ Tot ſubito pedites, equitum tot conſpicit alas,
„ Seque velut clauſum laqueis; ſub pectore furtim
„ Æſtuat, & nimium prono fervore petitæ
„ Jam piget Italiæ, ſperataque Roma teneri
„ Viſa procul, magni ſubeunt jam tædia cœpti.

(37) Pauli Oroſii Presbyteri Hiſpani *Adverſus Paganos Hiſtoriarum Libri Septem*; L. 7. c. 37. pag. 567. Edit. Lugd. Batav. 1738. in 4.

ſiva irruerint; & præda neglecta, multa captivorum millia (quos inter etiam Alarici filii & nurus) vinculis obſtrinxerint, nec minorem Italorum numerum jam antea Fidei cauſa in ſervitutem redactum ex hoſtium poteſtate vindicaverint.

Iterum etiam ad Atheſim Alaricus a Stilicone ſuperatur.

V. Attamen pugnæ hujus exitus ipſe manifeſte nos docet, non adeo deletas Alarici copias, ut ipſa etiam in clade non timendus Hoſtis videretur. Nam, quum exuti caſtris & opimis ſpoliis Gothi retro pedem referrent, atque a tergo Apenninis jugis muniti Thuſciæ imminerent, & Romam ab iis affectari ſuſpicaretur Stilico; metuendas adhuc belli reliquias perpendens, verſo ſubdole in clementiam furore, Alarico ſpem aliquam reddendorum filiorum ac nuruum, quos captivos habebat, blandiens ferocienti objecit, atque depoſitis infeſtis ſignis repente inducias obtulit, hac conditione adjecta, ut Pado tranſmiſſo ocyus per Alpes, unde ingreſſus fuerat, ex Italia excederet. Intempeſtiva fortaſſe pluribus videri poterat hæc victoris in hoſtes adeo formidandos (38) benignitas, excuſanda tamen. Nam timens Stilico, ne, prælio renovato inter anguſtias montium, victoria elaberetur e manibus, & Roma caput Imperii viribus deſtituta periclitaretur, inducias ancipiti præpoſuit bello. Sic oblatas conditiones arripiens, & ſecurum regreſſum reliquis copiis muniens Alaricus, qui infeſta circumhabebat

(38) Item Claudianus hanc benignitatem nititur excuſare apud Romanos. Præmittens enim poetice, fuiſſe pulchrum miſero ignoſcere, & fuiſſe pœnæ genus vidiſſe Alaricum precantem, quod certe non conſtat, ſic verius ſubjungit, *De Bello Getico* cit. p. 111. a tergo.

„ Sed magis ex aliis fluxit clementia cauſis,
„ Conſulitur dum Roma tibi, tua cura coegit
„ Incluſis aperire fugam, ne pejor in arcto
„ Sæviret rabies venturæ nuntia mortis.
„ Nec tanti nomen ſtirpemque abolere Getarum,
„ Ut propius peterere, fuit.

omnia, temporariam pacem bello adhuc periculoſo (39) antehabuit. Pado itaque, Ticino, Addua, & Mincio tranſmiſſis, urgente ſemper veſtigia Stilicone, tandem ad Atheſim ſubſtiterat; ibique, an inducias a Stilicone violatas eſſet conqueſtus, an ipſe violaverit Alaricus, incertum; nova objecta volenti Stiliconi belli opportunitas fuit. Renovatis inimicitiis, ut verbis Claudiani (40) utar,

Oblatum Stilicho, violato foedere, Martem
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Jam procul, & belli medius Padus arbiter ibat.

Ego facile crediderim, renovati hujus belli occaſionem obortam ex filiis & nuribus nunquam Alarico redditis. Nam Claudianus perjurum vocat utique Alaricum; verum paulo poſt, ubi inducit Alaricum ipſum loquentem, improvide quidem, ſed ſatis luculenter (41) teſta-

(39) Sic Claudianus in *VI. Conſul. Honor.* pag. 153. a tergo.
„ Jam Pollentini tenuatus funere campi
„ Conceſſaque ſibi (rerum ſic admonet uſus)
„ Luce, tot amiſſis ſociis, atque omnibus una
„ Direptis opibus, Latio diſcedere juſſus
„ Hoſtis, & immenſo revolutus culmine fati,
„ Turpe retexit iter.

(40) Ibid. p. 155. verſus med.

(41) Ibid. pag. 156. verſ. med., & a tergo.
„ Tunc ſic Auſonium reſpectans æthera fatur:
„ Heu regio funeſta Getis, heu terra ſiniſtris
„ Auguriis calcata mihi! &c.
„ Hæc ego continuum ſi per juga tendere curſum,
„ Ut prior iratæ fuerat ſententia menti,
„ Jam deſperata voluiſſem luce quid ultra?
„ Omnibus oppeterem fama meliore peruſtis,
„ Et certe moriens propius te, Roma, viderem:
„ Ipſaque per cultas ſegetes mors noſtra ſequuto
„ Victori damnoſa foret: ſed pignora nobis
„ Romanus, caraſque nurus, prædamque tenebat.
„ Hoc magis exſertum raperem ſuccinctior agmen,
„ Heu quibus inſidiis, qua me circumdedit arte
„ Fatalis ſemper Stilicho! dum parcere fingit,

teſtatur, ipſum fuiſſe circumdatum inſidiis & arte Stiliconis, & cladem graviorem ſub nomine pacis latuiſſe. Quidquid tamen ſit de pugnæ hujus cauſa, certum eſt, altero prælio Alaricum ad Veronam fractum, atque tanta Suorum cæde, ut Aſtæ vix ac Pollentiæ (42) pœniteret. Media autem hujus anni æſtate initum hoc prælium fuit eodem Claudiano (43) teſte, qui

Accenſos ſoles æſtivo pulvere . . . . .

ſuſtinuiſſe Stiliconem refert; tantoque impetu tam a Romanis, quam ab Alanis auxiliaribus decertatum, ut parum abfuerit, quin Alaricus ipſe vivus caperetur. Poſt prælium, Alarici iter plus fugæ, quam regreſſionis ſimile fuit. Etſi enim minabundus, & ſæpius ad Italiam reſpiciens, quam ſibi veluti a dentibus excuſſam prædam dolebat, ex Italia, inſtante ſemper Romano exercitu, depelleretur, rimari identidem aditus non deſinebat, unde vel in

„ Rettulit hoſtiles animos; bellumque remenſo
„ Evaluit transferre Pado; proh fœdera ſævo
„ Deteriora jugo! tunc vis extincta Getarum,
„ Tunc mihi tunc lethum pepigi violentior armis
„ Omnibus; expugnat noſtram clementia gentem,
„ Mars gravior ſub pace latet, capiorque viciſſim
„ Fraudibus ipſe meis. Quis jam ſolatia feſſo
„ Conſiliumve ferat ſocius ſuſpectior hoſte?
„ Atque utinam &c.

(42) Ibid. p. 155. cit. initio:

„ Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho
„ Adjungis cumulum; nec plus Pollentia rebus
„ Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

Nam, ut idem Poeta proſequitur:

„ Nil ſibi perjurum ſenſit prodeſſe furorem,
„ Converti nec fata loco, multiſque Suorum
„ Diras pavit aves, inimicaque corpora volvens
„ Ionios Atheſis mutavit ſanguine fluctus.

(43) Ibid. pag. 155. verſ. med.

Rhetiam, vel in Gallias elaberetur. Sed pervigil Stiliconis ſolertia vix dum concepta Alarici conſilia introſpexit; & unum illi liberum per Alpes Carnicas perfugium permittens, inde poſt conſumptas tabe & fame cohortes ac transfugarum multitudine imminutas ex Auſoniis oris invitum reluctantemque coegit excedere. Atque ita tantum bellum, quod media hieme apparaverat, ineunte antem vere ſuſceperat, exeunte æſtate viriliter confecit Stilico, quo confecto, Liguria præſertim ab inhærente viſceribus hoſte tandem liberata reſpirare paululum viſa eſt.

Aliæ Venerii curæ in Vigilantii erroribus a Provincia ſua repellendis.

VI. Tanta belli hujus ab Arianis Gothis excitata tempeſtas vehementer Venerium noſtrum ad ſacrum Italicæ Provinciæ clavum ſedentem commovebat, qui & veterum in hac Eccleſia Arianorum ſeditionum recordabatur, & inſtitutoris ſui Ambroſii conſtantiam tali in tempore obliviſci non poterat: præſertim quum Hic jam Eccleſiam noſtram peſtifera hac lue liberaſſet (44) eamque pene extinxiſſet. Verum, quum Italorum potius fortunis, quam Religioni videret indictum bellum, atque ex agris potius prædam abigi, quam aras & Templa tentati, fuſis ad Superos precibus Deum magis placandum, quam hoſtes timendos intellexit. Averſis igitur

* An. CDIII. oculis ex his, qui nullam Religioni faciebant injuriam, * ad Vigilantii errores acrius intendit animum, qui e Palæſtina profugus, ubi eum Hieronymus acri ſtilo perſtrinxerat, Italicam Regionem veneno ſuo inficere meditabatur. Docet id nos S. Doctor (45) in

(44) Id ipſum teſtatur *Epiſtola Concilii Aquilejenſ.* primum a Sirmondo edita Opp. T. 1. col. 741. Ed. Pariſ. 1696., ubi ſic in ipſo exordio loquitur: *Proviſum eſt quidem, clementiſſimi Principes, veſtræ tranquillitatis ſtatutis, ne Arianorum perfidia ulterius poſſit latere, vel ſerpere*. Id teſtatur etiam S. Auguſt. in *Joh Evang.* c. 8. Tract. XLI. T. 3. P. 2. col. 568. init. *Arianorum autem* (hæreſis) *adhuc videtur habere aliquas motiones, quaſi cadaveris putreſcentis, aut certe, ut multum, quaſi hominis animam agentis.*

(45) Epiſt. XXXVII. Opp. T. 4. P. 2. col. 279. ſub fin. Edit. cit.

Digitized by Google

Epiſtola ſua ad Riparium presbyterum Tarraconenſem, quandoquidem ex Italia jam Hiſpaniam hoc Monſtrum invaſerat; quæ, quum, teſte (46) Martianeo, ſcripta ſit ad annum CDIV., locum offert nobis præcedenti anno CDIII. hanc Vigilantii excurſionem ſtatuendi. Recito ipſius verba: *Ego ego vidi hoc aliquando portentum* (ſcilicet Vigilantium) *& teſtimoniis Scripturarum, quaſi vinculis Hippocratis, volui ligare furioſum; ſed abiit, exceſſit, evaſit, erupit; & inter Adriæ fluctus, Cottiique regis Alpes in nos declamando clamavit. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio & clamor eſt appellandus*. Nonne intento veluti digito noſtram videtur deſignare Provinciam, dum illius clamores teſtatur inter Adriacum mare, & Alpes Cottias fuiſſe auditos poſtquam e Palæſtina diſceſſerat? Vere autem teſtatus eſt S. Doctor, *vociferationes* has dumtaxat & *clamores* Vigilantii fuiſſe; nullum enim in hac regione videtur habuiſſe ſuorum dogmatum ſectatorem. Nam, quum Vigilantius, ut Hieronymi verbis (47) utar, *Martyrum negaret ſepulcra veneranda, damnandas diceret eſſe vigilias, & nunquam niſi in Paſcha* Halleluja *cantandum, continentiam hæreſim, pudicitiam libidinis ſeminarium* vocitaret, nonne deſipuiſſe omnino atque (48) *dormitaſſe* credendus eſt, qui putaret, Clerum noſtrum ac populum mellea Ambroſii recens extincti eloquentia ac puriſſimo dogmate enutritum poſſe patienter aures hujuſmodi erroribus accommodare? Quare, quum ejus impiis ſententiis aperte reclamarent miracula hic edita non multis ante annis in SS. Nazarii ac fratrum Protaſii & Gervaſii Inventione, atque multorum adhuc viventium te-

(46) In marg. ad hanc Epiſt. (47) *Adv. Vigilantium* ibid. col. 281. verſus init.
(48) Ibid. col. 281. cit. init. *Exortus eſt ſubito Vigilantius, ſeu verius Dormitantius*; vide & init. cit. *Epiſt. ad Ripar. Tarraconenſem*.

ſtimonio comprobata; ejuſque ſpurcitiam damnaret (49) *Concilium* illud chriſtianæ *Virginitatis*, de quo tantopere S. Ambroſius adverſus Symmachum triumphabat; videretque ſumma religione *vigilias* celebrari, quarum aliquid etiam noſtra ætate veſtigium ſupereſt, & uſum Cantus hoc more Orientalium inducti tacitus admirari cogeretur, *clamores* ſuos compreſſit: populi religione conſternatus ſolum vertere conſtituit, & in Gallias profectus, alibi virus ſuæ impietatis evomuit. Quare Riparius Tarraconenſis (50) ſibi & Parœciæ ſuæ metuens, primus adjutore uſus Hieronymo ad illius errorum cubilia pervenit. Mox per fratrem Siſinnium ſanctus etiam presbyter Deſiderius Parœciam ſuam iſtius vicinia eſſe maculatam ſcripſit S. Hieronymo, qui tanti periculi commonitus vehementiſſimam lucubrationem *adverſus Vigilantium* una nocte & acerrimo ſtilo conſcripſit, quam etiam nunc (51) inter Ejus Opera legimus. Felicius itaque Venerius hac pugna exceſſit, quam Stilico fuit Gothico bello defunctus; quum ille ita hoſtem ſedens profligaverit, ut nullatenus in Italia ſubſiſtere ſit auſus; hic vero ita proſtraverit inimicos, ut refectis iterum viribus primo vaſtaverit Thuſciam, & poſtremo ipſam Romam Imperii arcem oppugnarit.

Item contra ethnicæ ſuperſtitionis reliquias; dum Honorius, Mediolano poſthabita, Romam triumphaturus proficiſcitur.

VII. Quum igitur Vigilantium expuliſſent vigentia Venerio Praeſule Ambroſii inſtituta, non æque Ethnicorum ſuperſtitiones exulaverant, quæ minus tamen negotium Sancto noſtro Antiſtiti faceſſebant. Ethnica religio, Theodoſii licet Edictis confixa, ita

(49) S. Ambr. in *Reſp. ad Relationem Symmachi*, *Epiſt.* 19. n. 12. T. 2. col. 836. ſic habet: *Adtollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris; populum integritatis, concilium virginitatis.* (50) S. Hier. *adv. Vigilant* col. 231. ſub fin. *Auctores ſunt hujus diſſertatiunculæ meæ ſancti presbyteri Riparius & Deſiderius, qui parœcias ſuas vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas, miſeruntque libros per fratrem Siſinnium, quos inter crapulam ſtertens evomuit.* (51) Opp. T. 4. P. 2. col. 280. & ſeqq. Edit. cit.

Digitized by Google

adhuc Italiæ inhærebat, ut in montes & pagos compulſa identidem SS. Antiſtitum curam ſollicitaret. Docet hoc (52) Prudentius, qui Theodoſium cum Honorio filio colloquentem inducens, fatentem etiam declarat, a ſe ſuperſtitioſos ritus ſunditus non fuiſſe everſos. Quis enim neget, Theodoſium, quanquam Idolorum Templa occludi juſſiſſet, vim tamen nemini intuliſſe, ut abjectis profanis ritibus catholicæ Religioni nomen darent? Nimis ſcilicet florebat etiam in Senatu Romano ſub Symmacho Ethnicorum fama, ex quibus multi etiam ſtipendia in exercitu merebantur; imo ipſiuſmet quoque Stiliconis fama nonnihil hac in parte laboravit, licet ab Auguſto patre Tutor Honorio datus, quem deſcribit (53) Oroſius *Vandalorum imbellem, avaræ perfidiæ, & doloſæ gentis genere editum*. Quare ab ultima Hiſpania dolens Prudentius nondum exciſam Ethnicorum ſtirpem, ſic Honorium poetice quidem, ſed vere (54) alloquebatur:

Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodque Patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum ſanguine tingi,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Urbe cadat, cujus ſit pœna voluptas;
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis;

---

(52) *Contra Symmacham* Lib. 2. in fine p. 340. Edit. Antuerp. 1564.
„ Perſpice, nonne vacat meriti locus iſte paterni,
„ Quem tibi ſupplendum Deus, & genitoris amica
„ Servavit pietas? ſolus ne præmia tantæ
„ Virtutis caperet, partem tibi, gnate, reſervo,
„ Dixit: & integrum decus intactumque reliquit.

(53) Op. cit. Lib. 7. c. 38. init.

(54) *Contra Symmachum* L. 2. cit. p. 340. cit.

Digitized by Google

Honorio itaque Imperii clavum moderanti animus quidem fortaſſe non defuit, ſed vis ac conſtantia viſa eſt deſiderari. Templa utique Deorum non patuere, ſed adhuc exſtare potuerunt: ritus autem palam vetiti erant exerceri; verum in abditis locis ac remotis pagis nunquam intermiſſi adeo, ut identidem Antiſtites tractatibus ſuis in iis evellendis deſudarent. Hinc Gaudentius (55) Sermone ad Neophytos: *Vos igitur, Neophyti, videte quomodo ab omni pollutione eſcarum, quas ſuperſtitio Gentilis infecerit, veſtras animas conſervetis. Nec ſufficit, ut a mortifero Dæmonum cibo vitam ſuam cuſtodiat Chriſtianus; ſed ut omnia abominamenta Gentilium, & omnes idololatriæ tramites, ſicut quædam Serpentis diaboli venena, diffugiat. Partes enim idololatriæ ſunt veneficia, præcantationes, ſuballigaturæ, vanitates, auguria, ſortes, obſervatio* (*) *ominum, parentalia, inquam, unde idololatriæ malum extulit caput erroris. Nam gulæ ſuæ cauſa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipſi comederent; poſt hoc etiam ſacrificia auſi ſunt eis ſacrilega celebrare, quamvis nec ipſi mortuis ſuis munus ſacrificent, qui exercent parentalia, dum ſuper ſepulcrorum menſas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, ſpiritum ſitire balbutiunt. Cavete, quæſo, ab his omnibus &c.* Hinc etiam in Tridentinis Alpibus tanta exarſit Ethnicorum rabies atque crudelitas, ut furore perciti in Fidei præcones, ſicuti paulo ante ad Simpliciani ætatem vidimus, eos impie mactarent, & in occiſorum corpora ſævientes ſuppoſito etiam igne torquerent. Adeo ſtirpitus nondum eradicari ſuperſtitio neque in principe terrarum Urbe poterat per hanc ætatem, ut publice litatum ſit Diis, Alarico Romæ ipſius obſidionem urgente, & palam chriſtianæ Religioni de-

(55) Quart. Tract. *De Lectione Exodi* p. 253. & 254. Edit. Brixiæ 1738. (*) Male Edd. omnes legunt *omnium*. Vide Galeard. not. in hunc locum.

traheretur ejuſque vitio verteretur, quod Roma *Terrarum*, ut Martialis (56) dixerat, *Dea*, *Gentiumque* eſſe deſiiſſet. Unde, ut hanc labem veræ Religioni inhærentem abſtergerent, Auguſtinus ex Africa libris aureis *De Civitate Dei* inſcriptis, atque Oroſius ex Hiſpania in ſua *Hiſtoria adverſus Paganos*, prolixe invictos calamos acuerunt. Fortaſſe (57) Theodoſii & Honorii legibus noſtra Liguria hoc debebat, ut nullo ab Ethnicis bello laboraret, quod conſpectu horum Principum, qui Mediolani per hæc tempora morantes imperabant, perterrefacti, ne movere quidquam, imo ne hiſcere quidem auderent. Quamobrem inter montium latibula exinde in officium redigi a Provinciæ noſtræ Præſulibus debuerunt, ut liquido, & manifeſtis indiciis Homiliarum S. Maximi (58) *De defectione Lunæ*, & (59) *De Kalendis Gentilium* poſſumus deprehendere. Verum non dubito, crebris ad Populum habitis concionibus, quibus pollebat maxime, in profanos ritus Venerium pari ratione invectum, quo labem hanc penitus evelleret, adjutus præſertim Honorii Aug. Mediolani per aliquot ſui Pontificatus annos degentis præſentia, cujus unica fortaſſe inter dignas Principe virtutes religio eminebat. Nam nihil propius factum eſt, quam ut iterum hac in urbe Ethnicorum ſuperſtitio reviviſceret, & Amphitheatralium ludorum atque Gladiatorum ſpectacula renovarentur. Id mali avertit ab Honorio ipſo ſuſceptum conſilium, ut Romam, ſicut mox infra dicemus, Mediolano poſthabita, triumphans ingrederetur. Dolebant Mediolanenſes Auguſtum, cujus aſpectu & magnificentia complures jam annos lætabantur, poſt brevem a Pollentiaca pugna

(56) Lib. XII. Epigr. 8. (57) V. Lib. *De Promiſſionibus & Prædict. Dei* P. III. incerti Auctoris, *Promiſſ.* XXXVIII. in App. Opp. Proſperi Aquit. col. 185. Ed. Pariſ. 1711. fol. (58) *Hom.* 100. & 101. Edit. Romæ 1784. (59) *Hom.* 103.

Digitized by Google

moram Ravennam tranſmeaſſe, ibique Regium collocaſſe domicilium. Quare, propoſita debiti triumphi pompa, Eundem in veterem Sedem retrahere nitebantur, ut in principe Prætorii Italici urbe lauream referret, quam conſtantia ſua & Stilliconis virtute in Aſtenſi Provinciæ noſtræ agro compararat. Invidebant nobis hanc gloriam Romani, qui Ravennæ etiam Auguſti moram patiebantur inviti. Viſendi itaque Principis deſiderio, quem parvulum a patre Theodoſio decennio ante inauguratum viderant, flagrantes, miſſa illuc honorifica legatione, eum ſollicitaverant, ut Almam Urbem triumphans inveheretur. Ex adverſo Mediolanenſes Ravennam legatum mittunt (*) Virum Ill. Theodorum, ut id honoris urbi noſtræ vindicaret. Vota Romanorum nullo Imperatoris accepto reſponſo interim torquebantur (60) Urebat igitur Conſcriptos

(*) Summopere apud Honorium gratioſus is erat, ut autumo. Ex *Manliorum* enim familia cumprimis in Liguria nobili genitus, Conſulatum geſſerat ſtatim poſt IV. Honorii, anno 399. De cujus Conſulatu item gratulatus eſt Carmine ſuo Claudianus p. 168. Ed. cit. ſuſe illius juſtitiam, & omnimodam eruditionem commendans: frater item erat *Manliæ Dædaliæ* virginis ſanctiſſimæ Mediolan., cujus Sepulcro etiam Inſcriptionem poſuit, a Triſtano Calcho (*Hiſt. Patr.* L. 3. ad ann. 399. p. 60.) expoſitum, ubi ſic legitur:

„ Martyris ad frontem recubent quæ membra ſepulcro,
„ Ut Lector noſcas, eſt operæ pretium.
„ Clara genus, cenſu pollens & mater egentum,
„ Virgo ſacrata Deo, Manlia Dædalia.
„ Quæ mortale nihil mortali in corpore volvens,
„ Quo peteret cælum, ſemper amavit iter.
„ Sexaginta annos vicino limite tangens,
„ Rettulit ad Chriſtum celſa per aſtra gradum.
„ Hæc, germana, tibi Theodorus frater & hæres,
„ Quæ relegant olim ſæcla futura dedi.

Ex cod. Claud. patet, eum Ligurem fuiſſe, & Mediolani Conſulares faſces quadriennio ante ſumpſiſſe: quod idem probare videtur Steph. Claver. nota D. ibid. p. 174. (60) Docet hoc Q. Aurelius Symmachus *Epiſt.* 52. L. 6. *ad Nicomachi filios* data in hæc verba: *Adventus Domini & Principis noſtri denuo poſtulandus eſt. Theodorus enim Vir Ill., Mediolanenſium legatione ſuſcepta, niti dicitur, ut Senatus petitionibus Provinciale deſiderium præferatur.*

ptos Patres & Romanam Curiam non ſola Auguſti cunctatio, ſed multo magis Romanorum votis præferri poſſe Mediolanenſium, ſive Provincialium poſtulationem; quare cenſuit ille Romanus Ordo, novam deſtinandam ad Honorium legationem, atque ex legatis unus credebatur eligendus ex Nicomachi filiis, qui tamen (61) plures excuſationes prætendens, ſe ab hoc ſuſcipiendo munere abdicavit. Tandem, Curia item evocata, novam ad Auguſtum legationem mitti placuit, cui intereſſe quodammodo videtur ipſe Symmachus. Accidit, ut eo tempore Mediolanum Honorius diver-tiſſet: ubi Symmachum perhumaniter excepit (62) VI. Kal. Martias, ſed deliberationem in adventum Stiliconis diſtulit, qui tum forte aberat. Hæc præcipua, ut ex Claudiano diſcimus, videntur fuiſſe legationis capita: I.^um^ *doloris*, quod Roma Gentium caput Mediolano triumphi cauſa poſthabenda cenſeretur; præſertim quum poſt bellum Gildonicum apparati jam ſpe triumphi Urbem fruſtratus eſſet: II.^um^ erat *amoris*; commemorabant enim legati, primo Illum Romæ in gremio patris parvulum ſedentem, Imperatorem inauguratum: vix ter Auguſtos Romæ ſæculo præcedente viſos,

(61) Sic enim ait Symmachus ipſe in *Epiſt.* 59. L. 6. ad eoſdem: *Primo, quia reverentia nuda eſt: dehinc quia cauſas negationis infra devotionis magnitudinem prætulit.* Eumque ſic tandem monet: *Velo, ut reverentia cumulatiore, & gravioribus querelis excuſationem tuam munias, ſi voluntas manſerit laboris & itineris deprecandi.* (62) Audiamus Symmachum de hac fortaſſe legatione loquentem *Epiſt. ad Filium* L. 7. n. 14.: *VI Kal. Martias Mediolanum multo anfractu circumvectus introivi, veneratuſque Dominum & Principem noſtrum, cujus ſermo divinus itineris mei laborem compenſavit. In præſentiam Viri cuncta præcelſi Comitis* (Stiliconis) *agenda producta; quem mox, Deo juvante, adfore nunciorum confirmat aſſertio.* Utque teſtetur, hoc tempore legationem habitam, præcedente Epiſtola paris formæ ſic ſcribit: *Tandem VI. Kal. Martias Mediolanum per Ticeni* (ſic legitur in Editis, quæ vidi; verius fortaſſe legendum *Piceni*) *longinqua perveni. Nunc laborem meum Domini & Principis noſtri blandus ſermo ſolatus eſt. Spero, etiam legationem brevi in notitiam divini Principis perferendam. Siquidem Vir cuncta præcelſus* (Stilico) *cui primas partes cauſæ publicæ noſter Ordo mandavit, mox cum præſidiis validiſſimis adfore nunciatur.*

Digitized by Google

eoſque dumtaxat poſt lugenda potius bella civilia, non vero poſt victoriam e Barbaris digne celebrandam. Summa demum erat, ludorum & pompæ triumphalis ſpectaculum, quod, niſi in Urbium Domina, alibi exhibendum non videretur (63). Romanæ ad Honorium legationis poſt longam deliberationem hic fuit exitus, ut tandem Mediolanenſium votis refragatus Imperator Romam proficiſci conſtituerit: quo inito conſilio Venerius reſpiravit; atque

---

(63) Summatim ex Claud. recitare libet, quid de hac legatione actum Romæ fuerit (In *VI. Honorii Conſul.* p. 157. a tergo)

„ Jam toties miſſi Proceres reſponſa morandi
„ Rettulerant.

Inducit deinde Romam alloquentem ipſum Honorium, atque exſtimulantem, ut ſe conſpectu ſuo dignaretur.

„ Impulit ipſa ſuis cunctantem Roma querelis
„ Diſſimulata diu triſtes in amore repulſas.

En Romæ loquentis legatio.

„ Veſtra, parens Auguſte, queror: quonam uſque tenebit
„ Prælatus mea vota Ligur? vetitumque propinqua
„ Luce frui, ſpatiis decernens gaudia parvis
„ Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?

Hactenus dolet, Mediolanenſes prælatos Romanis, & Ravennæ agentem Aug. tam parvo interjecto ſpatio fruſtrari Romanorum deſiderium. Dolere proſequitur eo, quod de Gildone victo noluerit triumphans Urbem ingredi:

„ Nonne ſemel ſpreviſſe ſat eſt, cum reddita bellis
„ Africa venturi ſpe luſit Principis Urbem?

Amorem declarat hiſce verbis. Ibid. p. 158. a tergo,

„ Hoc, Civis, dignare forum, conſpectaque dudum
„ Ora refer; pompam recolens ſub mente priorem,
„ Quem tenero patris comitem ſuſceperat ævo,
„ Nunc duce cum ſocero juvenem Te Tybris adoret.

Nec diſſimulat rarum per annos centum Augg. adventum. Pag. 158. verſ. med.

. . . . „ Jam flaveſcentia centum
„ Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces,
„ Spectatoſque iterum nulli celebrantia ludos
„ Circumflexa rapit centenus ſæcula Conſul.
„ His annis, qui luſtra mihi bis dena recenſent,
„ Noſtra ter Auguſtos intra pomæria vidi
„ Temporibus variis; eadem ſed cauſa trophæi
„ Civilis diſſenſus erat.

Digitized by Google

amovendam hoc pacto a catholici populi aſpectu omnem profanæ ſuperſtitionis & ludorum veterum ſpeciem, tantum gaviſus eſt intime, quantum ex Manlii Theodori legatione mœroris ceperat, timens, nequo degenere ſpectaculo ſuorum civium oculi vitiarentur. Abſterſo igitur Venetil. metu, in Hiſpaniam idem timor invaſit pro Romanorum pari periculo; ibique Prudentii poetæ eo tempore in primis clari ſtilum exacuit, qui nomen Symmachi ethnici reformidans Auguſto Honorio hoc anno CDIII. libellos obtulit ſuppliciter rogans, ut ludos gladiatorios hac ſuaſione edi in Romana arena prohiberet, neque Romæ quidquam fieri profani ritus permitteret, quod priorum Augg. Edictis repugnaret. Videbat enim, eum Symmachum potiſſimum hujus itineris auctorem fuiſſe; itemque verebatur, nequid pro idolorum cultu, aut ethnicis ritibus facundiſſimus Orator a facili Principe exoraret; animoque recolebat (64) Libellum illius pro Ara Victoriæ in Senatu reſtituenda novemdecim ante annis Valentiniano & Theodoſio Augg. oblatum, ſcriptoris animum amaro in Chriſti Religionem felle imbutum & Vatiniano catholicos odio proſequentem. Hinc poeticis numeris adſtrictam orationem elucubravit pari fere quo antea (65) Ambroſius labore eundem Symmachum perſtrinxerat; geminiſque libellis cultum primo Deorum irriſit; deinde Symmachiani veteris Libelli ſingula capita refellens, ultimo ſua vota Honorio admovet rogans in verba, quæ paulo ante (66) recitavimus. Quod autem hoc plane tempore, & ante Romanum Honorii iter id Operis concinnaverit Prudentius, puto ambigi a nemine poſſe, quum Pollentiacæ

(64) Edit. int. Opp. S. Ambr. T. 2. col. 828. Edit. Pariſ. 1690. (65) *Reſp. ad Relat. Symmachi* cit. Opp. T. 2. col. 833. (66) Lib. 2. contra Symmach. Vide ſup. Sect. VII. §. 21. *Arripe dilatam &c.*

pugnæ nuper pugnatæ dilucide (67) mentionem injiciat. Abſterſit itaque piiſſimus Princeps Mediolanenſis Antiſtitis timorem, Romam verſus iter inſtituens ſub finem anni CDIII.: quam Urbem ingreſſus, VI.^{um} anno ſequenti * iniens Conſulatum, Decennalia Imperii ſui poſt patris mortem celebrari permiſit, in quo & Prudentii precibus obſecundavit, Circenſibus dumtaxat ludis indictis, in quibus non humano ſanguine arena fuit reſperſa; ſed plurimæ impertitæ populo largitiones catholico Auguſto dignæ, & pompa ferarum tantum exhibita, cum ludicris militum armatorum velitationibus. Quibus in rebus patris ſecutus exemplum credendus eſt, qui (68)

* An. CDIV.

(67) Ibid. L. 1. cit. p. 326.

„ Tentavit Geticus nuper delere Tyrannus
„ Italiam patrio veniens juratus ab Iſtro,
„ Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
„ Solvere, maſtrucis Proceres veſtire togatos.
„ Jamque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
„ Et Ligurum vaſtarat opes, & amœna profundi
„ Rura Padi, Tuſcumque ſolum victo amne premebat.
„ Depulit hos equitum nimbos non pervigil Anſer
„ Proditor occulti tenebroſa nocte pericli;
„ Sed vis cruda Virûm, præfractaque congredientum
„ Pectora, nec trepidans animus ſuccumbere letho
„ Pro patria, & pulchram per vulnera quærere laudem.
„ Numquid & ille dies Jove contulit auſpice tantum
„ Virtutis pretium? Dux agminis, Imperiique
„ Chriſtipotens nobis Juvenis fuit, & comes ejus
„ Atque parens Stilico. Deus unus Chriſtus utrique;
„ Hujus adoratis altaribus, & Cruce fronti
„ Inſcripta cecinere tubæ; prima haſtâ dracones
„ Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior offert.
„ Illic terdenis gens exitialibus annis
„ Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
„ Corpora famoſis olim ditata rapinis
„ In cumulos congeſta jacent. Mirabere feris
„ Poſteritas ſæclis inhumata cadavera late,
„ Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.

(68) Symmachus *Epiſt. ad DD. Theodoſium, & Arcad.* L. 10. *Epiſt.* 22. ſic loquitur: „ Præ„ tereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa

Romano populo ſimilia in Urbe ſpectacula exhibuerat: imo morem ſuum tenuiſſe dicendus, quum inito Mediolani III.° Conſulatu (anno ſcilicet CCCXCVI.) vetuiſſet effundi in arena humanum ſanguinem, & loco gladiatorum Libycas feras ſubſtitui (69) juſſiſſet. Quod unice in tanta Decennalium celebritate profanum, imo Idolorum cultui proximum obſervandum occurrit, certe ethnici poetæ Claudiani Carmen (70) fuit, ea occaſione oblatum, ſive recitatum, quod aut Principis oculis, aut auribus videtur indigniſſimum. Paſſim ibi Templa Idolorum celebrantur, & Deorum Dearumque nomina, & Dea commemoratur *Victoria*, ex Senatu Ambroſii precibus a Theodoſio expulſa.

„ præceſſit. Malo fremitum Murciæ Vallis exponere, atque illam quadrigarum diſtributionem „ &c. Audeo jam ſperare potiora. Mittetis etiam regiam claſſem, quæ annonariis copiis au„ geat devotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tyberinis oſtiis mixtus populo Senatus exci„ piet. Venerabuntur tanquam ſacras puppes, quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint".

(69) Paulin. in *Vita S. Ambr.* T. cit. n. 34. col. IX. Edit. cit. *Per idem tempus cum Conſulatus ſui tempore Imperator Honorius in urbe Mediolanenſium Libycarum ferarum munus exhiberet &c.* (70) Ut verius, quid ea occaſione geſtum ſit Romæ, memoremus, præſtat hunc Poetam ſingula perſequentem audire. Cujus enim aures non offendant tot Romanæ Idololatriæ indicia, quæ apud eundem in Epinicio ſuo de *VI. Honor. Conſul.* p. 152. leguntur?

„ Attollens apicem ſubjectis Regia roſtris
„ Tot circum delubra videt, tantiſque Deorum
„ Cingitur excubiis: juvat intra tecta Tonantis
„ Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes,
„ Cælataſque fores.

Maxime autem Honorii pietatem lædere videtur illa Poetæ exſultatio: pag. 161. a terga.

„ Affuit ipſa ſuis ales Victaria Templis,
„ Romanæ tutela togæ, quæ divite penna
„ Patritii reverenda fovet ſacraria cœtus.

Quis tacite non fremat, videns ethnicum Poetam electum, qui ethnico more catholico *Principi* gratularetur? Quis ferat impudentiſſimum illud Poetæ votum in ipſo ſuæ gratulationis exordio (p. 151. a tergo) optantis, ea potiſſimum occaſione Templum *Fortunæ Reduci* aperiri?

„ Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
„ Ob reditum vovere Ducum, non dignius unquam
„ Hæc Dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes,
„ Quam ſua &c.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Suſceptum a Venerio pro S. Jo. Chryſoſtomi in Sedem Conſtantinopolit. reſtitutione patrocinium.

TRanquillis in Italia rebus ſtrenue in gregem ſuum curas intenderat Venerius; quum nova in Oriente tempeſtas incidit, quæ Italiæ & Iſtriæ, imo Romæ ipſius Pontifices mirum in modum exagitavit. Ad Sedem Conſtantinopolitanam evectus Joannes Chryſoſtomus aurea eloquentia ita civium eorum animos flexerat, ut ex ejus ore penderent. Verum, quum liberius populi vitia increpans Eudoxiæ Aug. animum offendiſſet, coacta Hujus imperio ad Quercum Epiſcoporum Joanni adverſantium Synodo, pulſus in exilium fuerat. Sed populi precibus & præſertim Viduarum lacrymis exoratus Arcadius, qui tum in Oriente imperabat, ab exilio quum Præſulem revocaſſet, nova iterum IV.° hujus Sæculi anno concitata in eum tempeſtas fuit; qua obrutus, iterum e Sede per vim dejectus ſolum vertere juſſus fuit; tantaque ferocia inter Paſchalis feſti ſolemnia in Paſtorem innoxium ſævitum eſt (1) ut Vir ille mi-

(1) Operæ pretium erit tragœdiæ hujus feriem ex ipſo Chryſoſtomo andire (Opp. T. 3. pag. 518. E. Edit. Pariſ. 1721.) qui, datis ſtatim ad Innocentium Papam litteris, pathetice admodum deſcribit his verbis: „ Ipſo magno Sabbato collecta manus militum ad veſperam „ diei in Eccleſias ingreſſa Clerum omnem, qui nobiſcum erat, vi ejecit, & armis Sanctuarium undique obſedit. Mulieres quoque ſacrarum ædium, quæ per illud tempus ſe exuerant, ut baptizarentur, metu gravis illius incurſus nudæ aufugerunt &c. Multæ etiam acceptis vulneribus ejiciebantur, & ſanguine implebantur piſcinæ, & cruore ſacri latices rubeſcebant &c. Quin & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt, ſiebantque quaſi in barbarica captivitate omnia. Vulgus „ etiam in ſolitudinem fugabatur, multitudo omnis extra civitatem verſabatur, erantque in „ tanto feſto vacuæ populo Eccleſiæ, & plures, quam quadraginta Epiſcopi, qui nobis communicarant, cum populo & Clero ſine cauſa fugabantur: & ob prodigioſa flagitia, ubique „ per fora, per domos, per ſolitudines, per omnes civitatis partes, omnia lamentis, ejulatibus, & fontibus lacrymarum plena erant: ut non modo, qui affligebantur, ſed & qui „ nihil tale patiebantur, & non ſolum, qui noſtræ fidei erant, ſed & hæretici, & Judæi, &

tiſſimus inimicorum calumniis & vi oppreſſus omnique præſidio deſtitutus provocare ad Romani Pontificis judicium cogeretur. Neque defuit Jo. Chryſoſtomo Innocentius tum in Petri Cathedra conſtitutus, qui & præſentem Romæ Honorium ad auxilium eidem ferendum permovit, & coacta ſtatim Synodo, ut irrita fierent quæcunque contra Joannem fuiſſent decreta, curavit. Quare (2) miſſa in Orientem legatio eſt, datæque legatis, Honorii ad fratrem, Innocentii, Venerii, & Chromatii Epiſtolæ, quibus Arcadius rogabatur, ut ejectum Pontificem ſuæ Sedi reſtitueret. Quod conſilii licet plura hoſtium machinamenta turbaverint, quum pene ad exitum perduceretur, ſuarum partinm eſſe putavit Chryſoſtomus per litteras (3) Arabiſſi datas, ubi tum degebat, Venerium

---

„ Gentiles, ob ſceleris atrocitatem nobiſcum dolerent, & quaſi per vim capta civitate, tumultu, trepidatione, ac planctu plena erant omnia. Talia auſi ſunt præter ſententiam piiſſimi Imperatoris, nocte multa, Epiſcopis hæc inſtruentibus, & multis in locis ordines ducentibus, nec erubeſcentibus, quod pro Diaconis campiductores præeuntes haberent. Ubi vero illuxit dies, omnis civitas extra muros ſub arbores, & in nemora emigravit, ibi feſtum diem celebrans, quaſi oves diſperſæ ". Quæ autem hanc ſint conſecuta tragœdiam, juvat recenſere ex *ſacra Honorii Aug. Epiſt. ad Arcadium Fratrem* (*Concil.* T. 2. col. 1312. A. & E.) „ Siquid de cauſa Religionis inter Antiſtites ageretur, Epiſcopale oportebat eſſe judicium *&c.* „ Itane uſque ad exilia Sacerdotum, uſque ad hominum cædes debuit indignatio concitata „ procedere? . . . . . Erat inter Epiſcopos cauſa, quæ collato, tractatoque conſilio deberet „ abſolvi, miſſis ad Sacerdotes Urbis æternæ atque Italiæ utraque ex parte legatis, exſpectabatur ex omnium auctoritate ſententia informatura regulam diſciplinæ; integrum nempe eſſe „ debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet; cum interea mirum „ quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non exſpectatis litteris Sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione conſulti, non examinatis rebus in exilium traderentur Antiſtites, animadverſioni prius addicti, quam ſententiam judicii Epiſcopalis experti ".

(2) Sozom. *Hiſt. Eccl.* L. 8. c. 17. Ed. Leunclavii, Jenæ 1729. & Pallad. *Dial.* 4., unde Baron. plura congeſſit ad ann. Chr. 405. (3) Ep. 182. Opp. T. 3. p. 702. „ Omnes quidem fortitudinem veſtram ac fiduciam, & pro veritate loquendi libertatem etiam antea noverant: ſed accuratius fraternum veſtrum amorem, caritatem, religionem, multam commiſerationem, ſolicitudinem eccleſiarum hoc tempus indicavit ". Et paulo poſt: „ quantum in „ vobis fuit, omnia bene ſucceſſerunt, neque ulla pars officii veſtri deſiderata eſt ". Sic Venerium affatur Chryſoſtomus non minus magnifice, quam vere, iiſdemque ferme ſententiis, quibus Innocentium Romæ Epiſcopum (ibid. p. 522.) compellavit.

Digitized by Google

noſtrum efferre laudibus, & ad conſtantiam in hac cauſa tuenda cohortari. Injecta nuper Chromatii Chryſoſtomum defendentis mentio me illud monet, ut hoc potiſſimum loco inquiramus in Aquilejenſis Diœceſeos primordia, & quo potiſſimum tempore ab Italica Provincia divulſa ſit, diſcutiamus.

Quo tempore Hiſtria & pars Venetiarum ab Italica Provincia fuerit disjuncta; ſive de origine Primatus Eccleſiæ Aquilejenſis.

II. Ad Venerii Pontificatum puto certe referendum eſſe Aquilejenſis in Iſtria & Venetiæ parte Primatus exordium, quod ex Barbarorum in Italiam, duce Alarico, primùm facta irruptione videtur ſtatuendum. Ex eo enim, quod Aquilejam Auſonius *inter claras Urbes* numeraverit, nihil video confici poſſe, neque ad M. Theodoſii tempora retrahi Metropoliticam illius Eccleſiæ dignitatem. Vates ille Burdigalenſis, qui Theodoſio Aug. coævus fuit, eidemque Poeſim ſuam inſcripſit, ingenue (4) Epigrammatis illius initio fatetur, non debuiſſe Aquilejam *inter claras Urbes*, de quibus ſermonem inſtituerat, referri. Sic enim exorditur:

Non erat iſte locus; merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis Urbes,
Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus & Portu celeberrima.

Hactenus Poeta eam urbem in Italia, & conſequenter in Italica Diœceſi collocat, cujus *Metropolis* (5) ex Athanaſio & (6) Theodoreto, certe erat *Mediolanum*. Quid igitur fuit in cauſa, ut eam, licet portu & mœnibus celeberrimam, *claris* Civitatibus accenſeret? Nullum porro aliud decus reperire ſe in ea fatetur, niſi quod poſt relatam de Maximo Tyranno a Theodoſio victoriam

(4) *De Claris Urbibus*, Epigr. VI. (5) In *Apologia De fuga ſua* n. 4. Opp. T. 1. p. 322. Ed. Pariſ. 1698. (6) *Eccl. Hiſt.* L. 2. c. 12. Opp. T. 3. P. 2. p. 605. B. Ed. Pariſ. 1642.

riam debitas ille apud Aquilejam perduellionis ſuæ pœnas dederit, & Aquilejenſe ſolum ſuo ſanguine reſperſerit. Hinc proſequens ait:

Sed magis illud
Eminet, extremo quod te ſub tempore legit,
Solveret exacto cui juſta piacula luſtro
Maximus, *armigeri quondam ſub nomine lixæ.*
Felix, quæ tanti ſpectatrix læta triumphi
Puniſti Auſonio Rutupinum Marte latronem,

Hæc Auſonius ſcribebat circiter annum Sæculi IV. nonageſimum. Quum enim dicat *extremo tempore* mactatum Maximum, ſive per eos, quos vivebat, annos; neque præclarum aliquid præter *mœnia* & *portum* in illa indicet; imo neget, *locum* illi deberi inter præcipuas Urbes; hinc manifeſtum eſt, nondum eam ad Primatus in Iſtria dignitatem evectam. Potuit igitur poſt Ambroſii obitum ad eundem gradum aſpirare: tum enim barbaricis motibus Italiæ fines vexabantur, & diſſolutis mutuæ ſocietatis vinculis illa Italicæ Diœceſeos colonia a ceteris Eccleſiis Provincialibus dirimebatur. Vidimus propterea Brixianum Epiſcopum Gaudentium in *Concilii SS.****, ſeu Baſilicæ, in qua plurium Apoſtolorum & Martyrum reliquias repoſuerat, Dedicatione dolentem, quod infrequentes veniſſent, licet invitati, Antiſtites, quum propter *Barbarorum importunitatem* (7) diſtenti fuiſſent complures, quominus tantæ celebritati intereſſent. Porro inſequentibus annis, ſive ineunte V°. Sæculo Aquilejenſem Antiſtitem videmus inter Italiæ Primores jam eminere, eaque exiſtimatione florere, qua Romanus & Mediolanenſis ſemper aliàs habebantur. Nam Hieronymus (8) eodem col-

E

(7) Relege, quæ ſupra recitavimus Cap. I. Sect. II. ex Gaudentio. (8) *Apologia adv. Rufin.* L. 2. Opp. T. 4. P. 2. col. 417. poſt med.

locat gradu *Anaſtaſium Romanum*, *Venerium Mediolanenſem*, & *Chromatium Aquilejenſem*, quos omnes judices Origenis errorum appellar. Primas etiam tenere partes inter Heſperiæ Primores legitur Chromatius cum Innocentio Romano, & Venerio noſtro, quum de reſtituendo in Conſtantinopolitanam Sedem Chryſoſtomo, ut diximus, ageretur; ex quo patet, non tam Chromatii virtuti, quæ certe ſumma fuit, quam ejus Sedi etiam honorem habitum, quæ hac ætate inter Metropolitanas cenſebatur. Neque quidquam ſibi detractum cenſuit Venerius, dum Chromatius dignitate augeretur. Imo mutuæ caritatis vinculis arctius hæſerunt gemini iſti Metropolitæ inducto more mutuæ conſecrationis; de quo agens Pelagius I., in *Fragmentis Epiſtolarum* quæ edidit Lucas Holſtenius (9) poſt Pontificis ipſius Epiſtolas, ſæculo inſequente *antiquum* jam fuiſſe teſtatur.

Novum Italiæ allatum bellum a Rhadagayſo Romam appetente; qui tandem a Stilicone interficitur.

* An. CDV.

III. Quæ tamen Paſtoralis Venerii conſtantia in Chryſoſtomi cauſa tuenda Orientem uſque pervaſit, non minus hoc ipſo tempore verſata eſt potiſſimum in ærumnis Occidentis *. Novus enim ab Alpibus Barbarorum metus hoc anno CDV. incuſſus & Honorium triumphantem Roma abſtraxit Ravennam, & Venerium in futuris gregis ſui calamitatibus defixit. Rhadagayſus genere Scytha atque ethnicus, quum (10) exeunte ſuperiori Sæculo junctis cum Alarico viribus fruſtra ad Italiam occupandam aſpiraſſet, voluptatibus ac deliciis pulcherrimæ hujus Provinciæ captus, nondum ejuſdem invadendæ ſpem amiſerat. Fremens etiam Alarici ulciſcendi deſiderio, dum Romani de Gothis victis triumphum agerent, immenſo conflato trans Iſtrum exercitu, adjunctiſque Cel-

(9) Concil. T. 5. col. 805. In eo Epiſt. Fragm. inſcriptæ *Joanni Patricia Cabertario* ſic legitur: *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari, ipſe ſe invicem Mediolanenſis & Aquilejenſis ordinare Epiſcopi debuiſſent*. (10) Vide Murator. *Annal.* ad ann. 400.

Digitized by Google

ticis, Alanis, Germauiſque ſubſidiis, erectis in opimæ prædæ exſpectationem, caſtra, exeunte VI. Honorii Conſulatu (CDIV.) movens, inſequente anno, Stilicone IL.um & Anthemio Coſſ. (11) ingenti armatorum multitudine imparatam Italiam & vix ab Alarici exitu reſpirantem non modo invadere, verum etiam opprimere meditabatur. Quot armatorum millibus ingruens conſtaret Barbarorum exercitus, ægre admodum quis ſtatuat in tot diverſis Scriptorum ſententiis. Zoſimus (12) ethnicus, e cujus re fuiſſet maxime earum copiarum numerum extenuare, ne Chriſtianorum ſubſequutam victoriam nimis amplificaret, CD. millia militum in iis copiis recenſet. Oroſius (13) contra Chriſtianus, cujus plurimi interfuiſſet amplificare numerum, ne victoriæ detraheret, *fuiſſe in populo eius pluſquam ducenta millia Gothorum*, ſcripſit. Auguſtinus (14) tradit, *numeroſiorem eius exercitum, quam Alarici fuiſſe*: & alibi (15) *multo amplius, quam centum millium profligatum fuiſſe eius exercitum*. Certe, ut cum ipſo Oroſio (16) loquar, Dux ille immaniſſimus *omnem Romani generis ſanguinem Diis ſuis propinare devoverat*. Impium hoc Barbari votum primos Italiæ populos, Iſtros videlicet, majorem in modum certe perculit, quo longius ab ethnicis ſuperſtitionibus aberant. Aquilejenſes & Ligures primi omnium obruti ſunt hac ethnicorum procella; atque omni nudati præſidio furori hoſtium objecti. Quanquam miſeratione magis & lacrymis Antiſtitum ſuorum ſollicitudinem excitarunt, quam Religionis ullum paſſi ſunt detrimentum. Hoſtes enim fortunis potius, quam chriſtianæ Fidei denuntiato bello, eraſis ubique in hiſce regio-

(11) Proſp. in *Chron.* col. 739. Ed. Pariſ. 1711. Pagius ad ann. 406. n. II. ap. Baron. T. 6. p. 501. (12) *Hiſt.* L. 5. c. 26. p. 577. (13) L. 7. c. 37. (14) Serm. 105. al. 29. *in Lucam* Opp. T. 5. P. 1. col. 547. B. Ed. Pariſ. 1683. (15) *De Civitate Dei* L. 5. c. 23. T. 7. c. 140. B. (16) *Hiſt.* L. 7. c. 37. p. 568.

nibus rei frumentariæ & commeatuum ſubſidiis, quo majori cupiditate huic ſolo locuſtarum more incubuerant, abſumptis omnibus propere aliò victus penuria commigrare coacti ſunt, ut quotidianæ voracitatis, atque ex ea ingruentis egeſtatis paria multitudini præſidia conſectarentur. Impellebat præterea, ut ulterius progrederentur, Romanæ Urbis opulentiæ fama & immenſæ prædæ concepta ſpes, quum inibi aureos, ut ita dicam, ſeptenos colles, atque Orbis univerſi ibi collectas divitias, facili inopiæ præjudicio, mente occuparent. Stimulabat etiam ad certam veluti prædam nulla ſibi neque in Liguria, neque in Æmilia oppoſita Romanorum acies, quæ iter ſuum votumque retardaret. Etenim Stilico militiæ peritiſſimus cedendum potius tanto hoſtium numero in planitie ratus, libere eam vagari rapiniſque implere omnia primum permiſit, donec audito, Barbaros ad Apenninum & prærupta montium in Tuſciam tranſgreſſuros, raptim collecto Romanorum atque Barbarorum ſub ſtipendiis exercitu, cis Apenninum magnis itineribus contendens in eandem Tuſciam improvido hoſti ſupervenit, qui Florentinis ferme deſperantibus ultimum minabatur excidium, ut certum ex Paulino (17) habemus teſtimonium. Die poſtero ſtatim inita pugna eſt, Hunnis & Rhadagayſo infeſtiſſima. Procedebat ordinata acie Stilico adverſus Barbaros inter anguſta loca deprehenſos: contra Barbari nullo ordine in hoſtiles enſes incurrentes paſſim mactabantur, quumque nullibi explicare aciem poſſent, ſuperſtites in montium juga, urgente ſemper Stilicone, ſunt com-

(17) In *Vita S. Ambr.* n. 50. inter Opp. S. Ambr. T. 3. col. XIII. Edit. cit. ſic habet: „ Florentinam Rhadagayſus civitatem obſidebat; cum de ſe jam penitus deſperaſſent Viri ci„ vitatis, per viſum cuidam S. Ambroſius apparuit, & promiſit, alio die ſalutem illis adfu„ turam . . . . . Altero die, adveniente Stilicone cum exercitu, facta eſt de hoſte victoria “.

Digitized by Google

pulſi: quare tanti exercitus pars, quæ cædem evaſerat, fame poſtmodum in deditionem venit, nullusque ex innumera multitudine a Romanorum ferro, vel vinculis immunis evaſit. Hic, mea quidem ſententia, ſecundi barbarici belli finis fuit. Neque enim dicam (18) cum Oroſio, nullum eo in bello effuſum ſanguinem, quum refragetur aperte Paulinus Nolanus (19) teſtatus, *mactatos pariter cum Rege* ipſo *profano hoſtes*. Oroſio potius aſſentiar ea in parte, qua ſcribit (20) maximum hoſtium numerum captum, venalemque minimo pretio proſtitiſſe.

Serenæ pro ſalute conjugis Stiliconis votum de Libycis marmoribus ſternendo Nazariano Tumulo.

IV. Utrum Tuſco hoc, an Pollentiaco bello votum pro Mariti reditu Serena nuncupaverit Sancto Nazario, ambigi poſſe non inficior. Triſtanus Calchus in noſtræ Patriæ Hiſtoria (21) illud refert ad ſecundum hujus Sæculi annum, *dum longius abeſſet* Stilico, ideſt cum media hieme per Larium in Rhætiam & ad Rhenum progreſſus legiones Romanas collegit, contra Alaricum pugnaturus. Verumtamen cur adeo Serena formidaret non video; in amicas enim regiones iter intenderat, neque ab hoſtibus ullis obſeſſas: &, ſi de pugna ad Pollentiam inita loquatur Calchus, alias antea periculoſiores pugnas Stilico ad Alpes iniverat. Hoc certe Rhadagayſi bellum, de quo nullam Triſtanus mentionem fa-

(18) *Hiſt.* L. 7. c. 37. p. 570. „ Non diſpoſita in bellum acies fuit: non furor timorque „ incertæ pugnæ prætulit, non cædes acta, non ſanguis effuſus eſt, non poſtremo damna pu„ gnæ eventu compenſata victoriæ: edentibus, bibentibus, ludentibuſque noſtris, tanti illi „ tamque immanes hoſtes eſurientes & ſitientes languenteſque confecti ſunt ". (19) Poema in *Natalit. XIII. S. Felicis* ap. Murat. *Anecd. Lat.* T. I. p. 73. v. 20. & 21.

. . . . . „ Mactatis pariter cum Rege profano
„ Hoſtibus.

(20) Op. cit. p. 570. cit. „ Tanta vero captivorum multitudo fuiſſe fertur, ut viliſſimarum „ pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur. Sed nihil ſupereſſe „ Deus de eodem populo ſinit. Nam illico cunctis, qui emebantur, morientibus, quod improbi emptores eorum non impenderunt turpiter pretiis, expenderunt miſericorditer ſepulturis ".
(21) *Hiſt. Patr.* L. 3. p. 61. Edit. Mediol. 1627. in fol.

Digitized by Google

eit, mihi multo dignius videtur Serenæ voto, quum adverſus multitudinem innumerabilem hoſtium properaret, & pugnæ exitus incertior futurus eſſe crederetur. Serena itaque, ſive hoc, ſive illo bello, religionis ſuæ ſingulare monumentum in Mediolanenſium oculis defixit ad hominum memoriam ſempiternam uſque ad hæc tempora incorruptum. In Crucis formam S. Ambroſius Templum extra Romanam Portam exſtruxerat, in quo, conditis primum Apoſtolorum reliquiis Roma per Simplicianum allatis, ſolemni deinde dedicatione Nazarii Corpus repoſuit, in *Campo* divinitus repertum. Rude fortaſſe ac impolitis lateribus conſtructum Serenæ religionem offenderat ejus Baſilicæ pavimentum. Quare anxia de mariti inter bella caſibus, & de ejuſdem incolumis reditu ſollicita vovit, Sancti Martyris Sepulcrum libyco marmore ære ſuo ſternendum, ea tamen in parte, in qua tumulatus eſſet S. Nazarius. Exſtabat ſuperiori ætate Epigramma, hujus operis teſtimonium, quod Triſtanus Calchus nobis ſervavit, Hiſtoriæque ſuæ inſeruit, & nos hic referimus.

Qua ſinuata cavo conſurgunt tecta receſſu,
Sacrataque Crucis ſleititur orbe caput,
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus,
Conditus exultat hunc tumulo eſſe locum:
Quem pius Ambroſius ſignavit imagine Chriſti,
Marmoribus libycis fida Serena polit;
Coniugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germaniſque piis pignoribus propriis.

Suſpiciones de fide Stiliconis conceptæ; earumque cauſæ.
* An. CDVI.

V. * Sed inteſtinum aliud repente & domeſticum Aug. Honorio paratum bellum, multo periculoſius, quo difficilius præcavendum. Subolebant enim ferme apud omnes, ſed uni Auguſto ignota, in Stilicone ſuſpectæ fidei indicia. Is Dux tot honoribus

auctus, & ab uno Auguſto ſecundus, cum Arcadio atque Orientalis Imperii Adminiſtris infeſtum animum gerens, captivam Principis pro lubito moderans voluntatem, occulta ſpecie tenus cum Alarico Gothorum Rege jamdudum agitabat conſilia. Obtendebatur occultis hiſce tractationibus juſta admodum atque utilis cauſa, invadendi ſcilicet Orientalis Illyrici, ejuſque Honorii Imperio adjiciendi. Idcirco quo tempore Italiam invaſerat Rhadagayſus, ſubſtiterat ex occulto Honorii mandato in Epiri partibus, veluti ſtipendiarius, Alaricus, quouſque occupandi Illyrici conſilium matureſceret. Interim in Galliis Conſtantinus, purpuram induens a militibus delatam, Belgicam & Aquitanicam Provincias occupaverat *. * An. CDVII.
In tanta Imperii tempeſtate Stilico (22) ad Orientale Illyricum inhiabat: Ravennæ ſcilicet in claſſis apparatum intentus, dum illuc transfretare parat, ab Honorio inope conſilii revocatus Romam, diuturnis conſultationibus oblatam ſibi Gallici belli provinciam callide repudiavit, effecitque hic utriuſque Militiæ Magiſter, ut Sarus, Barbarus licet natione, ſed majori fide apud Romanos, ad compeſcendos Galliæ motus (23) deſtinaretur. Veterem in Stilicone celeritatem, in ſuperioribus Barbarorum irruptionibus Romanis teſtatiſſimam, boni omnes periculoſiore hoc tempore deſiderabant. Quorſum, ajebant, ad novas injuſte adverſus Auguſti fratrem occupandas Provincias claſſes inſtruerentur, niſi ut fratres inter foverentur jurgia, & interim, ſoluta totius Imperii compege, tota Reſp. periclitaretur? Hinc in propriis tuendis ſocordia, in alienis intercipiendis audacia, & præſertim clandeſtina cum

(22) Zoſimus L. 5. c. 26. p. 577. Sozomen. L. 8. c. 25. Anno 407. juxta Pagium in Not. ad *Annal.* Baron. (23) Zoſimus L. 6. c. 2. p. 650. Sub Conſul. Honorii VII. & Theodoſii iterum, ideſt anno 407. ſic: *Eodem tempore Sarum Stilicho ducem contra Conſtantinum* (Tyrannum) *ablegat*.

Alarico conſilia in ſuſpicionem Imperii *Eucherio* Stiliconis filio comparandi vocabantur. Superveniens deinde * mors Arcadii, & ſecundæ Honorii nuptiæ ſuſpicionem jam conceptam auxere. Defuncta enim *Maria* Conjuge, quam tamen intactam reliquerat Honorius, alteram hujus ſororem *Thermantiam* impuberem, urgente Serena patruele ſua & Stiliconis uxore, ſibi in ſponſam adſcivit. Utraque autem ſive ætatis defectu, ſive Serenæ artibus, ut (24) Zoſimus & (25) Philoſtorgius teſtantur, liberis dare operam nec poſſe, nec velle dicebatur. Revera importunæ improli Honorio videbantur hæ cum *Thermantia* nuptiæ; neque aliò in ſpeciem ſpectabant, niſi, ut, decedente ſine filiis Auguſto, *Eucherius* Stiliconis filius in ſpem adipiſcendæ hæreditatis erigeretur.

* An. CDVIII.

Alaricus minarum plenus ex Pannonia in Italiam verſus progreditur. Stilico Romam profectus magnum auri pondo pro hoſte deliniendo, invito Senatu, paciſcitur.

VI. Illud vero maxime excitatam in Stiliconem invidiam onerabat, quod inter nuptialis lætitiæ celebritatem, & commotas in Galliis tragœdias nova ad Alpes Carnicas tempeſtas intonuit. Subſederat diu in Epiro Alaricus cum Gothicis copiis (26) præſtolatus Stiliconis auxilia, ut ſub ejus ductu Orientale Illyricum Honorio ſubjiceret juxta occultas cum ipſo initas machinationes. Quum autem irrita cecidiſſet conventa in Illyricum expeditio, minarum plenus Rex ille repente per Pannoniam in Noricum (27) cum valido exercitu tranſgreſſus, Æmonam uſque progreditur Italiam verſus; miſſiſque Ravennam legatis, poſcit ſibi debita ſtipendia pro oblatis in meditatam Illyrici expeditionem copiis, & refici expenſas pro ſuſcepto cum iiſdem ab Epiro in Noricum itinere. Tyranni hujus preces armatæ Stiliconem Ravenna Romam com-

(24) L. 5. c. 28. p. 581. & 582. (25) Photius in *Excerptis Philoſtorgii* L. 12. c. 2.
(26) Zoſimus L. 5. c. 26. (27) Id. L. 5. c. 29. p. 584. ſub fin., & pagg. ſeqq.

compulere, ut cum Romano Senatu de Barbaro deliniendo, & paciſcendis ſine bello ſtipendiis ageretur. Conſultus Senatus in diverſas abibat ſententias, aliorum ad pacem redimendam, aliorum vero ad bellum Barbaro denuntiandum inclinantibus ſuffragiis. Contra Stilico acriter pro hoſte demulcendo certam auri ſummam depopoſcit prodiditque mandatum Honorii quo Alaricus in Epiro ſubſiſtere jubebatur. Obmurmurantibus fruſtra Patribus, qui adverſabantur Decreto, IV. auri librarum millia Alarico numerata ſunt, ut ab Italia diſcederet, & ſic pace redempta fremens Lampadius Senator, unus liberam hanc & Romanam vocem emiſit dicens: *Non eſt iſta pax, ſed pactio ſervitutis*. Verum ſtatim libertatis Romanæ oblitus, ab emiſſa hac voce Stiliconis metu in proximæ Chriſtianorum Eccleſiæ aſylum confugit. Italia igitur univerſa Stiliconis potentia ſeu regia poteſtate perculſa, libera ſed occulta de illius machinationibus judicia depromebantur; quum ante omnium oculos verſarentur præjudicatæ jamdiu a ſanioribus Viris Stiliconis molitiones: præſertim quum Auguſti conſiliis ſolus intereſſet ſemper, & ceteros ab ejus lateribus, præter ſibi fidiſſimos, removeret. Ambitioſa etiam contra Orientale Illyricum ſuſcepta conſilia Arcadii mors anno Quinti Sæculi VIII.° * interveniens pene everterat, relicto Tutore Theodoſii II. octennis filii Iſdegerde Perſarum Rege. Quare cœptis inſiſtere quum periculoſum videretur, callide apud Honorium fidem ſuam Stilico probare nitebatur.

* An. CDVIII.

S. Venerii mors. Ejus laudes ex utroque Paulino, & ex Ennodio. Utrum auctor fuerit Libri *De Sacram.* De Cleri Mediol. caſtimonia contra Landulphi affectas.

VII. Hæc inter Romano Imperio impendentia pericula ereptus, & in cæleſtium Civium ſedem evocatus Venerius noſter in ipſo ætatis flore deceſſit (28) IV. Nonas Majas, VIII.° Pontifi-

F

(28) In Catal. ſup. cit. ſic: *Venerius ſedit ann. IX.* (ubi error, pro VIII.) *Dep. die IIII. menſis Maji ad S. Nazarium.*

catus fui anno nondum exacto, qui fama & operibus præclarus ingens Mediolanenſi Provinciæ ſui deſiderium reliquit. S. Joanni Chryſoſtomo, pro cujus reditu ſtrenue, ut vidimus, laboraverat, octo vix menſes ſuperſtes pari fato vitam finiit: Ille deducentium militum vexatus injuriis, Hic animi, ut reor, angoribus enectus, quum tot videret malis oppreſſam Italiam atque obruendam præſentiret. Anaſtaſio Rom. Pontif. notiſſimus Antiſtites, & apud Hieronymum ſumma exiſtimatione florens, ut ſuperius innuimus, gemina etiam diſciplina commendabatur, hauſta ab Ambroſio Mediolanenſi, & Delphino Burdigalenſi; quandoquidem primi ſcholam nobis Paulinus noſter (29) & alterius teſtatur alter (30) Paulinus Nolanus, cujus etiam precibus ſuſceptæ Cathedræ primordia apud Deum commendavit. Mortales Sancti hujus Præſulis exuvias certo ſcimus depoſitas in Sancti Nazarii Baſilica ea in parte Templi, quam Serena Stiliconis uxor paulo ante Libycis marmoribus ex voto ſtraverat. Præſtat hoc loco Paſtorales ejus virtutes ex Ennodio recitare, imo ex ejuſdem Epigrammate in Ejus laudem compoſito membratim enucleare. Primum occurrit, nulla unquam labe (31) violatam ejus pudicitiam, ut intelligamus, quantum in Ambroſii ſchola profeciſſet, qui tam religioſe Sacerdotalem caſtimoniam ſervaſſet, quo facilius Landulphi, ejuſque aſſeclarum os obſtruatur,

---

(29) In *Vita S Ambr.* loc. cit. (30) *Epiſt.* 20. al. 16. *ad Delphin. Burdigal. Epiſc.* n. 3. int. Opp. Paulini col. 109. Ed. Veronæ 1736., ſcripta anno 400. ubi ſic legitur: „ Mediolanenſis quoque Epiſcopus novus, filius veſter hucuſque, nunc frater *Venerius* jam ſcripſerat nobis poſt Ordinationem ſuam: ſed quia & hoc Cardamas juſſiſſe ſe retulit, ſcripſimus illi per ipſum, ut ſciret, paratam eſſe opportunitatem, ſi vellet officium debitæ pietatis agnoſcere, ut Beatitudini tuæ ſcriberet, & commendaret pectori tuo primordia ſua ". (31) Sic pro ea, qua ſcribebat, ætate ludit Ennodius in *Venerii* nomen, *Carm.* L. II. *Epigr.* 79., *De B. Venerio*; ap. Sirmond. Opp. T. I. col. 1577. Edit. Pariſ. 1696.

„ Forma pudicitiæ juvenis ſectanda Veneri
„ Venit, nominibus nil famulata ſuis.

qui impie ſenſere, a Sancto Doctore virginis unius nuptias Clero (32) fuiſſe permiſſas. Objiciens deinde (33) Poeta otioſam veluti ſub Simpliciano Ejus deceſſore Venerii facundiam, eo vehementius fluxiſſe nos docet, ex quo tempore Infulam eſt adeptus, & , quod mirum eſt, in flore ætatis ſenilem Illius eloquentiam ſuſpicit, ut facile crediderim hoc Ennodii ellogio permotos (34) Maurinos Patres, ut Venerio Libros *De Sacramentis* adjudicarent, qui ſub Ambroſii nomine circumferuntur. Poſtremo vim atque ſolidiſtatem Venerii doctrinæ egregie probat laudatus Vates (35) qui Præſulem hunc noſtrum Apoſtolis parem eloquio facit & propagatorem Eccleſiæ (*). Reſtant demum intactæ Ennodio alteræ Ve-

---

(32) *Hiſt. Mediol.* L. 1. c. 11., in *Rer. Ital. Scr.* T. 4. p. 65.

(33) Ibid. „ Fortia marcebant vetulo ſub judice membra,
„ Ætas præſentem perdiderat puerum.
„ Sublimis poſtquam conſcendit fulcra Cathedræ,
„ Cana tener populis dogmata diſſernit:
„ Aurea fluxerunt locupletis ſchemata linguæ,
„ Sol vitæ nitidum reddidit aloquium.

(34) In Præfat. ad Lib. *De Sacram* ſub fin, Opp. *S. Ambr.* T. 2. „ Minime tamen refragabimur, „ ſiquis cum doctiſſimo Viro (*Hermanno*) eoſdem Sermones aut *Venerio*, aut alii cuipiam Am- „ broſii diſcipulo, qui non multo poſt ipſum præfuerit Eccleſiæ Mediolanenſi, tributas malit.

(35) Ibid. „ Alvus ut Eccleſiæ tumuiſſet ſemine verbi,
„ Non deerat paſtus lactis Apoſtolici.

(*) Aliqua ſæpius me inceſſit dubitatio, num Maurinorum PP. ſententiam *S. Ambroſii Sermone* aliis SS. Patribus adjudicantium omni ex parte amplecterer. Videtur enim juſta de cauſa expungendus a S. Maximo *Sermo LXXIX.* (col. 607. Edit. Rom. 1784.) *de SS. Martyribus Alexandro Martyrio & Siſinnio*, cujus auctor teſtatur, ſe oculis ſuis horum Martyrum exuvias uſurpaſſe. Hoc potius convenit *Venerio* noſtro, qui & Corpora a S. Vigilio (V. ſup. Cap. I. Sect. II.) huc tranſmiſſa ſuiſmet oculis videre potuit. Idem cenſeo de *Sermone LXXXII.* (col. 615.) *SS. Cantianorum* quorum cultus in Ambroſiana Eccleſia ſolemnis fuit, & etiamnum celebratur. Veriſimile enim puto, Majores noſtros *Homiliarium* aliquod habuiſſe, ſive Homiliarum Collectionem aliquam a diverſis Epiſcopis vel Provinciæ noſtræ habitarum, quarum lectione vel in vigiliis, vel matutinis horis pro ratione feſtivitatum uterentur. Eam autem Collectionem pro uſu Eccleſiæ Ambroſianæ indiſcriminatim ſuccedentibus temporibus pro *Sermonibus S Ambroſii* habitam eo quod ab Ambroſii Succeſſoribus manaſſent. Confirmat conjecturam hanc veterum Paſtorum noſtrorum laudata apud Ennodium

Digitized by Google

nerii virtutes, quas tamen teſtatas habere poſſumus a coævo Ejus Brixiano Epiſcopo Gaudentio. Etenim, ſi eodem ordine editi conſcriptique fuere ejus Præſulis Sermones, quo habiti ab eo fuerunt atque a Notariis excepti, ea ſubit cogitatio, Sermonem ab eo habitum *De SS. Petro & Paulo* referendum eſſe ad tempora S. Venerii. Equidem in hoc Sermone laudanda occurrit hujus noſtri Præſulis hoſpitalitas, & mutua inter Epiſcopos reverentia, & Gaudentii ipſius humilitas, qui coactus Populo verba facere, in hæc verba (36) erumpit: *Venerabilis Antiſtes Chriſti*, communis *autem* Pater, *affectu, quo me proficiſcentem detinuit, nunc etiam compulit excuſantem, ut iterum dilectionem veſtram tractatu mei Sermonis alloquerer*. Ubi obſervare libet eam *communis Patris* (*) appellationem ad indicandam Metropolitani dignitatem.

Venerio Marolus ſuccedit. Ejus generis origo, & laudes ex Ennodio.

VIII. Mediolanenſi igitur Cathedra Paſtore deſtituta, de Succeſſore eligendo juxta Canones habita eſt deliberatio, omniumque ſuffragia in Marolum tandem conſpiravere; nulla ſane alia de cauſa, niſi quod egregiæ hujus Viri virtutes Cleri univerſi ac populi oculos in hunc unum converterent, atque, ut ita dicam, ſplendore perſtringerent. Ex quo tempore huic eſſet addictus Ec-

---

(Inter Opp. Sirmond. T. I. *Carm.* Lib. II.) eloquentia, & ſacræ facundiæ ornamentum, præſertim in *Venerio*, *Senatore*, & *Theodoro*, quorum Homiliæ certe ad Eccleſiæ noſtræ uſum litteris conſignatæ fuere ipſius Ennodii tempore. Neque diſſimulare poſſum, Homiliam *de Triduanis Litaniis* (In *Bibl. PP.* T. 6. p. 645. Edit. Lugdun. 1677.) ſub nomine *Euſebii Gallicani*, mirifice convenire poſſe *Theodoro I.* Epiſcopo Mediolanenſi, qui Odoacris tempore in hac Cathedra ſedit. Inſtituitur ſcilicet in ea, ut mihi videtur, comparatio primæ irruptionis in Liguriam (Vide infra Cap. IV. Sect. VI.) ab Attila factæ cum ſecunda (Vide infra Cap. V. Sect. XIV.) ab Odoacre.

(36) Pag. 367. Sermonis initio. Edit. cit.

(*) Hoc porro nomine compellavit idem Gaudentius Ambroſium init. *Tract.* habiti *de prima die Ordinationis ſuæ* (p. 332. Ed. cit) in hæc verba: *Sed beatus* Pater *Ambroſius*, *ceterique venerandi Antiſtites .... tales ad me epiſtolas cum veſtra legatione miſerunt*.

Digitized by Google

cleſiæ Marolus, difficile admodum ſtatuere poſſumus. Nam quum nullibi in hiſtoria rerum a S. Ambroſio geſtarum Maroli nomen appareat, poſt illius mortem huc appuliſſe veriſimile cenſuerim, quum hujus genus ad Provinciam Babylonicam pertinuiſſe indicet (37) Ennodius, a quo vocatur

. . . . . *Extremæ potator Tigridis oræ*

ubi enim extremus Tigris in Sinum Perſicum influit, ab Eccleſiaſticæ Geographiæ Scriptoribus (*) Babylonica regio conſtituitur. Crediderim facile, Maroli parentes chriſtianæ Religioni addictos a patria regione in Syriam tranſmigraſſe, quo tempore Saporis II. Perſarum Regis furor in Chriſtianos ſæviebat. Quum enim (38) infeliciſſimo ex prælio, in quo Julianus Apoſtata occubuit anno CCCLXIII., Jovianus Aug. ægre cum Romani exercitus reliquiis elapſus, pace pudenda cum Sapore compoſita, quinque ad Tigrim Provincias olim a Narſe Romanis relictas iterum Regi victori ceſſiſſet, infama quadam Tyranni barbarie exagitati Chriſticolæ perfugium alibi quærere coacti ſunt. Excitata hæc in originariis Maroli parentum regionibus tempeſtas quum ejus vel adoleſcentiam, vel infantiam præceſſerit, utpote quæ vix anno CCCLXXX. finem habuit, qui ultimus Saporis vitæ fuit; hinc conſequitur, Marolum juventutem in Syria exegiſſe, provincia hiſce motibus libera, quam quidem Ennodius, qui antea genus Maroli indicaverat ex provinciis ad eundem Tigrim oriundum, paulo poſt ipſum docet in Syria tanquam in proprio ſolo educatum, ſic inquiens:

Quem labor in proprio Syriæ ſolidaverat axe;

---

(37) *Carm.* Lib. II. cit. Epigr. 80. inscript. *De Venerabilis Maroli Succeſſione* ap. Sirmond. T. I. col. 1877. Edit. cit. (*) Vide Tab. Geogr. ap. Carolum a S. Paulo *Geograph. Sacr.* cum Notis Lucæ Holſtenii poſt pag. 274. (38) V. Murat. *Annal.*, ann. 363. &c.

Digitized by Google

neque enim Geographo licet ea ætate Syriam cum Babylonica provincia componere, atque Orontem cum Tigri permiſcere. Quod ſi in Syria juventutem confirmavit obduravitque laboribus, certe ſacris exercitationibus & Clericalibus ſtudiis probe inſtitutum inibi Marolum exiſtimaverim; quare in aliqua Antiochenæ Provinciæ Eccleſia non negaverim facile inter Clericos cooptatum. Quum autem ea ætate Eccleſiæ addictos juvenes ea ureret urtica, ut in exteras regiones augendæ & cumulandæ diſciplinæ cupiditate accenſi (39) peregrinarentur; hinc factum puto, ut, quum inter ceteras, quæ Maroli deſiderium inflammarent, emineret profecto Mediolanenſis Eccleſia, a Græco Scriptore Theodorito in ſua Hiſtoria, & Africanis Conciliis, ut vidimus celebrata, permoveri imo urgeri poſſet, hiſce ut regionibus allaberetur. Huc vero quum appuliſſet, captus & Ritus ſplendore, & rediviva Orientalium cæremoniarum, quas Ambroſius induxerat, ſpecie & majeſtate, facile id conſilii cepit, ut hujus Clero præoptaret adſcribi. Quis enim putet, hoſpitem & ignotum hominem, conſpirantibus Populo & Clero, ad quos ſpectabant ſuffragia, repente ad clavum Eccleſiæ regendum evocari potuiſſe? Mediolani igitur poſito Eccleſiaſticæ diſciplinæ tyrocinio ita ſtatim eminuit, ut Seniorum Magiſter haberetur, quum proderet hauſtas jam in Syria Clericales inſtitutiones, & a priſtinæ vitæ ratione ne latum quidem unguem diſcedens, perfecti jam Antiſtitis in ſe expreſſam referret imaginem. Mire itaque de eo Ennodius uno verſiculo cuncta comprehendit, inquiens:

Quod morem tenuit, ſat fuit officii.

---

(39) Vide Gaudentii Brix. Epiſc. *Tract. de prima die Ordinationis ſuæ* p. 333. & ſeqq. *Tract. de Dedicat. Baſilicæ Concil. SS.* p. 340. Edit. cit., quibus in locis habentur exempla peregrinationis ſuæ; item, quæ dicemus C. IV. Sect. IV. de Euſebio Grajo in noſtram Sedem evecto.

Neque minori felicitate ſingulas ejus virtutes complexus mihi videtur priori verſiculo:

Pervigil, intentus, ieiunus, providus, ardens;

quo certe Pontificales virtutes omnes continentur. Natura igitur atque conſuetudine ad divina mandata factus & comparatus hic noſter Epiſcopus primævæ Eccleſiæ in Liguria ſpecimen exhibuit. Quare concludit citatus Ennodius, Syriæ filiis hanc Eccleſiam illuſtratam, quandoquidem ex ea Provincia primum Chriſtianorum nomen & lumen effulſit:

Terra potens, olim Patribus fundata beatis
Nobilibus mundum partubus irradiat.

Vigilantiam, curam, macerationem corporis, providentiam, ac caritatem ab Ennodio in hoc Præſule celebratas, quindecim in hac Sede annis teſtificatas Mediolanenſes cives ſuſpexere, neque nobis ejuſdem virtutes aliunde ex Veterum monumentis licet admirari, quum illius acta excellentius digeſta ejus ſæculi Scriptorum inopia interceperit; ſed nec minores ſuſpicari licet, etſi in breviſſimo ellogio comprehenſas, ab Ennodio ſcilicet, qui XLIX. poſt Maroli obitum annos natus (40) præclaras Illius dotes a coævis Maroli viris audire & teſtificari potuit.

Jamdudum conceptæ de Stiliconis fide ſuſpiciones tandem erumpunt. Stilico Honorii juſſu interficitur. Item Serena ejus Conjux, & Eucherius filius.

IX. Quibus motibus in Maroli Pontificatus primordiis convulſus eſſet totius Heſperiæ ſtatus, nemo ignorat, & multo etiam periculoſiores exinde timebantur. Vix ſuffecto in Venerii locum communibus Cleri & Populi ſuffragiis Marolo, conceptæ de Stiliconis fide ab Aug. Honorio ſuſpiciones, Aulicorum crebris vocibus & dictis inflammatæ, eo tandem erupere, ut perduellem Du-

(40) Vide Ennodii *Eucharisticum* ap. Sirm. T. I. cit. col. 1706. init., & notam a ibid. col. 1705.

Digitized by Google

cem & Socerum ex Templo, in quod confugerat, abſtractum juberet (41) interfici; & paulo poſt ipſe Ethnicorum fautor & deſignatus Imperator (42) Eucherius, imo etiam conſobrina Auguſti Serena (43) pari fato involverentur. Roma igitur Stiliconis familiæ reſperſa ſanguine, Thermantia (44) Auguſti thalamo expulſa, Galliæ ab Romano Imperio ſub Conſtantini tyrannide divulſæ, Alaricus tum ſtipendiarius Imperii in Illyrico, ſed mox futurus hoſtis, Venetia & Liguria ejuſdem injuriis patens atque expoſita, in futuris & prope impendentibus calamitatibus omnium oculos defixerant, & cogitationes converterant. Ex adverſo Marolus in Deum intentus mitigare precibus Numinis divini iram, & ad miſericordiam flectere jejuniis conabatur; itemque in Gregis cuſtodiam evigilabat, ac providebat, ut Apoſtolici Viri imaginem, quam ex Syria attulerat, omni ex parte perfectam exhiberet. Revera divinitus factum puto, quod veniens deinde in Italiam Alaricus, omiſſa ferme Liguria, Padoque ad Cremonam trajecto, in Flaminiam magnis itineribus contendens, inde per Picenum citato agmine Narniam uſque progreſſus, Romana tandem ad mœnia ſubſedit, quadrimeſtri vix ſpatio Epirum, Iſtriam, & maximam Italiæ partem inter populationes, cædes, & incendia emenſus. Mox obſidione arctiſſima preſſa Alma Civitate, & Romanis agro prohibitis, annonam obſeſſæ multitudini intercepit. Quæ tum eſſet civium deſperatio, quis cogitando aſſequi valeat, in Urbe potiſſimum totius Orbis divitiis referta, ſed militum præſidio & commeatibus deſtituta? Impendente ipſorum cervicibus Dei Opt. Max. ira

Roma ab Alarico obſeſſa ad deditionem compellitur; pacemque magna auri ſumma ab Hoſte redimit.

(41) Zoſim. L. 5. c. 34. p. 601. & ſeq., Oroſ. L. 7. c. 38. (42) Zoſim. L. 5. cit. c. 37. p. 611. Oroſ. ibid. (43) Zoſim. L. & c. citt. p. 613. (44) Zoſim. L. cit. c. 35. p. 605.

ira cum Barbarorum ferro, eo criminum erupere, ut, evocatis ex Thuſcia Aruſpicibus, Libris Sibyllinis (45) carentes publice Diis ſuis victimas immolarent, &, contemptis legibus, earum exta ſuperſtitioſis ritibus ſcrutarentur, Romæ fatum veluti conſulturi, quod præ oculis habebant. Verum, Diis illorum neque oculos, neque manus habentibus, quum nullibi eos reperirent, in quibus tantopere confidebant, tandem conſilium e re ipſa capere ſatius viſum eſt, atque ipſo cum Hoſte paciſci, ſuperbæque Romæ ſalutem mercari. Miſſis igitur (46) legatis, ferociter ab Alarico reſponſum eſt, nihil ipſis præter miſeram animam relinquendum, vanamque eorum multitudinem ab ſe penitus irrideri. Conſternatis duriſſimo Barbari reſponſo omnium animis, novam legationem ex Senatuſconſulto mitti placuit, qua Alarici durities, & famis invaleſcentis calamitas mitigaretur. Imperratum ægre eſt, quod olim cum Gallis, Brenno duce, ab obſeſſis in Capitolio Romanis, conventum fuerat, ut ſcilicet pretio Roma redimeretur, hoc uno

(45) Hos Libros Stilico biennio ante inflammaverat, teſte Rutilio, *Itinerar.* L. 2. cit. v. 51. & 52. Edit. cit.

„ Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis
„ Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

(46) Sic Zoſim. L. 5. c. 40. p. 619. & 620. „ Quum ad Alaricum legati veniſſent, puduit „ eos ignorantiæ, in qua tandem populus Romanus hæſiſſet, pariterque mandata Senatus ex- „ ponunt. Quibus Alaricus auditis, ac præſertim, quod populus arma tractans ad pugnam „ paratus eſſet: *Spiſſius*, inquit, *fœnum rariore facilius ſecatur*. Quod verbum prolocutus in- „ genti ſublato cachinno, legatos irriſit. Quum autem ad colloquia de pace ventum eſſet, „ verbis omnem barbaricam inſolentiam ſuperantibus utebatur. Ajebat enim, non aliter ſe „ finem obſidionis facturum, niſi & aurum omne, quod eſſet in Urbe, & argentum omne ac- „ cepiſſet: præterea quidquid reperiſſet in Urbe ſupellectilis, itemque mancipia barbara. Hic, „ cum dixiſſet alter legatorum, ſi quidem hæc abſtuliſſet, quid eis tandem relinqueret, in Urbe „ qui eſſent? *Animas*, reſpondit. Hoc legati accepto reſponſo, ut cum obſeſſis ſibi colloqui „ liceret, de eo, quod agendum eſſet, petunt. Impetratis induciis, quæ hac legatione fuiſſent „ ultro citroque dicta, nunciant “.

Digitized by Google

diſcrimine, quod miſerrima hac tempeſtate nullus Romæ Camillus præſto fuit. Ingens (47) igitur imperata a Gothorum Rege auri argentique ſumma, item lautior Gothis militibus veſtiaria ſupellex, & ignota Barbarorum palato piperis cupedia. Dati interim nobiles Romani obſides, donec Auguſti conſenſus accederet, quo conditiones firmarentur. Hinc, ſoluta obſidione, commeatus ab hoſte & famis ſubſidia Romani excepere ſtatim ac datam fidem juxta conventa ſolverunt. Tanta vero auri argentique ſumma ethnicæ dumtaxat ſuperſtitionis damno ſtetit; tota enim ex Templis profanis Deorumque ſimulacris conflata quum fuiſſet, Jovis Feretrii Deorumque ceterorum & Fortunæ atque Fortitudinis ſpoliis opimis onuſti victores diſceſſere. Atque hunc primum de Idolorum cultu triumphum egit Alaricus.

Honorius nunquam animum inducit ad pacem confirmandam. Iratus Alaricus iterum Romam contendit. Imperium Honorio abrogat; e Conſularibus faſtis expungit. Attalum purpura induit.
* An. CDIX.

X. * Sed propoſitis Honorio pacis a Romanis initæ conditionibus, Is conſtantiſſime refragabatur. Primis ad Auguſtum miſſis a Senatu legatis triſti cum reſponſo dimiſſis, nova iterata legatio eſt, cui ipſe Romanus Pontifex præerat Innocentius. Sed item exorari Honorius non potuit. Demum Alaricus ipſe Ariminum uſque cum copiis progreſſus armatas minitabundus quamvis admoveret preces, nihil interminando, neque poſtulando profecit, quum inops conſilii Auguſtus cum ſuis Adminiſtris pacem diuturna deliberatione & tempus extraheret. Quare moræ impatiens Alaricus, ne tota e manibus elaberetur victoria, Honorium ulciſci potius, quam Romam conſtituit, pro qua perdenda Auguſtus, contra pro conſervanda hactenus Hoſtis laboraverat. Hinc, mora nulla inter-

(47) Ibid. c. 41. p. 623. „ Placuit, ab Urbe ſolvi quinque millia pondo auri, argenti triginta millia, tunicarum ſericarum quatuor millia, vellerum coccineorum tria millia, piperis tria librarum millia “.

poſita, iterum Romam promoto exercitu, cum Romano Senatu pacifci voluit, poſcens, ut Imperium abrogaretur Honorio, quem ſuſtinendo imparem & tantæ Urbis hoſtem vocitabat, & alium Auguſtum ſibi præficeret. Obſtiterunt primum Patres Alarici minis, & ſacramenti memores impia Hoſtis vota repudiarunt. Sed, quum, interceptis a Romano Portu commeatibus, famem imminere hoſte duriorem viderent, tandem intra mœnia receptus eſt Hoſtis, qui Præfectum Urbis Priſcum Attalum purpura indutum (48) Honorii loco Auguſtum renuntiavit. Hic extemplo Imperator purpuratus Senatum ingreſſus arrogantiſſimam quum orationem in Curia habuiſſet, Prætorio Lampadium, Urbi Marcianum præfecit, inde Alaricum ipſum utriuſque Militiæ Magiſtrum creavit. Ataulfum vero Alarici conſanguineum domeſticum Equitum Comitem conſtituit, quum paulo antea ex Pannonia cum ſubſidiariis copiis adveniſſet; ac denique, contra Alarici conſilium, Conſtantinum in Africam cum paucis navibus & maritimis copiis præmiſſum pro rei annonariæ Romam ex ea Provincia advehendæ tutela deſtinavit. Neque a fide abſonum omnino crediderim, ejurato a Romanis ob Alarici metum Aug. Honorio, in hujus odium nomen etiam a faſtis Conſularibus fuiſſe eraſum, quum VIII.° Honorii Conſulatu iſte annus CDIX. deſignaretur, ejuſque loco fuiſſe ſuffectum Barbari Regis juſſu Tertullum, cui etiam in annum inſequentem prorogati ſunt faſces Conſulares. Quis enim credat, permiſſurum fuiſſe, ut Honorii Conſulatu Acta publica ſignarentur, quem ipſe ne Auguſti quidem titulo noſſe vellet, & Attalo Auguſto ſubſtituto Conſulem Honorium tolerare potuiſſe? Quas enim leges, quæ Majorum inſtituta opponere Romani poterant Tyranno furen-

(48) Zoſim. L. 6. c. 7. p. 659. Sozomen. L. 9. c. 8.

ti? Porro, ſi hoc & ſequenti anno Conſulatum geſſit Tertullus, Alarico jubente, qui rerum potiebatur; tum facile juxta Pagium & Muratorium exciſæ Romæ & direptæ IX.[us] Quinti Sæculi annus ſtatuetur, quorum ſententiæ ſolus Tertulli Conſulatus in annum X.[um] conjectus viſus eſt hactenus adverſari. Huic meæ conjecturæ Zoſimus ipſe (49) ſuffragari videtur. Scriptor enim ille, dum finem ſuæ Hiſtoriæ imponeret, in Attali ad Imperium exaltatione ſiſtit, neque ultra dimidium anni CDIX. progreditur; Tertulli tamen Conſulis mentionem facit: quare eo jam tempore Conſul erat Tertullus.

Alaricus Ravennam ad Honorium proficiſcitur, iterum pacem poſtulaturus, ſed fruſtra. Romam denuo petit ac miſere depopulatur.

XI. Ita tyrannice compoſito Almæ Urbis ſtatu, auctoque militum numero propter ſexaginta Barbarorum millia libertate donata & copiis adjuncta, Ravennam verſus cum Imperatore ſuo Alaricus contendit aut Urbem, aut Honorii voluntatem expugnaturus. Perculſus metu Honorius tanta belli mole impendente transfretare Ravenna Conſtantinopolim meditabatur. Sed opportuno a nepote Theodoſio copiarum auxilio recreatus in propoſito ſibi pacis repudiandæ conſilio animum obfirmavit. Licet enim ad pacis ſtudia urgeret ſororis Gallæ Placidiæ amor, quæ (50) Romanorum fidei obſes in Alarici poteſtate erat, regio quidem in cultu & honore habita; nimis tamen averſabatur propoſitam ab Hoſte fœderis ineundi conditionem, ut Alarico ipſo Militiæ Magiſtro in bello uteretur. Quare inops conſilii Honorius & infido conſiliario Jovio

(49) Zoſim. L. 6. c. 7. p. 660. *Romani magna exultare lætitia, qui & alios Magiſtratus Reip. recte gerendæ peritos nacti fuiſſent, & inſignem ex* Tertulli Conſulis *honore voluptatem caperent*. Neque a Zoſimo diſſentit Oroſius, qui Lib. 7. c. 42. ſic habet; *Cujus* (Attali) *ille umbratilis* Conſul Tertullus *auſus eſt in Curia dicere: Loquar vobis, Patres Conſcripti*, Conſul *& Pontifex, quorum alterum teneo, alterum ſpero*. (50) Zoſim. Hiſt. L. 6. c. 12. p. 669. „ Placidia quoque ſoror Imperatoris cum Alarico erat, vicem illa quidem obſidis modo quo„ dam implens; ita tamen, ut omni honore cultuque regio frueretur “.

Digitized by Google

apud Barbarum uſus ſeſe ultro in majores laqueos implicabat. Interea dilata Ravennæ obſidione urgebat (51) Alaricus Æmiliæ atque Liguriæ civitates, ut dato fidei ſacramento Attalum Auguſtum recognoſcerent. In fide tamen Auguſto data legimus unam Bononiam, licet obſeſſam, conſtantiſſime perſtitiſſe. Quare lubet nobis ſuſpicari, hanc Liguriæ ad Attalum defectionem ad Mediolanenſem urbem uſque non permanaſſe, quum, Marolo Antiſtite, tantum ſcelus in civium mentes cadere non poſſet, & aliæ ſupervenientes curæ Alaricum ab hoc conſilio revocaverint. Nam, audito infelici Africanæ expeditionis exitu, & pluribus proditionum ſuſpicionibus exagitatus ac fremens Alaricus primum in Attalum ipſum mali totius auctorem iram ſuam convertit, quem (52) apud Ariminum purpura ſpoliatum ad privati hominis conditionem redegit, apud ſe tamen cum filio Ampelio obſidis loco retentum. Mox ira ſuccenſus ob improviſam Sari in Ataulfum propinquum ſuum factam, non ſine Suorum cæde, irruptionem, omiſſo inter Ravennæ munitiones Honorio, repente iterum motis caſtris Romam verſus, Urbem licet tum ſibi amicam & deditam, hoſtis ex amico ſubito factus, crudelitatem anhelans & ſcelus ſpirans obſidet, & de more interceptis rei annonariæ ſubſidiis cives in deſperationem adducit. Aderat quippe in Civitatis foribus divina Ultio: expianda tandem erant tot fora & amphiteatra tot Martyrum ſanguine redundantia: vindicandæ etiam Ethnicorum ſuperſtitionis, nunquam tot Edictis exciſæ, reliquiæ adhuc in profanis ac ſacri-

(51) Zoſim. L. 6. c. 10. p. 666. „ Et Alaricus ipſe cunctas urbes Æmiliæ cum copiis „ adiit, quotquot imperium Attali prompte accipere recuſaſſent. Et alias quidem, nullo la- „ bore redegit in ditionem: Bononiam obſeſſam & hoſtem compluribus diebus ſuſtinentem „ capere non potuit. Itaque verſus Ligures pergit, ut illos etiam Attalum Imperatorem „ adgnoſcere cogeret “. (52) Zoſim. L. 6. c. 12. p. 668. & 669.

Digitized by Google

legis ritibus ſordentes: punienda populi pervicacia triumphantis (53) de Rhadagayſi in Thuſciam adventu, & (54) de Eucherii in Auguſtum eligendi ſperata dignitate; quorum uterque ultimam illaturos Chriſticolis cladem minitati fuerant: dandæ demum erant a Romanis (55) pœnæ juſtiſſimæ ob eorum ſuperbiam, & in chriſtianam Religionem blaſphemias. Neque ullus tum erat Romæ Moſes, aut Phinees, qui contra faciem divinæ indignationis ſubſiſteret interceſſor. Nam & SS. Pontifex Innocentius ſecundæ ad Honorium miſſæ legationis princeps Ravennæ cum Auguſto ſubſtiterat, Deo ita providente, ut veluti juſtus Lot (56) perverſæ Urbis incendio eriperetur. Divino igitur ductu (57) Alaricus quum Romam ferro & fame urgeret, divinæ etiam ultionis adminiſter; demum, quum remiſſius inter tot mala excubarent Romani, noctu in Urbem irrupit, ante diem XXIV. Auguſti anno CDIX. juxta Pagium, Muratorium, imo & (58) Iſidorum; licet non ignorem, alios non leves certe Scriptores in annum inſequentem eam expugnationem protraxiſſe, factam certe Conſule Tertullo renunciato anno ipſo CDIX., ut jam ſuperius animadvertimus.

---

(53) Oroſius de ejus adventu in Italiam loquens ſic ait L. 7. c. 37. p. 563. „ Hoc igitur „ Romanis arcibus imminente, fit omnium Paganorum in Urbe concurſus, Hoſtem adeſſe „ cum atique virium copia, tum maxime præſidio Deorum potentem; Urbem autem ideo de„ ſtitutam, & mature perituram, quia Deos, & ſacra perdiderit. Magnis querelis ubique „ agitur, & continuo de repetendis ſacris celebrandiſque tractatur. Fervent tota Urbe bla„ ſphemiæ, vulgo Nomen Chriſti, tanquam lues aliqua præſentium temporum, opprobriis gra„ vatur “. (54) Id. c. ſeq. p. 572. „ Eucherius, ad conciliandum ſibi favorem Paganorum, „ reſtitutione Templorum & everſione Eccleſiarum imbuturum ſe Regni primordia minaba„ tur “. (55) Id. ibid. paulo poſt: „ Itaque poſt hæc tanta augmenta blaſphemiarum, „ nullamque pœnitentiam ultima illa, diuque ſuſpenſa, Urbem pœna conſequitur “. (56) Oroſius Lib. 7. c. 39. p. 573. (57) Socr. *Hiſt. Eccl.* L. 7. c. 10. p. 355. Edit. Cantabrig. 1720.: *Cui* (ideſt Monacho roganti) *Alaricus: Ego, inquit non ſponte eo proficiſcor: ſed neſcio quis me quotidie ſollicitet ac ſtimulat ita dicens: Perge Urbem Romam vaſtaturus*. Quod etiam confirmat Sozomen. *Hiſt. Eccl.* L. 9. c. 6. p. 372. Ed. cit. (58) Ap. Murator. ipſum ad hunc annum 409.

Quæ in ea direptione acciderint.

XII. Quùm nihil Roma eſſet opulentius, certe nulla ullibi præda exſtitit uberior, quum tot Prætorum rapinis congeſtæ divitiæ, tot victarum Nationum pretioſiſſima ſpolia in unum collecta laterent, aut publicam magnificentiam ornarent. Diſcurrentibus in prædam Barbaris, ſeveriſſime ab Alarico edictum, ut a ſacris Chriſtianorum locis, ac præſertim a Beatorum Petri ac Pauli baſilicis rapaces manus abſtinerent, quas etiam vetuit humano ſanguine pollui. Huc etiam confugientibus voluit Barbarus tutiſſimum omnibus patere aſylum atque perfugium. Permiſſa deinde Barbaris profanorum depopulatio, quæ triduum tenuit cum omni crudelitate ac militari licentia conjuncta. Tenebat defixos admiratione Gothos prædæ opulentia, cujus pretium ignorantes, omnia non ex artificio, ſed ex metallo æſtimabant. Evulſæ ex Idolorum templis argenteæ, aureæque laminæ, quumque patentes jam theſauros expilaſſent, ad occultos & abditos effodiendos converſi extorquere tormentis a civibus conabantur, utrum ullibi repoſita, aut ſepulta præda lateret. Hinc civium ejulatus, matronarum ac virginum luctus ac deſperatio, morientiumque gemitus undique exaudiebantur. Diſcurrentibus (59) per privatos lares Gothis oblata eſt magnifica &

---

(59) Præſtat hoc factum ex Oroſio ipſo exponere (L. 7. c. 39. p. 573. 574.) „ Forte „ unus Gothorum idemque potens & Chriſtianus, ſacram Deo virginem jam ætate provectam „ in quadam Eccleſiaſtica domo reperit: cumque ab ea aurum argentumque honeſte expoſce„ret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum & mox proferendum ſpopondit ac protulit. „ Dumque, expoſitis opibus, attonitum Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, „ ignota etiam vaſorum qualitate, intelligeret, virgo Chriſti ad Barbarum ait: *Hæc Petri* „ *Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt: præſume, ſi audes, de facto tu videris: ego, quia defendere* „ *non valeo, neque tenere audeo*. Barbarus vero ad reverentiam religionis timore Dei, & fide „ virginis motus, ad Alaricum per nuntium hæc retulit: qui continuo reportari ad Apoſtoli „ baſilicam univerſa, ut erant, vaſa imperavit: virginem etiam, ſimulque omnes, qui ſe „ adjungerent, Chriſtianos eodem cum defenſione deduci. Ea Domus a ſanctis ſedibus longe, „ ut ferunt, & medio interjectu Urbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium diſpoſita per „ ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palam aurea atque argentea vaſa portantur: exſer-

Digitized by Google

ditiſſima aurea ſupellex; quumque intellectum a prædonibus eſſet, eam ad Beati Petri baſilicam ſpectare, juſſi ſunt ab Alarico milites eam tueri, & exſertis gladiis defenſare, atque in ſuum locum referre. Demum in publicam etiam magnificentiam & opera pulcherrima deſævitum eſt a rudibus artium militibus, tantoque furore, ut ædificia partim ruinis, partim incendio deformarent: & ne ambigeretur, Deo vindice tantam Romæ cladem inferri, clariſſima Urbis loca e cælo icta fulminibus & diruta ſcribit (60) Oroſius, quæ intacta Gothi reliquerant. Quum igitur Idolorum cultus in principe Orbis Roma tam altas egiſſet radices, nonniſi ea everſa Ethnicorum ſuperſtitio everti potuit, cui certe tum extrema ſecuris fuit inflicta. Placet tragœdiæ huic finem imponere (61) Oroſii verbis, quæ nobis indicant, non tam Alaricum de Romanæ Urbis potentia eo tempore, quam Chriſti Religionem de ſuperſtitione atque idololatria triumphaſſe. Infert enim hic Scriptor, illud Romæ excidium *tanquam magnum cribrum fuiſſe, per quod ex congregatione populi Romani, tanquam ex magna maſſa frumenti, per omnia ex univerſa ambitu Civitatis latebrarum foramina effluxere grana viva ſive occaſione, ſive veritate commota, omnia tamen de præſente ſalute credentia ex horreo Dominicæ præparationis: accepta*

„ tis undique ad defenſionem gladiis pia pompa munitur: hymnis Deo, Romanis Barbariſque „ concinentibus, publice canitur. Perſonat late in excidio Urbis ſalutis tuba, omneſque etiam „ in abditis latentes invitat ac pulſat. Concurrunt undique ad vaſa Petri, vaſa Chriſti; plu„ rimi etiam Pagani Chriſtianis profeſſione, etſi non fide, admiſcentur; & per hoc tamen ad „ tempus, quo magis confundantur, evadunt. Quanto copioſius adgregantur Romani confu„ gientes, tanto avidius circumfunduntur Barbari defenſores ".

(60) L. 7. c. 39. cit. p. 575. ſic ait: „ Et ne quiſquam forte dubitaret, ad correptionem „ ſuperbæ laſciviæ & blaſphemæ Civitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum, eodem tempore clariſſi„ ma Urbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ inflammari ab hoſtibus nequiverunt ". (61) Ibid.

cepta ſunt: reliqua vero, ſicut ſtercora & veluti paleas, ipſa vel incredulitate vel inobedientia præiudicata ad exterminium atque incendium remanſiſſe.

Quo vere anno Roma ſit capta. Alarici mors brevi conſequuta pacem ex inſperato toti Italiæ ominatur.

XIII. Luctuoſam hanc Italiæ cladem præceſſerat biennio ante, eodem auctore & architecto, dum viveret, Stilicone, Galliæ univerſæ per evocatos a Rheno Barbaros facta vaſtatio, quæ, quum unanimi Chronologorum conſenſu cœpta referatur ad ineuntem annum CDVII., certius etiam nos docet, quoto V.[i] Sæculi anno Roma ſit capta. Docente enim (62) Oroſio, ante biennium, quam Roma diriperetur, Vandalos, reliquaſque gentes in Gallias excurriſſe a Stilicone commotas, quis non videt, hoc biennium effluxiſſe anno hujus Sæculi IX.[o]? Et ſane Hieronymus (63) quum damna recenſeret ejus regionis, tanquam vetera deplorat, quum dicat, præ *vetuſtate lacrymas aruiſſe*, novaſque effundere tum Romam *pro ſalute ſua pugnantem*, ſcilicet verno tempore anni CDIX. quo ad Ageruchiam ſcribebat. Spectabat interim noſtræ Eccleſiæ Pontifex Marolus tanquam e litore aliena miſerans naufragia, & circumſonantium tempeſtatum fulgura & tonitrua excipiebat non ſine metu

(62) L. 7. c. 11. p. 576. „ Interea ante bienninm Romanæ irruptionis excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ Francos proterunt, Rhenum tranſeunt, Gallias invadunt, directoque impetu Pyrenæum uſque proveniunt “. (63) *Epiſt. ad Ageruchiam* n. 91. Opp. T. 4. col. 748. in fine: „ Cetera taeco, ne videar de Dei deſperare elementia. Olim a Mari Pontico uſque ad Alpes Julias non erant noſtra, quæ noſtra ſunt. Et per annos triginta, fracto Danubii limite, in mediis Romani Imperii regionibus pugnabatur. Aruerunt vetuſtate lacrymæ. Præter paucos ſenes, omnes in captivitate & obſidione generati, non deſiderabant, quam non noverant, libertatem. Quis hoc credet? quæ digno ſermone hiſtoriæ comprehendent? Romam in gremio ſuo, non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare? Imo ne pugnare quidem, ſed auro & cuncta ſupellectile vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed ſcelere Semibarbari accidit proditoris (*Stiliconis*) qui noſtris contra nos opibus armavit inimicos “.

& lacrymis, fuſiſque ad Deum precibus mitigare Divini Numinis iracundiam pro virili ſtudens, deprecari a grege ſuo impendentia mala conabatur. Evigilabat, ut populum ſuum Deo conciliaret, jejuniis vacans Deum humilitate vincebat, quem Romana ſuperbia offenſum iratumque cognoverat; patienter demum, ſed provide exſpectabat, donec concitati in Rempublicam fluctus ſubſiderent, aut plane conquieſcerent. Conſpirabant cum Marolo SS.mi Pontificis Innocentii preces, & Catholicorum totius Heſperiæ vota, ſed præſertim religioſiſſimi Auguſti Honorii pietas, quibus omnibus annuere tandem viſus eſt Deus Opt. Max.; eo tempore potiſſimum pace ex inſperato affulgente, quo magis exarſura bella timebantur. Namque anno Romæ excidium conſequente Alaricus reliquam Italiæ regionem populatus, dum in extrema Calabriæ parte Rhegium obſidet, inde in Siciliam transfretare parans * repentina morte correptus Regnum Ataulfo cognatione ſanguinis conjuncto relinquit; qui tamen Regni quidem, ſed non odii in Romanos hæres, mitiora in pacem ineundam cum Auguſto ſtudia fovebat.

* An. CDX.

CAPUT TERTIUM.

Ataulfus Alarici ſucceſſor divinitus pacis conſilia cum Honorio init. Gallam Placidiam uxorem ducit.

EMinebat inter Romanos obſides Alarico captivos Galla Placidia Honorii ſoror, quæ apud novum Regem Ataulfum æque ac Alaricum ſummo ſemper in honore habita, imperium quidem, utpote formoſa & ingenii acerrima femina, in Ataulfi animum exercebat. In eam Gothicus ipſe admiſſarius quum adhinniret, ſagax virgo Auguſta dum amoris callide & honeſte flammas alebat, ſapienter & ſenſim belli extinguebat incendium. Quare vel Placidiæ

Digitized by Google

conſiliis permotus, vel deſperatione delendi Romani Imperii & domandæ Gothicæ feritatis, vel Legum Romanarum veneratione, vel demum Honorii & Theodoſii Augg. metu (1) ea novo Regi certe divinitus injecta mens eſt, ut * ſponte pacem Honorio trien- * An. CDXII.
nio poſt offerret; imo, deſerta Italia, in Gallias ſe reciperet, & ibi Romani defenſor Imperii Tyrannos Galliarum armis inſequeretur; atque, mactatis ſcilicet Jovino & Sebaſtiano, fœdus cum Honorio confirmare ſatageret. Quo firmato * auſus eſt Placidiam * An. CDXIV.
ipſam conſentientem, licet Aug. fratre invito, uxorem ducere, celebratique cum ea matrimonii pompam in Narbonenſi urbe Gallorumque oculis defigere: in qua poſt connubiale convivium dotalia munera Auguſtæ Sponſæ offeruntur ab Ataulſo, Romano cultu induto, centum aureæ pateræ monetis aureis partim onuſtæ, partim gemmis pretioſiſque monilibus ac margaritis refertæ atque ex Romana præda ſervatæ. Pupugit Romani in Gallia Ducis Conſtantii animum audax Ataulfi factum. Ille enim triennio ante ad reſtituendas Galliarum res præmiſſus, & in Placidiæ ipſius nuptiarum ſpem

(1) Oroſ. L. 7. c. 43. p. 584. „ Ego quoque ipſe Virum quendam Narbonenſem, illuſtris „ ſub Theodoſio militiæ, etiam religioſum prudentemque & gravem, apud Bethleem oppidum „ Palæſtinæ, beatiſſimo Hieronymo presbytero referentem audivi, ſe familiariſſimum Ataulpho „ apud Narbonam fuiſſe: ac de eo ſæpe ſub teſtificatione didiciſſe, quod ille, quum eſſet ani- „ mo, viribus, ingenioque nimius, referre ſolitus eſſet, ſe in primis ardenter inhiaſſe, ut „ obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum Imperium & faceret, & vo- „ caret: eſſetque, ut vulgariter loquar, *Gothia*, quod *Romania* fuiſſet; fieretque nunc Ataul- „ phus, quod quondam Cæſar Auguſtus. At, ubi multa experientia probaviſſet, neque Gothos „ ullo modo parere legibus poſſe propter effrænatam barbariem, neque Reip. interdici leges „ oportere, ſine quibus Reſp. non eſt Reſp.; elegiſſe ſe ſaltem, ut gloriam ſibi de reſtituen- „ do in integrum augendoque Romano nomine Gothorum viribus quæreret, haberetúrque „ apud poſteros Romanæ reſtitutionis auctor, poſtquam eſſe non potuerat immutator. Ob hoc „ abſtinere a bello, ob hoc inhiare paci nitebatur, præcipue Placidiæ uxoris ſuæ, feminæ „ ſane ingenio acerrimæ & religionis ſatis probæ, ad omnia bonarum ordinationum opera per- „ ſuaſu & conſilio temperatus “.

Digitized by Google

erectus, dum ſequeſter pacis inter Ataulfum & Imperatorem fuerat, cum Gothorum Rege in primis convenerat, ut Placidia intacta fratri reſtitueretur. Quare privatam injuriam & Auguſti ulturus, Narbona primum, deinde ex Galliis ſeu vi, ſeu inopia commeatuum exturbatum in Hiſpaniam poſtremo compulit illi ab Honorio conceſſam; unde Gothorum in ea Provincia Imperium originem habuit XV.° Quinti Sæculi anno. Sie metu Gothorum liberatus Honorius, & Galliis Conſtantii Ducis virtute retentis, ad reſarciendas Italiæ calamitates converſus, celebratis Romæ jam Imperii ſui vicennalibus, deinde datis legibus, aboleverat præteritæ cladis labes & damna egeſtis ruinæ ruderibus, ac deletis incendiorum veſtigiis in meliorem formam ædificia publica renovaverat, tantoque Urbis ſplendore, ut (2) excidium ſe ac deformatam aliquanto poſt Roma oblivifceretur. Infelicior quidem reliquæ Italiæ ſtatus erat, quem deplorans (3) Rutilius, ejus cauſa maritimum terreſtri iter prætulit, dum in patriam Galliam anno CDXVII. (4) poſt Præfecturas Romæ geſtas reverteretur. Certe annis Romanum excidium ſubſequentibus nos fateamur neceſſe eſt, atque Ethnici ipſi fateri compulſi ſunt, Dei unius Providentia humanas res admini-

Honorius Italiæ damnis & catholicæ Religioni conſulit. Ataulfo extincto Galla Placidia Conſtantio nubit. Attalus purpura exutus ab Honorio in triumphum ducitur.

---

(2) Oroſ. L. 7 c. 40. p. 576. „ Anno itaque ab U. C. MCLXIV. irruptio Urbis per „ Alaricum facta eſt: cujus rei, quamvis recens memoria ſit; tum ſiquis ipſius populi Ro„ mani & multitudinem videat, & vocem audiat, nihil factum, ſicut etiam ipſi fatentur, arbi„ trabitur, niſi aliquantis adhuc exſiſtentibus ex incendio ruinis forte doceatur ". (3) *Itinerar.* L. 1. v. 37. & ſeqq. pag. 2. Edit. Amſtelod. 1687. cit.

„ Electum pelagus, quoniam terrena viarum
„ Plena madent fluviis, cautibus alta rigent.
„ Poſtquam Tuſcus ager, poſtquamque Aurelius agger
„ Perpeſſus Geticas enſe, vel igne manus.
„ Non ſilvas domibus, non flumina ponte coercet,
„ Incerto ſatius credere vela mari.

(4) Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat.* L. 3. P. 4. c. 2. It. Caſp. Barth. ad *Rutil.* Animadv. p. 169.

Digitized by Google

ſtrari ac regi, admirantes & ſedulo expendentes, quanta brevi tempore facta fuerit rerum converſio ex tanta tempeſtate, qua obrutum plane Occidentale Imperium credebatur. Libet repetere datum hoc (5) divinitus munus religioſiſſimo Auguſto, cujus eximia ſemper religio fuit, ſanctiſſimorumque Epiſcoporum Italiæ & Galliæ precibus, inter quos Exuperium nominatim Hieronymus (6) commendat. Suis enim momentis ſi expendamus Alarici improviſum interitum, ſucceſſoris Ataulfi ab Italia voluntariam ſeceſſionem, Gallias prorſus perditas a Conſtantio Comite reſtitutas, Placidiæ nuptias cum Hoſte, inimicos cum Honorio conciliatos, imo Imperii defenſores (7) factos, Ataulfo * extincto * Placidiam fratri Aug. redditam, Conſtantium ejus maritum, patrem Valentiniani, Auguſtæ Theodoſii Magni ſucceſſionis propagatorem, *attrectare* (8) *& invenire Deum* videbimur, *vocantem*, ut cum Apoſtolo (9) loquar, *ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. VIII.° ab Urbe

* An. CDXV.
* An. CDXVI.

(5) Oroſ. L. 7. c. 42. p. 583. „ Hunc omnem catalogum vel manifeſtorum Tyrannorum, „ vel inobedientium Ducum optima Honorius Imp. religione & felicitate occidi meruit, ma„ gna Conſtantius Comes induſtria & celeritate confecit “. *Quare et Gentilibus obſtructurus, ſic Opus ſuum concludit L. 7. c. 43. p. 587.* „ Manifeſtavimus, ut arbitror, atque oſtendimus, „ non magis verbo pene, quam digito, innumera bella ſopita, plures extinctos Tyrannos, „ compreſſas, coanguſtatas, addictas, exinanitaſque immaniſſimas gentes minimo ſanguine, „ nullo certamine, ac pene ſine cæde. Supereſt, ut obtrectatores noſtros molitionum ſuarum „ pœniteat, veritatique erubeſcant, Deumque verum & ſolum, qui poteſt omnia, credant, „ timeant, diligant, & ſequantur “. (6) In *Epiſt. ad Ageruch* cit. col. 748. verſ. fin. „ Non poſſum abſque lacrymis Toloſæ facere mentionem, quæ, ut hucuſque non rueret, ſan„ cti Epiſcopi Exuperii merita præſtiterunt “. (7) Oroſ. L. 7. c. 43. p. 586. „ Placidiam „ Imperatoris ſororem honorifice apud ſe honeſteque habitam (*Vallia Ataulfi Succeſſor*) fra„ tri reddidit. Romanæ ſecuritati periculum ſuum obtulit, ut adverſum ceteras gentes, quæ „ per Hiſpanias conſediſſent, ſibi pugnaret, & Romanis vinceret: quamvis & ceteri Alano„ rum, Vandalorum, Suevorumque Reges eodem nobiſcum placito depacti forent, mandantes „ Imperatori Honorio: Tu cum omnibus pacem habe, omniumque obſides accipe: nos nobis „ confligimus, nobis perimus, tibi vincimus: immortalis vero quæſtus erit Reip. tuæ, ſi utri„ que pereamus. Quis hæc crederet, niſi res doceret “? (8) *Act.* c. 17. v. 27. (9) *Ad Rom.* c. 4. v. 17.

Digitized by Google

capta anno, virtute Conſtantii Comitis Romanorum Ducis pacata Gallia & Hiſpania, & reſpirante Italia, redditaque ſorore, Honorius * illius nuptiis cognatum ſibi Comitem Conſtantium, iterum Conſulem & Patricii dignitate ornatum adſciſcit, deinde reſtitutam Romanam Urbem triumphans XI.um Conſul ingreditur, Attalumque illum Imperatorem, teſte (10) Oroſio, *factum, infectum, refectum, ac defectum*, a Gothis tandem traditum, pedibus currui præeuntem, Romanis irridendum propinat.

* An. CDXVII.

Honorii Edicta & curæ pro Fide catholica. Pelagii errores a Paulino Mediolanenſi in Africa detecti, Innocentii I., Zoſimi, & Bonifacii Decretis confixi. Marolus Antiſtes noſter Sacerdotalis continentiæ cuſtos & vindex.

II. Tot igitur periculis divina ope ereptus piiſſimus Auguſtus, quum Deo ſalutem Imperii referret acceptam, ad divini cultus incrementum ſtudia atque curas convertit. Quum primum reſpirare liberius cœpit, edixit ſeveriſſime, ut omni idolorum cultu abſtineretur, &, ne ulla ethnicæ ſuperſtitioni ſalus, aut ſalutis ſpes reliqua eſſet, removerentur ab Chriſticolarum oculis ſacra Paganorum omnia, ne ulterius Fidelium mentes contaminarentur; loca etiam iis cultibus devota juſſit Principum patrimonio in poſterum addici; idque non ſolum in Africa, ſed toto Orbe ſibi ſubjecto obſervandum (11) ſauxit, antiquavitque vetera Decreta, quibus ea fuerant permiſſa. Mirari autem ſubit, nullam in hac Lege de Romana Urbe injectam mentionem; obmuteſcebant enim fortaſſe ibi Gentilium dicteria, coactorum in excidio vitam atque ſalutem in Chriſtianorum Templis quærere, & Chriſtum, ſaltem nomine tenus, invocare. Invaluerat etiam per hæc tempora in Afrorum partibus impium Pelagii dogma ad Innocentii I. Pontificis tribunal (12) a PP. Carthaginienſibus delatum. Quam Pelagiani erroris

(10) L. 7. c. 42. p. 582. V. & *Hiſt. Miſcell.* L. 14. init. (11) *Cod. Theodoſ.* Tit. X. L. 16. Leg. 20. ap. Gothofred. T. 6. p. 290. Edit. Lugd. 1665. (12) Ap. Couſtant. *Epiſt. Romm. Pontiff.*, inter quas *Epiſt* 26. *Carthag. Concilii ad Innocent.* p. 867. Edit. Pariſ. 1721.

maculam a grege ſuo ſedulo præcaviſſe Marolum noſtræ Eccleſiæ Antiſtitem non dubito. Facilius enim & citius præmoneri hic Præſul potuit per Paulinum, noſtrum antea Clericum, tum in Africa Diaconum (13) quam Innocentius Romanus, qui graſſantem hæreſim ſolum ex Africano Concilio intellexit. Proclive eſt conjicere, Paulinum noſtrum apud Africanos primum fuiſſe Pelagiani dogmatis detegendi auctorem, ut exiſtimavit etiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens (14) Card. Baronius. Imo qua vigilantia & animi ardore pectus Paſtorale impio dogmati oppoſuerit Marolus, colligere poſſumus ex brevi Ennodii (15) ellogio, qui *providi* & *ardentis* nomine expreſſam nobis ſancti illius Antiſtitis imaginem ſuis vere coloribus depingit. Damnato itaque, Innocentii etiam Decreto, Pelagianorum errore, quum poſt ſancti hujus Pontificis mortem Romam veniſſent Pelagius atque Cæleſtius, & ſucceſſorem Zoſimum prius ſuis fallaciis irretire conati eſſent; tandem detecta fraude liberare Italiam eorum dogmate contaminatam *, & nova damnationis ſententia eoſdem configere Pontifex *An.CDXVIII. ſtatuit, & (16) Auguſti Decretum in ipſos impetravit. Importune accidit Zoſimi ejuſdem mors anno exeunte CDXVIII., quandoquidem pro ſucceſſore eligendo inter Bonifacium atque Eulalium orta eſt contentio, quæ plures menſes tenuit, adeoque exarſit, ut Symmachi favore (17) ſuſtentatus Eulalius, licet vitio electus, Bonifacium legitimum Pontificem Urbe extruderet, prout exitus rei comprobavit. Nam, re in Concilio (*) mature perpenſa, Ho-

---

(13) Vide ſupra Cap. I. Sect. III. (14) Ad ann. Chr. 397. n. 47. (15) *Epigr.* ſup. recit. Cap. II. Sect. VII. (16) V. Baron. *Annal.* ad ann. 418. n. 20. & ſeqq. (17) Vide inter *Epiſt. Symmachi*. Epiſt. ad *Honorium* n. 21. in *Auctario Symmachiano* p. 303. Edit. cit. Pariſ. 1604. (*) Huic Concilio interfuiſſe Marolum autumo ex ipſius Honorii Decreto, de quo in altera ex *Honorii* ejuſdem ad *Symmachum* Epiſtolis (n. 23. in *Auctario Symma-*

Digitized by Google

norius edixit, Bonifacium in Petri Cathedram reſtituendum. Neque dubito, hoc Honorii exemplo LXXX. poſt annos permotum Theudericum Regem in pari Schiſmatis Romani cauſa, ut, ad expendendam Symmachi Romani Pontificis electionem, meliore conſilio Laurentium Mediolanenſem Epiſcopum Concilio Romano præficeret, prout infra (18) videbimus. Adjudicata itaque Petri Cathedra Bonifacio Concilii totius ſuffragiis, atque Auguſti ipſius Decreto,

* An. CDXIX. is * in jam damnata Pelagianorum hæreſi eliminanda impigre laboravit, utque hæc ſtirpitus evelleretur contagio, Pontifex ipſe Romanus Honorio preces admovit, ut damnationem eorum Imperatorio præcepto (19) confirmaret. Quo ex Principis benignitate facile impetrato, exciſa ferme idolorum ſuperſtitione, quæ exinde deſpecta, imo dejecta habita eſt; quum vix ſemianimis aliquem identidem motum, ſed debilem atque infirmum edere exinde potuerit; & detectis præſertim Pelagianorum fallaciis, ad Cleri ſan-

* An. CDXX. ctitatem fovendam convertit animum Marolus. Siquidem, quum * Edicto caviſſet Honorius, quod olim ejus pater, ne mulieres extraneæ eodem, quo Clerici, tecto habitarent; noſter hic Paſtor, qui jejunio, ut teſtatur Ennodius, ſuam caſtitatem armaverat, alienam etiam provida hac lege corroborabat, neque latum unguem

---

chiano p. 311.) ſic legitur: *Nos quoque ex diverſis Provinciis competentem numerum Sacerdotum ſcriptis noſtræ Serenitatis accivimus.* Clarius vero in altera Honorii ad cund. Symm. n. 25. p. 312.) *Monemus ſane, ut Regionum Primatibus evocatis, diſciplinæ publicæ quietique proſpicias; quibus Decretorum noſtrorum præcepta jubeas aperiri* &c. Quis inter Primates neget Marolum fuiſſe, quum eo tempore ſoli Aquilejenſis & Mediolanenſis in Italia Metropolitani numerarentur? Romanum excipio, de cujus cauſa agebatur.

(18) Lib. II. Cap. III. Sect. III. & ſeqq. (19) V. Baron. ad ann. 419. n. 48. & 57. Item aliud Edictum anno ſubſequenti 420. a Conſtantio Aug. Collega emiſſum, ut Cæleſtius ipſe ejuſque aſſeclæ Roma expellerentur, Card. Baronio debemus, ad hunc ann. n. 2.

Digitized by Google

unguem Clerum ſuum recedere unquam ſivit a diſciplina Ambroſii, qui Miniſtris Altaris præceperat, *inoffenſum* (20) *exhibendum & immaculatum miniſterium ab iis, qui integro corpore, incorrupto pudore ſacri miniſterii gratiam recepiſſent*.

III. Interea Conſtantius in Imperii ſocietatem adſcitus cum conjuge Placidia poſt geminam ſuſceptam prolem, & Hæredem Imperio relictum, contra Romanorum omnium votum * die II. Sept. immaturo fato eripitur. Ex adverſo Honorius, * tricennalibus Imperii ſui celebratis, domeſticas * contra viduam Placidiam ſimultates exercebat, Ravennatium aliis Fratri, aliis Sorori faventibus. Domeſtici hujus diſſidii exitus fuit Sororis exilium, quæ cum Honoria & Valentiniano filiis Conſtantinopolim transfretavit, nepotis Theodoſii in Oriente Auguſti tutelam ſibi ac filiis quæſitura. Inter hæc Imperatoriæ Aulæ diſſidia die XXIII. Apr. vita excedit Marolus. Sederat hic ſanctus Antiſtes in Ambroſii Cathedra (21) XV. ferme annos, toti Italicæ Diœceſi ſuſpiciendus, Apoſtolicorum Patrum ex Antiochena Provincia, ut ex Ennodio vidimus, Ignatii, Serapionis, & Babylæ imaginem referens; atque ſummo populi mœrore & lacrymis Illi quum parentatum eſſet, in ea Nazarianæ Baſilicæ parte depoſitus fuit, quam Serena Stiliconis uxor Libycis lapidibus ſectis ſtraverat, & ad S. Venerium deceſſorem ſuum adpoſitus, & a S. Carolo recognitus, ut in Hujus Vita (22) expoſuimus. Indictis pro Succeſſore eligendo Cleri & Populi de more comitiis, inauditum ad ea uſque tempora

Conſtantii, Honorii Collegæ, mors. Honorius tricennalia ſui Imperii Ravennæ celebrat. Inter Honorium & Placidiam ſororem domeſticæ ſimultates.
* An. CDXXI.
* An. CDXXII.
* An. CDXXIII.

Maroli, & Honorii Aug. obitus. Marolo Martinianus ſuccedit.

I

(20) *De Officiis* L. 1. c. ult. n. 258. Opp. T. 2. col. 66. Edit. cit. (21) In *Carol.* MS. ſup. cit. ſic: *Marolus ſed. an. XV. Dep VIIII. Kal. Maji ad S. Petrum ad S. Nazar.* ſcilicet in Baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli, nunc *S. Nazarii*. (22) *De Vita & Rebus Geſtis S. Caroli Borromei* &c. Mediol. 1751. L. 5. c. 9. ad annum 1579. col. 438. & ſeqq.

Digitized by Google

exortum eſt certamen, quod teſtatum nobis Ennodius (23) facit. Gemini ea occaſione fuere competitores; ſed ii, quorum unus, cunctis diſſentientibus, eum ſibi honorem palam vindicare conabatur; alter, populi conſpectum ea occaſione refugiens, id unice metuebat, ne eligeretur. Illius nomen ſuppreſſit Ennodius, huic erat Martiniani. Exitus pugnæ, qui eſſe debuit, fuit. Scilicet, univerſis primi audaciam averſantibus, in alterum omnium ſuffragia conſpiravere. Extractus e latebris, in quas ſe abdiderat, Martinianus, dolens unus, ſed toto plaudente populo, inauguratur: auſpicatioribus certe temporibus, quum & a Barbaris liberata eſſet Italia, & certa in poſterum tranquillitas ſperaretur. Sed abſterſum vix ex Martiniani electione publicum Mediolanenſis Eccleſiæ dolorem oneravit ſtatim per idem tempus conſequuta * Honorii Aug. mors, qui ſive angore animi, ſive vitæ infeliciſſimæ tædio, hydrope laborans, die XV. menſis Sextilis vacuum Occidentis Imperium reliquit, Patri Theodoſio Magno mortis genere dumtaxat ac religione ſimillimus, ceterà prorſus belli & pacis artibus omnino diſpar.

*An. CDXXIII

Martiniani laudes ex Ennodio. Quæ in Urbe noſtra Templa excitaverit. Quæ jam Baſilica exſtarent ante Ambroſium; quas Ipſe conſtruxerit.

IV. Interim dum de Succeſſore Auguſti Conſtantinopoli agitabantur conſilia inter Placidiam & Theodoſium Juniorem, Martinianus ſtrenue in Eccleſiæ adminiſtrationem intentus conceptam de ſe exſpectationem, optimatum virtutum palam propoſitis exemplis, mirifice implebat. Columbæ ſimplicitatem hic Præſul (24) ore &

(23) Col. 1877. *Epigr.* 81. inſcript. *De Cultore Dei Martiniano Epiſcopo.*
„ Lubrica te dubii dum poſcunt flamina vulgi,
„ Inveniunt pavidum, ne mereare legi.
„ Unus erat mundo contraria judice narrans,
„ Qui ut caperet regnum, vincere non meruit.

(24) Ibid. „ Mens nivei lactis ſpecies manifeſta columbæ,
„ Aſtutia ſerpens, Martiniane vale.

Digitized by Google

corporis habitu præferebat; ita tamen, ut juxta Domini præceptum ſerpentis aſtutiam non excluderet. Candor animi ſingularis; in grege tuendo mira ſollicitudo; atque in præcavendis erroribus doctrinæ Semipelagianæ, quæ apud Maſſilienſes Provinciæ ſuæ proximos graſſabatur, mira diligentia; reliquarum demum Paſtoralium virtutum cumulus ita in Illo emicuit, ut, quum adhuc inter vivos verſaretur, inter cæleſtes Cives (25) jam cooptatus videri poſſet, ſive præpropero hominum judicio Sanctus haberetur & appellaretur. Intereſſe Eccleſiaſticæ Mediolanenſis Hiſtoriæ potius crediderim, ſi diſquiramus, quæ in urbe hac noſtra Templa exſtruxerit Martinianus, teſtante (26) Ennodio, *geminas* ab Illo conditas atque dedicatas ſacras *Ædes*. Revera, ſi anteacti temporis, & naſcentis noſtræ Eccleſiæ memoriam velimus recordari ultimam ante Ambroſium, manifeſtum eſt, præter *Intramuranam Novam*, *quæ Maior eſt*, ut verbis utar ipſius Ambroſii, ſcilicet *S. Mariæ Hiemalem* (quin dicamus de *S. Theclæ Æſtiva*, quam nomine *Baſilicæ veteris* ab S. Doctore deſignatam, atque intramuranam etiam ipſam, & altera (*) vetuſtiorem fuiſſe, nonnulli cum Gratio-

(25) Ibid. „ Protinus ad magni perductus limen honoris,
„ Exul, cælorum civibus inſeritur.

(26) Ibid. „ Poſt geminas Sanctis conſtruxit mundior Ædes,
„ Lumine, quas clauſo juſſit habere diem.

(*) Huic opinioni accedit etiam perantiqua Civium noſtrorum traditio, non dicam a *S. Barnaba* conditam hanc Eccleſiam, de quo fides ſit apud ipſos; ſed *Cathedralem* ſaltem, *Metropolitanam*, ac *priorem* Mediolani fuiſſe. Ad quam traditionem confirmandam juvat hic recenſere, quæ leguntur in *Regeſto Proviſ. Civit. Mediol.*, ex Tabulario ejuſd. Civit. ab anno 1339. ad 1396. (ut ex ejus *Regeſt* Ind. MS. in Bibl. Ambr. col. 95. & 96.) „ Præterea „ feſtum prædictum *B. M. de Nive* celebretur eodem die (5. *Aug.*) in quadam Cappella „ Eccleſiæ *S. Theclæ*, in qua fertur eſſe primum altare conſecratum in partibus citramarinis „ per B. Barnabam Apoſtolum in honorem & reverentiam glorioſæ Virg. Mariæ" *Item paulo poſt* „ Et cum Eccleſia *S. Theclæ* ſit Eccleſia *Cathedralis & Metropolitana ac prior in Mediolano*, & in ipſa ſit repoſitus ab antiquo unus ex clavis &c. cujus Virginis caput eſt in al-

Digitized by Google

lio (27) interpretantur) tres alias quoque exſtitiſſe Baſilicas, primam nempe *SS. Naboris & Felicis*, nunc vero *S. Franciſci*, ubi olim *Horti Philippi*, qui locus modo *Concilia* (*) *SS.*, modo *Polyandrion Caii* antea nuncupatus; *Extramuranam* deinde, ſive *Portianam*, *S. Victori* ſacram; Baſilicam demum *Fauſtæ*, ſeu *SS. Vitalis & Agricolæ*, de quibus ſingulis mentionem fecit ipſe Ambroſius in geminis ad Marcellinam ſororem (28) Epiſtolis. Quod ſi de Ambroſii temporibus loquamur, alias eo auctore excitatas Baſilicas habebimus: illam ſcilicet ad Romanam Portam, quæ, *conditis* ibi *pridem*, teſte (29) Paulino, *SS. Apoſtolorum reliquiis*; antea a S. Simpliciano ad Ambroſium Roma tranſmiſſis, ſi (30) Grutero,

„ tari ipſius Eccleſiæ, quæ etiam in ſexu feminco prima in Teſtam. Nove palmam martyrii „ conſecuta eſt &c. “ Aliquam vero etiam nos jam Ambroſii ævo exſtitiſſe huic Virg. & Mart. dicatam Eccleſiam, ex aliis conjecturis inferius (Cap. IV. Sect. XVI. Vide & Cap. cit. Sect. X. & XV. & Lib. II. Cap. II. Sect. III.) deducemus.

(27) *De Præl. Med. Ædif.* c. 7. n. 6. p. 89. & 90. Videſis P. Romuald. Mariam a S. Cajet. Auguſt. Excalc. *Vita di S. Ambr. &c. ſcritta da Paolino &c. in Pavia* 1789. in 4. noth 46. p. 23. (*) Gemina hac eundem locum appellatione donatum fuiſſe, ex eo ſuſpicamur, quod in *Catal.* noſtro & al. ap. Murat. T. 4. p. 141. legitur *Gagius* (i. e. S. Cajus) *dep ad Concil. SS.*; alibi vero, *in Hortis Philippi*. Porro noſtrates Hiſtorici recentiores id nominis Baſilicæ tantum *SS. Babylæ & Romani* tribuunt; ſed verius utrique convenire poteſt. Etenim ex S. Gaudentii *Tract. Die Dedicat. Baſilicæ SS.* in Brixiana Civitate pag. 345., & ex Pauli Galeardi nota b pag. 336. Ed. cit., ſatis abunde liquet, ſic fuiſſe dicta hujuſmodi loca, in quibus plurium Martyrum Corpora requieſcebant. (28) De *Intramurana Majore*, ſimul & de *Portiana*, ſic *Epiſt.* 20. n. 1. Opp. T. 2. c. 852. *Non jam Portiana, hoc eſt Extramurana baſilica petebatur; ſed baſilica nova, hoc eſt intramurana, quæ major eſt*: De baſil. *Portiana* vide & Paul. *Vita S. Ambr.* n. 13. De altera, ſi placet, *S. Theclæ Æliva* ſic id. Ambr. *Epiſt.* cit. n. 10. c. 855. *Ego in baſilica veteri totum exegi diem*. De Baſilica *Naboriana* ſic *Ep.* 22. ad Soror. n. 4. c. 874. *Juſſi erudermi terram eo loci, qui eſt ante cancellos SS. Felicis & Naboris*: vide & Paulin. n. 14. De Baſilica *Fauſtæ* ſic in *Ep.* 22. cit. n. 2. c. 875. *Tranſtulimus* (SS. Gerv. & Prot. reliquias) *veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ*: vide & not. *a* in h. l. (29) *Vita S. Ambr.* cit. n. 33. (30) *Inſcr. Antiq.* T. 2. c. 1167. n. 1. Edit. Amſt. 1707.

Verſus Ambroſii in Eccl. S. Nazarii

„ Condidit Ambroſius Templum, Dominoque ſacravit
„ Nomine Apoſtolico, munere, relliquiis.
„ Forma Crucis Templum eſt, Templum victoria Chriſti,
„ Sacra triumphalis ſignat Imago locum.

Digitized by Google

& (31) Landulpho fides; *Apoſtolorum Baſilica* vocata eſt: &, translato illuc deinde a S. Præſule (32) *Nazarii* Corpore, *Nazarianæ* nomen obtinuit. Prius etiam videtur S. Doctor Dionyſio deceſſori ſuo Templum comparaſſe, in quo S. Dionyſii Corpus ab Armenia, ubi obierat, ad ſe delatum Magni Baſilii opera (33) pie recondidit. Supervacanea denique eſſet commemoratio Baſilicæ ab Ipſo exſtructæ, ejuſdemque, ſicuti antea (34) *Romanam* Baſilicam *SS. Apoſtolis* nuncupaverat, *SS. MM. Gervaſio & Protaſio* ab ſe inventis dedicatæ; quam ipſemet *Ambroſianam* (35) e ſuo nomine appellat, & ſepulcri locum (36) ſibi etiam elegit. Oriri inſuper ſuſpicio poſſet, utrum dedicata ab Ambroſio, an a ſucceſſore Simpliciano Baſilica, quæ hujus nomine appellatur, in qua idem Anaunenſium Martyrum Corpora per Vigilium Tridentinum Epiſcopum accepta religioſe depoſuit. Sed utrumlibet dicatur, nulla inſtitui quæſtio poteſt, utrum ante S. Martiniani tempora exſtaret, quum certe liqueat, jam exſtitiſſe Simpliciani ævo, qui in ea etiam fuit reconditus. Quumque nulla appareat nova ſacrarum Ædium Venerii & Maroli tempore ædificatio; neque facien-

---

„ In capite eſt Templi vitæ Nazarius almæ,
„ Et ſublime ſolum Martyris exuviis.
„ Crux, ubi ſacratum caput extulit orbe reflexo:
„ Hoc caput eſt Templo, Nazarioque Domus,
„ Qui fovet æternam victor pietate quietem,
„ Crux, cui palma fuit, Crux etiam ſinus eſt.

(31) *Mediol. Hiſt.* L. 1. c. 6. inſert. *Rer. Ital. Script.* T. 4. p. 63. (32) Paulin. *Vita S. Ambr* cit. n. 32. (33) Vide Baſilii *Ambroſio Epiſcopo Mediol Epiſt.* 197. al. 55. Opp. T. 3. p. 287. Ed. Pariſ. 1730. (34) S. Ambr. in *Epiſt.* 22. cit. n. 1. T. 2. col. 874. ſic ait: *Nam cum ego Baſilicam dedicaſſem* (In Edit. Rom. 1585. L. 7. Ep. 54. T. 5. p. 247. *dedicare vellem*) *multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes, ſicut Romanam* (In Edit. cit. *ſicut in Romana, ſic* &c.) *Baſilicam dedices. Reſpondi, faciam, ſi Martyrum reliquias invenero.* Vide ad h. l. P. Romuald. *Vita di S. Ambr.* cit. nota 83. pag. 57. (35) *Epiſt.* 22. cit. n. 2., & Paulin. ibid. n. 14. (36) S. Ambr. *Ep.* 22. cit. n. 13. *Hunc ego locum prædeſtinaveram mihi; dignum eſt enim, ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit.*

Digitized by Google

dam permiſerit ſuorum temporum calamitas; reliquum eſt, ut alias ab enumeratis Ædes exploremus, quæ, Martiniano conditore, noſtram ſubinde urbem exornaverint.

Exinde ſtatuitur, ipſo Ennodio duce, geminas Ædes a Martiniano conditas, fuiſſe *SS. Laurentii*, & *Stephani* De loco *ad Innocentes* nuncupato, nunc *S. Stephani ad Rotam* vel *in Broilo*.

V. Mihi vero, ſi libere conjectnras meas aperire licet (honos ſit & locus meliori judicio) *geminas Ædes Sanctis mundius* excitatas, ut Ennodius ait, eas arbitror fuiſſe, quæ *SS. Laurentii* & *Stephani* Baſilicarum nomen obtinuere. Exſtabat jam Mediolani a Valentiniani I. uſque temporibus locus in cultu a civibus habitus, qui *Ad Innocentes* appellabatur. Præſto eſt nobis Ammiani Marcellini auctoritas, quem ſequutns Carolus a Baſilica Petri (37) ſolers & prudens Antiquitatis ſcrutator deſignavit nobis in ſuis *Hiſtoriæ Mediolanénſis Fragmentis*. Recito (38) Ammiani teſtimonium: *Eminuit tamen per id tempus inter alias humilium neces mors Dioclis ex Comite largitionum Illyrici, quem ob delicta levia flammis iuſſit* (Valentinianus I.) *exuri; & Diodori ex Agente in rebus, triumque Apparitorum Poteſtatis Vicariæ per Italiam, ob id necatorum atrociter, quod apud Eum queſtus eſſet Comes, Diodorum quidem adverſum ſe civiliter imploraſſe iuris auxilium, officialis vero iuſſu Judicis auſos monere proficiſcentem, ut reſponderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc uſque Chriſtiani* (ſcilicet ad S. Ambroſii tempora: Ammianum enim ea ætate ſcripſiſſe & adhuc in vivis fuiſſe anno CCCXC. teſtatur (39) Morerius) *locum, ubi ſepulti ſunt*, Ad Innocentes *appellant. Dein, cum in negotio Maxentii cuiuſdam Pannonii, ob exſecutionem a Judice maturari præceptam, trium oppidorum Ordines mactari iuſſiſſet, interpellavit Euſtraxius tunc Quæſtor, & parcius, inquit, agito, piiſſi-*

(37) Pag. 19. Vide & Com. Iulin. ad ann. 1034. T. 3. p. 252. & ſeqq. (38) *Rer. Geſtar.* L. 27. c. 7. p. 381. ad ann. Chr. 368. Edit. Lugd. Batav. 1693. (39) Vide Morer. *Diction.* v. *Ammianus*.

me Principum: hos enim, quos interfici tanquam noxios iubes, ut martyres, ideſt Divinitati acceptos, colit Religio chriſtiana. Non ſolum Mediolani igitur, ſed alibi etiam exſtabant Valentiniani iræ impotentis, & mactatorum ejus juſſu *Innocentium* monumenta. Hunc igitur locum *Ad Innocentes* dictum (*) diuturno Chriſtianorum cultu frequentatum ab annis jam amplius L., veriſimile eſt Martiniani tempore ſive in cryptæ, ſive in Ædis obſcuræ morem jamdiu ædificatum, in meliorem formam deinde ab Eodem exſtructum amplificatumque, *S. Stephani Protomartyris* (40) memoriæ fuiſſe dedicatum; retento tamen prioris loci, ſeu *Innocentium*, ſepulcrali cavato lapide, quem ſuo etiam tempore exſtitiſſe, deinde, ne offendiculum prætereuntibus afferret, obverſum fuiſſe pavimento ipſi, & adhuc *Petram Innocentium* abs coætaneis ſuis appellari, citatus A Baſilica Petri affirmat, teſtis ſane certiſſimus & luculentiſſimus. Huic vero Eccleſiæ addita medio Ævo vocabula *ad Rotam* & *in Brolio* de quibus ſuo loco (41) dicemus. Reliquum eſt, ut de altero Templo ab hoc Præſule conſtructo diſquiramus, quod ante innui *S. Laurentio* dicatum. Nullum ante Martiniani Cathedram Laurentiani Templi veſtigium video; ex adverſo multiplex indicium illius ſubolet poſt Sancti hujus Antiſtitis obitum. Nullam video ſacram Ædem a Glycerio & Lazaro ſucceſſoribus excitatam, de quo certe mentionem feciſſet Ennodius. Legens autem acta S. Euſebii, qui poſt Lazarum Ambroſianam Sedem tenuit, video eum intimis animi ſenſibus & ſumma religione S.

(*) Memoria a veteribus hauſta *Innocentium* ſanguinis ibi effuſi locum dedit anilibus fabulis, quæ rudioribus ſæculis invaluerunt, de Catholicorum ſanguine Ambroſii tempore in Arianorum bello effuſo, & conglobatim in hanc Baſilicam evoluto. (40) De gemino hujus Templi titulo, vide infra hujus Cap. Sect. IX. (41) Lib. II. Cap. VI. Sect. XIV.

Laurentii devotum obſequio: cujus patrocinio & ope, quum in miniſterio Altaris adhuc Diaconus (42) calicem vitreum confregiſſet, divinitus factum eſt, ut integrum ſolidumque repente reciperet. Cujus beneficii ſemper memor in Laurentiana Baſilica ſibi ſepulcrum elegit. Igitur exſtabat ea Euſebii ævo, atque, ut opinor, a Martiniano extructa, ut vere ab Ennodio diceretur *gemini* Templi fundator.

Thermas Herculeas, non Fanum Herculis, antea exſtitiſſe ubi nunc Ædes Laurentiana, conjicitur ex ipſa Thermarum ejus ætatis architectonices deſcriptione.

VI. Erat nimirum in ea urbis regione, quæ Ticinum verſus porrigitur, Ædificium immane, Romano opere a Maximiano conſtructum, quod *Herculearum Thermarum* nomen acceperat vel ab ipſo Maximiani, *Herculei* appellati, cognomento, vel quod *Herculi* ſacræ eſſent. Neque enim ab Herculis Fano *Herculeas* dictas puto, quod ibi exſtare plures Scriptores noſtri tradidere; quum inter Thermarum, aut Balneorum partes neque (43) Vitruvius, neque (44) Caſalius, (45) Ferrarius, (46) Iourbertus, (47) Joſ. Laurentius, aut (48) Baccius, Templum ullum numeraverint, qui omnes & ſingulas Lavacrorum partes expenderunt quam diligentiſſime. Superſunt adhuc teſtes magnificentiæ Romanæ diſruptæ & ferreis vinculis adſtrictæ Columnæ ſexdecim, ſumptuoſi Ædificii reliquiæ, quæ Auſonii tempore eam Urbis partem decorabant; qua de re quadraginta is ante annis cecinerat (49)

Et regio Herculei celebris ſub honore Lavacri.

Obſoleto igitur apud Chriſticolas poſt Conſtantinum Balneorum, pro-

(42) Greg. Turon. *De Gl. Mart.* L. 1. c. 46. (43) L. 5. c. 19. (44) *De Balneis* inſert. in *Antiq. Gr.* Iac. Gronovii T. 9. p. 633. & ſeqq. (45) Inſ. in *Novo Supplem.* March. Io. Poleni pag. 295. & ſeqq. (46) Inſ. in *Novo Theſauro* Alb. Henrici Sallengrii p. 373. & ſeqq. (47) Inſ. in *Antiq. Gr.* Gronov. cit. T. 9. p. 621. & ſeqq. (48) Inſ. in *Antiq. Rom.* Grævii T. 12. p. 281. & ſeqq. (49) *Ord. Nobil. Urb.* Epigr. 4.

promiſcuorum præſertim, uſu, qualia eſſe oportebant publica profana, viſa fuit opportunior Templo ſacro excitando & melior fortaſſe Thermarum pars, *Laconicum* ſcilicet, quod, teſte (50) Vitruvio, in rotundam formam aſſurgens maxima concameratione claudebatur, relicto parvo ad aeream lucem excipiendam aperto ſpatio, ſupra quod *clypeus*, eodem docente Vitruvio, imminebat, lucem æque ac aerem moderaturus. Simile quidpiam mihi occurrit in Ichnographia *S. Bernardi ad Thermas* in Collectione (51) Antiquitatum Ædificiorumque celebriorum Romæ, edita per Fauſtum Amideum anno MDCCXLVIII. Delectum autem noſtrarum Thermarum *Laconicum* ad dedicandam a Martiniano Laurentianam Baſilicam, ipſa Templi forma mihi perſuadet, imo & adjacentium Thermas locorum eodem ferme, quod tum circumagebatur, Sæculo in religioſas Ædes facta converſio. Quippe quod videam *Apodyterium*, *Sphæriſterium*, *Calidarium* Thermis ſemper appoſita, ut ſuperius relati de Balneis Scriptores aſſerunt, in ſacros uſus translata, novaſque ibi paulo poſt ſurrexiſſe ad Laurentianum Martiniani Templum Eccleſias, ſcilicet *S. Geneſii* (quæ etiam *Reginæ* dicta fuit, jubente fortaſſe, ut multi (52) ſuſpicati ſunt, Galla Placidia Valentiniani III. matre tum vivente, & Imperii Occidentalis habenas moderante) *SS. Hippolyti & Caſſiani*, itemque *S. Xyſti*; quæ omnes ſacræ Ædes eodem Thermarum ambitu continebantur. Porro, ſi ſepulturæ locus (53) in *Catalogo* noſtro prioribus Epiſcopis deſignatus ille idem ſæpe eſt, in quem non poſtea tranſlati non-

K

(50) L. 5. c. 10. cit. (51) *Varie vedute di Roma Antica e Moderna*. Tab. ante finem 19. (52) Vide præſertim Ioſ. Allegrantiæ *Spiegazione e Riſleſſioni ſopra alcuni ſacri Monumenti antichi di Milano*. Diſſert. I. in Milano 1757. in 4. (53) Vide infra Lib. II. Cap. VI. Sect. X. in notis.

Digitized by Google

nulli, ſed ubi apprime depoſiti plerique fuerunt; harum Ædium ſacrarum dedicationem intra unius ſæculi ſpatium factam facile deprehendimus; quum in eo Catalogo legamus, *ad S. Laurentium* depoſitum fuiſſe Euſebium anno, ut deinde (54) probabimus, CDLXII. vita functum; *ad S. Hippolytum* Theodorum, Odoacre imperante, & ſub Theuderico Rege Laurentium *ad S. Caſſiani*, & Euſtorgium II. *ad S. Xyſti* tumulatos. Præterquamquod in vetuſtiſſimis Triduanarum Litaniarum eodem Sæculo V.° a S. Lazaro inductarum Codicibus perſpicua habetur de hiſce Eccleſiis tertio die viſitandis mentio. Quæ omnia & fidem huic opinioni conciliant, & nos in aliam abire, & diſſentire non ſinunt. Ceterum præ hiſce omnibus eminuit *Laurentio* nuncupata Baſilica, ex ceteris, utpote amplior, a Martiniano primitus dedicata, quæ admiranda iuſequentibus ſæculis, etiam architectonices rudioribus, ſemper viſa eſt (55) adeo, ut, quum VI.° poſt dedicationem hanc Sæculo miſerando incendio conflagraſſet, Arnulphus Hiſtoricus noſter dolorem ſuum aperiens in hæc verba (56) eruperit: *Sed, quod eſt omni damno deterius, plures Sanctorum ſunt crematæ Baſilicæ in Urbe & extra. Sanctus ipſe Laurentius vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum ſe flammis permiſit exuri: cujus ſpecioſiſſima omnium adeo fuit Eccleſia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque ſculpturæ, eorumque altrinſecus compaginatæ iuncturæ; quæ ſuis columnæ cum baſibus, tribunalia quoque per gy-*

(54) Cap. IV. Sect. XIII. & XIV. (55) In Rhythmo *De Laudib. Mediol* verſus Sæculi VIII. dimidium conſcripto, ap. Gratiol. in Append. *De Præcl. Mediol. Ædif.* pag. XI. & in calce huj. Operis, ſic legitur:

„ Glorioſe ſacris micat ornata Eccleſiis,
„ Ex quibus alma eſt LAVRENTI intus alvaberis
„ Lapidibus auroque tecta, edita in turribus.

(56) *Hiſt. Mediol.* L. 3. c. 22. inſert. in *Script. Rer. Ital.* T. IV. p. 34.

rum, *ac deſuper tegens univerſa muſivum*. *O Templum*, *cui nullum in mundo ſimile*! Interim obſervanda mihi maxime ea videntur, quæ rotundam Templi formam aperte indicant, meque in eam traxere ſententiam, ut Thermarum partem *Laconicum* appellatam in Templum fuiſſe converſam exiſtimarem. Cujus formæ rotunditas etiam in reficiendo poſt varios caſus eodem Templo ſemper fuit apud architectos retenta, tum in illius inſtauratione poſt Arnulphi incendium, tum poſt repetitam anni MDLXXIII. ejuſdem Templi ruinam a Peregrino, & Martino Baſſo refectam; quandoquidem freti ſemper architecti Romanis & veteribus ſubſtructionibus immanibus & tutiſſimis novum ſemper adſtruere in eandem formam ædificium non reformidarunt.

Ex ipſo Eunodii Carmine magis confirmatur, geminas Martiniani Ædes non alias fuiſſe ab jam memoratis.

VII. Verumtamen præter allatas conjecturas, quibus mihi quidem probatur *SS. Stephani* & *Laurentii*. Baſilicas Martinianus noſter dedicaſſe, Ennodii quoque ſuffragatur teſtimonium. Cur enim illud appoſitum *mundior*, quum diceret, eas Ædes hunc Antiſtitem *Sanctis* conſtruxiſſe? Nimirum, ut loca ipſa afferat non omnino mundo cultui addicta: & vere quidem; nam locus *ad Innocentes* dictus in cultu habebatur vana dumtaxat vulgi opinione, qui eos *Innocentes* mactatos tanquam Deo acceptos exiſtimabat, ut ex ipſius Marcellini verbis plane eruitur, qui dum vulgo *Martyres* appellatos dicit, non *Teſtes*, ut Græci vocabuli ſignificatio poſtulat, ſed *Divinitati acceptos* interpretatur. Laurentianæ autem ſtructuram in confeſſo eſt profanis ſolum uſibus fuiſſe accommodatam. Qua de re optime illud *mundior* ſubjunxit Ennodius, ut doceret, eas Ædes fuiſſe rectius ac mundius ſacrorum uſui deſtinatas. Idem autem clarius ſignificare videtur in pentametri ſubjecti clauſula ſcribens:

Lumine quas clauſo juſſit habere diem

Digitized by Google

Si enim aſſequi carminis hujus ſenſum velimus, illud certe dicamus neceſſe eſt, quod loca gemina illa a Martiniano dedicata prius exſtarent, ſed nullo, aut parvo lumine donata; qua de re ut ea Sanctis nuncuparet, uberiore luce per additas feneſtras permeante illuſtravit, ut ſacris miniſteriis aptiora redderentur. Licet ergo ex Ennodii teſtimonio inferre, *Innocentium* interfectorum ſepulcrali cryptæ additum ſubinde honorem, amplificatumque locum, ut in ſimilibus uſurpatum Antiquitatis periti norunt, ſuperimpoſito in Templi ſpeciem ampiioris formæ ædificio, quod & populi adcurrentis frequentiam caperet, & mortuorum ibi conditorum ſitum & memoriam intra Baſilicæ ambitum retineret. De tenebris autem *Laconici* ſatis ſupra innuimus ex Vitruvio & Romæ Antiquæ reliquiis, ut intelligamus ex Ennodii verbis, lumen etiam in Laurentianam Baſilicam illatum.

Valentinianus III., Joanne Tyranno mactato, Occid. Imperio potitur. Neſtorii hæreſis in Oriente exordia. Ea de cauſa Epheſ. Œcum. Synodus. Martinianus Catholicum dogma propugnat. *An. CDXXIV *An. CDXXV.

VIII. Ut autem novis dedicandis Templis Martinianus vacaret, reſtituta per id temporis Italiæ tranquillitas ferebat. Defuncto enim Honorio, quum Galla Placidia ſoror apud nepotem Theodoſium Byzantii moraretur cum filiis, Orientis Auguſtus patrocinio pupilli conſobrini ſuſcepto ita cum Tutrice res Occidentis compoſuerat, ut Valentinianus ſub Placidiæ tutela * Auguſtus declaratus degeret, & paulo poſt * Occidentis Imperator appellatus in Italiam veniret, deſponſa illi interim impuberi filia Eudoxia. Quumque abſente Valentiniano Joannes Ravennæ Imperatoriam purpuram induiſſet, Comes Aetius Theodoſii juſſu adverſus Tyrannum miſſus & felici prælio uſus non ſolum rebelles copias proſtraverat; ſed Tyrannum ipſum in vincula conjectum Valentiniano tum Aquilejæ degenti obtulerat, qui eo mactato Ravennæ exinde pacifice regnavit. Sed vix pacato Occidente truculentius in Oriente contra Religionem motum eſt bellum; quum in Regia

Orientis Urbe, cujus Epiſcopalem Sedem tum occupabat Neſtorius, * is hæreſim redolentia dogmata diſſeminaret. Impias ipſe in Deiparam & Chriſti Perſonam blaſphemias eructans Fidelium, & Cyrilli Alexandrini præſertim, aures offenderat; a quibus Romæ apud Cæleſtinum Pontificem accuſatus, juſtæ damnationis ſententia fuerat confixus. Cui quum impius & blaſphemus ille præfracte obſiſteret, dedit, teſte (57) Gennadio, Pontifex * *Decretum Synodi* (Romanæ) *ad Orientis & Occidentis Eccleſias*; deinde Auguſti Conſtantinopolitani religionem permovit, ut, * Synodo Epheſi Œcumenica coacta, veritas chriſtiaui dogmatis Epiſcoporum judicio decerneretur. Dum igitur Univerſalis Concilii Decreta exſpectarentur, Martinianus e ſua Italiæ Metropolitani dignitate eſſe cenſuit, ut, Ambroſii voce, diſſeminatum Neſtorii dogma condemnaret. Etenim miſſis ad piiſſimum Imperatorem Ambroſii Libris conatus eſt Concilii Patres S. Doctoris inſtitutionibus in catholico dogmate conſtantes tenere. Facti totius ſeriem, licet mendaciis depravatam, habemus ex teſtimonio ipſorum Concilii inimicorum, ſcilicet Joannis, Himerii, Theodoreti, & reliquorum Epiſcoporum Orientalium, qui in Pſeudoſynodo adverſus Concilium Œcumenicum congregati hæc Rufo ejuſdem ſectæ Epiſcopo (58) ſcribunt: *Italos quoque certum eſt novitatem illam nequaquam laturos eſſe. Nam* Martinus *ſanctiſſimus Deoque dilectiſſimus Mediolanenſium Epiſcopus ad nos ſcripſit, Librumque beati Ambroſii de Dominica Incarnatione ad piiſſimum Imperatorem miſit, qui hæreticis illis Capitibus* (ſcilicet XII. Cyrilli anathematiſmis) *contraria*

* Anno CDXXVIII.

* An. CDXXX.

* An. CDXXXI.

---

(57) *Illuſtr. Viror. Catal.* n. LV. inter *Opp. S. Hieron.* T. V. col. 38. ubi incipit *Xyſtus*, erratum pro *Cæleſtinus*, de quo ſermo. Vide & Couſtant *Romanorum Pontiff. Epiſt.* nota *d* ad *Epiſt.* XII. *Cæleſtini Papæ* col. 1108. (58) Ap. Labbé, *Concil.* T. 3. col. 742.

docet. Miror Neſtorianorum audaciam gloriantium, *Martinum* noſtrum cum Neſtorianis contra Cyrillum ſentire. Etenim, ſi noſter Antiſtes miſerat ad Theodoſium Libros S. Ambroſii *De Incarnatione*, idem ipſe ſentiebat, quod Ambroſius. Igitur videntur gloriari, quod Ambroſius cum Neſtorio ſenſerit, quo nihil dici poteſt abſurdius. Nolim autem, hoc *Martini* nomine me quiſquam deceptum putet. Paſſim ſcilicet hoc Sæculo occurrit nominum eorundem diverſa pronunciatio, ut (*) *Simplicii* pro *Simpliciano*, *Quintii* pro *Quintiano*, *Juſtini* pro *Juſtiniano*, *Marini* pro *Mariniano*, *Abundii* pro *Abundantio*, parique ratione *Martini* pro *Martiniano*. Ceterum, ut Orientales Epiſcopos manifeſti mendacii convincamus, præſtat audire ex Synodica Œcumenici Concilii Epiſtola ad Theodoſium veriſſima ea verba (59) *totum Occidentem nobis conſentientem habentes*. Quam late vero in Oriente etiam Martiniani ſanctitatis fama eſſet pervagata, ex hoc ipſo diſcimus, quod illum *ſanctiſſimum* appellant Neſtoriani licet ſibi adverſarium, cujus favorem ſibi maxime profuturum ſomniabant. Videtur etiam Epiſtola illa PP. Epheſinorum Synodica, tam certe aſſeverans Occidentis Eccleſiarum conſenſum, judicare etiam, quæ foret Martiniani ſententia. Atque utinam exſtaret miſſa illa ad Imperatorem cum Ambroſii Libris divina Epiſtola; quandoquidem & Neſtorianorum fraudem, & Martiniani cum Ambroſio conſenſum faceret nobis teſtatiſſimum.

(*) De quorundam ſimilium nominum facili permutatione vide Queſnell. in Not. ad *Ep. Synod.* Euſebii Mediol. Epiſc. ad S. Leonem Papam, inter *Opp. S. Leonis* T. 2. col. 1473. & 1474. Sic etiam inter Aquilejenſ. Epiſc. Sæculo IV., promiſcue accipitur *Fortunatus* & *Fortunatianus*, Sæculo VI. *Paulus* & *Paulinus*, Sæc. VII. *Candianus* & *Candidianus*; inter Sabionenſ. Epiſc. *Ingenuus* & *Ingenuinus*. Vide & infra C. IV. Sect. V. in not.

(59) Ap. Labbé T. 3. cit. col. 750. verſus finem.

Digitized by Google

Martiniani obitus. Is in *S. Stephani* Baſilica tumulatur. Utrum hæc gemino *SS. Zachariæ*, & *Stephani* titulo nuncuparetur. *An. CDXXXV

IX. Itaque poſt vallatam Ambroſii Libris in Oriente Fidem catholicam, totus Deo & gregi addictus noſter Antiſtes præconceptam ubique ſanctitatis opinionem integram ſervavit, * donec ad cæleſtem Patriam anno CDXXXV. exeunte, die ſcilicet XXIX. Decembris evolavit, cui jam inſertus (60) credebatur, dum in mundi exilio peregrinaretur. Optime autem animadvertit (61) Papebrochius, translatam poſt Nativitatis Dominicæ Octavam Sancti hujus Commemorationem & cultum ex Ambroſiani Calendarii more in II. Januarii diem illico ſubſequentem. *Catalogus* (62) noſter (quamvis cum Papebrochio (63) fateamur, ſepulturæ loca non eadem ſemper eſſe, ubi quiſque apprime depoſitus) hujus Sancti exuvias conditas fuiſſe deſignat *ad Sanctum Stephanum*, Templum illud ſcilicet, uti jam vidimus, ampliorem in ambitum redactum, ac Protomartyri ab Ipſo dedicatum. Quoniam vero multi, iique probatæ fidei Scriptores (64) hanc Baſilicam antea *S. Zachariæ*, poſtmodum *S. Stephano* conſecratam fuiſſe tradidere; nullumque exſtet certum monumentum, quo nixi affirmare poſſimus a Martiniani deceſſoribus erectum *S. Zachariæ* Templum, facile conciliari poſſe adverſantium ſententias crediderim, ſi dicamus, prius reperto *S. Zachariæ* Corpore eidem Sancto antea fuiſſe nuncupatam a Martiniano Baſilicam; poſtmodum *Sancto* etiam *Stephano* gemino utriuſque titulo ab ipſo dedicatam. Cauſam hujuſmodi dedicationis crederem fuiſſe cælitus factam per ea tempora ſanctorum Corporum manifeſtationem. De utriuſque revelatione Theodoſii II. Auguſti, & religioſiſſimæ ejus ſororis

(60) Ennodius in Diſticho ſup. recit. Sect. IV. nota (25). (61) T. 7. Maji cit. in *Exegeſi de Ritu Ambroſ.* cit. pag. LXII. (62) Sic in *Catal.* noſtro *Martinianus ſedit annos XXX.* (ubi ſane error pro XIII., ut obſervavit etiam Papebroch.) *Depoſ.* IIII. *Kal. Jan. ad S. Stephanum*. (63) *Exeg.* cit. p. LVII. & LXVI. Vide Lib. II. Cap. VI. Sect. X. in notis. (64) Vide Sorman. *Glorn.* 1. p. 51., Latuada T. 2. n. 47. p. 12., Julin. T. 3. p. 247.

Digitized by Google

Pulcheriæ tempore facta coævum teſtem habemus (65) Sozomenum, qui poſtremo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Libro in poſtremi quidem Capitis argumento geminum factum narrare aggreditur; quum vero manca ad poſteros ejus Hiſtoria pervenerit, nihil de Sancto Stephano ſcriptum nobis relictum eſt. Porro ipſe, & ex eo Nicephorus (66) *S. Zachariæ* Prophetæ Corpus divinitus indicatum fuiſſe affirmat in Vico quodam Cophar apud Eleutheropolim in Palæſtina, alterum vero teſtatur idem Nicephorus (67) revelatum eſſe prope Hieroſolymas ſub eodem Theodoſio Juniore Aug. ejuſque ſorore Pulcheria. Celebrabatur ubique gentium (68) tam admirandæ revelationis fama; quæ quum in noſtram Urbem permanaſſet, injecta ex recenti miraculo mens fuerit Martiniano noſtro, obtentis fortaſſe Conſtantinopoli eorundem lipſanis juxta morem Eccleſiæ (*) veterem, hujuſce Templi in honorem utriuſque Martyris conſecrandi. Hinc antiquitus fieri cœpta utriuſque Patroni commemoratio in publicis monumentis, ſicuti conſtat ex vetere quodam *Martyrologio* (69) in Hieronymiano Monaſterio apud Caſtellatium Mediolanenſe ſuburbium aſſervato, & ex *Calendario* Beroldi (70) ſive Sitoniano, & demum ex *Evangeliario* Sæculi circiter X. in Capituli Metropolitani Bibliotheca adhuc exſtante, ubi in margine juxta Evangelii S. Matthæi Caput XXIII. v. 34. hic titulus legitur: *In Sanctorum Stephani & Zachariæ ſecundum Mathæum*

(65) Lib. 9. c. 17., cui titulus: *De Inventione Zachariæ Prophetæ & Stephani protomartyris.* (66) L. 14. c. 8. (67) L. 14. cit. c. 9. (68) V. Card. Baron. in Not. ad *Martyrolog.* ad diem 3. Aug. (*) Relege, quæ ſupra ex S. Ambroſio recitavimus pag. 69. nota (34). (69) Ap. Latuadam T. & pag. citt., apud Julin. T. 3. pag. 247. (70) Apud *Rer. Ital. Script.* T. 2. P. 2. col. 1039., ubi ſic legitur. *V. Id. Sept. Dedicatio S. Stephani & Zachariæ qui dicitur ad Rotam.* Item ap. Julin. T. 3. cit. p. 248. & T. 5. p. 124.

Digitized by Google

Mathæum. Quin etiam hujus Baſilicæ Conſecrationis anniverſarium feſtum a priſcis (71) uſque temporibus & etiamnum celebratur, non die IX. ut in Calendario Sitoniano ſupra laudato, ſed VI. Septembris Sancto *Zachariæ* dedicata. Hujuſmodi autem utriuſque Martyris appellationem obtinuit hæc Baſilica uſque ad Sæculum XII., quo elapſo videtur una *S. Stephani* ad eam deſignandam inducta.

Glycerius Martiniano ſufficitur. Ejus elogium ex Ennodio. Occidentalæ Illyricum Orientis Imperatori ſubjicitur. Genſericus in Africa, Gothi in Gallia Imperium perturbant.

X. Depoſito igitur ad ſuum S. Stephani Templum Martiniano, de Succeſſore eligendo inita eſt apud Clerum & Populum deliberatio. Nec diuturna videntur fuiſſe comitia, quum in omnium oculos incurreret probata civibus univerſis Glycerii virtus. Hinc nullo contradicente inauguratus fuit: quum enim Ennodius invidum unum deceſſori Martiniano obloquentem deſcripſerit, de Glycerio plane teſtatur, Ejus faciem virgineumque cultum omnibus placuiſſe, ideoque univerſa ſuffragia pari conſenſu in Eum confluxiſſe dicendum eſt. Singularis ſcilicet Candidati verecundia virtutum omnium cuſtos, teſte (72) Tullio, virginalis modeſtia, forma pura ſimplicitate condita, ita cunctorum ſibi devinxerant animos, ut Illum ad noſtræ Eccleſiæ imperium divinitus factum arbitrarentur. Has animi corporiſque dotes fuſius (73) Ennodius

(71) Guald. Priorat. *Relazione di Milano* p. 45. (72) *De Partit.* c. 23. (73) *Epigr.* 82. inſcript. *De Venerabili Glycerio Epiſcopo*; ap. Sirm. Op. cit. T. 1. col. 1579.

„ Suffuſus nimio, perque optima facta rubeſcens
„ Virginei cultus Glycerius ſequitur.
„ Puram ſanguineo maculat dum rore figuram
„ Picta genas facies ſimpliciter placuit.
„ Candentem crocea geſtans aſpergine frontem
„ Læta verecundis tinxerat ora notis.
„ Indeptus ſceptrum, tribuit quod teſtis Imago,
„ Purpura quem mentis prodidit imperio.
„ Hunc (*) habuit & Populus parvo vix tempore felix,
„ Sed rurſus Magni miſſus ad obſequium.

(*) Sic emendat Sirmondus: *habuit populus*.

Digitized by Google

proſequitur, qui, ut opinor, Epiſcoporum Mediolanenſium Imagines ſive Majore in Templo, ſive in Laurentii Epiſcopi ſui domo tum exſtantes ab Ambroſio ad Laurentium, adjecto ſingulis Epigrammate, dum Mediolani degeret, exornabat. Exorſus Glycerius gregem Mediolanenſem regere, morum ſuavitate omnium demulcebat animos, menteſque hominum in egregii Pontificatus ſpem ſuæ virtutis præjudicio erexerat: præſertim quum aliqua ſaltem Italiæ futura tranquillitas affulgeret * propter initas cum Theodoſii II. filia Eudoxia a Valentiniano nuptias, quæ quidem Illyrici Occidentalis pretio ſteterunt; quum exinde totum Illyricum Orientis Imperio ceſſerit, ut poſtea conqueſtus eſt (74) Caſſiodorius. Urebat tamen mitiſſimum Paſtorem noſtrum rerum in Africa facta in pejus converſio, ubi truculentiſſimus Rex Genſericus, qui, ſtirpitus ut Fidem catholicam evelleret, Epiſcopis atrociſſimum bellum indicturus gladium intentabat. Neque minus ſollicitabant propiores in Narbonenſi Provincia Gothorum motus, quos ceterum ſtrenui Ducis Aetii ſolertia conabatur comprimere. Studioſiſſimus interim commiſſi ſibi agri Dominici cultor Glycerius, dum diligenter injecto divini verbi ſemine fodiendo, rigando, & vepribus evellendis inſudat, patienter ut ſeges creſceret in culmum exſpectabat.

* Anno CDXXXVII.

Intempeſtiva Glycerii Antiſtitis mors. S. Jo. Chryſoſtomi Corporis ex Antiochiæ Cœmeterio Byzantium translatio.

XI. Verumtamen (proh dolor!) ſpem omnem colligendæ uberrimæ meſſis fruſtratus eſt importune ſuperveniens * Antiſtitis noſtri interitus, ſummo Bonorum omnium dolore & populi univerſi; qui brevi, per triennium nondum exactum, felicitatis auſpi-

* Anno CDXXXVIII.

---

(74) *Variar.* L. 2. *Epiſt.* 1. ſic apud eum legitur: *Placidiam mundi opinione celebratam, aliquorum proſapiaglorioſam, purpurate Filio ſtuduiſſe percepimus; cujus dum remiſſe adminiſtrat Imperium, indecenter cognoſcitur imminutum. Nurum denique ſibi amiſſione Illyrici comparavit, factaque eſt conjunctio Regnantis, diviſio dolenda Provinciæ. Militem quoque nimia quiete diſſolvit. Pertulit a Matre protectus, quod vix pati potuit deſtitutus.*

Digitized by Google

cio ſibi in longum ævum fauſta omnium ac proſpera ominabatur. In eum annum Ejus mors incidit, quo Theodoſius II.us, præcedentium Augg. collectis Legibus, Codicem ab ipſo *Theodoſianum* exinde dictum evulgavit: quo item anno Urbs Conſtantinopolitana ſummo civium plauſu & feſtis acclamationibus reſtitutum ſibi, & ex Ponto translatum S. Joannis Chryſoſtomi XXX. ante annos defuncti Corpus excepit quam magnificentiſſime. Prægustaverat hoc ipſum Byzantinorum gaudium ſeptem ante menſibus idem Glycerius, ſibique gratulatus eſt impletam Venerii prædeceſſoris mentem, qui pro reſtituendo in ſuam Sedem Joanne ipſo laboraverat; quum ex publica fama audiſſet, exanime illius Corpus ſuæ Sedi a ſucceſſore Proculo impoſitum ac reſtitutum, ut ex (75) Socrate, ac (76) Nicephoro fuſe narrat (77) diligentiſſimus Baronius. Quantum vero gaudium Joanne reddito Regia Urbs Orientis prætulerat, tantumdem doloris hauſit Mediolanenſis Populus Glycerio amiſſo, qui ad prædeceſſores ſuos Marolum & Venerium in Nazariana Baſilica appoſitus (78) orbam Paſtore urbem noſtram reliquit triennio, ut dixi, nondum completo; quamvis ex noſtro aliiſque Archiepiſcoporum Catalogis ejus Pontificatus anni uſque ad XVIII. & amplius protrahantur. Sed ſi ſuum Sedis tempus ſucceſſori Lazaro velimus ſervare, neceſſe eſt, ut ultra hoc exigunm ſpatium non differatur Glycerii Sedes; præſertim quum pluris hic facienda ſit Ennodii auctoritas, qui de eo aperte cecinit:

Hunc habuit Populus parvo vix tempore felix.

Ejus obitus, ſeu depoſitionis dies, juxta laudatos Catalogos fuit

(75) L. 7. c. 44. (76) L. 14. c. 43. (77) Ad. ann. 438. n. 6. & ſeqq. (78) In *Catal.* noſtro ſic: *Clicerius ſedit annos* XVIII. (ubi error pro III.) *depoſ. XVII. Kal. Oct. ad S. Nazarium.* Idem habetur in aliis *Catal.* ap. Murator. *Rer. It. Scr.* T. 1. P. 2. p. 229. init. & T. 4. p. 141.

XV.ª Sept., attamen ejuſdem Commemoratio celebratur quotannis die ipſius menſis XX.ª num ſcilicet, quod jam antiquitus dies XV. fuerit S. Nicomedis cultui dedicata?

Lazarus Glycerio ſubſtituitur. Ingenui ejus mores & egregia indoles ex Ennodii epigrammate.

XII. Quare quum ſui Paſtoris deſiderium ægre ferrent Populus ac Clerus Capite deſtituti, celebratis comitiis ſuaviſſimo Glycerio auſterum ſeverumque Lazarum ſuffecere, ſi credimus (79) Ennodio, qui utrumque veris coloribus ex effigie, quam, uti prædiximus, habebat præ oculis, nobis expreſſit. Comparemus ſcilicet, ſi placet, relata Ennodii de Glycerio carmina cum initio Epigrammatis, quod de S. Lazaro concinnavit, ſcilicet:

Lazarus, ut diri premeret pede Culmina mundi,
Vocibus accitus, TRVX venit in medium.

& fides meis dictis conſtabit. Non licet itaque inficiari, quod natura factus ad auſteritatem eſſet Lazarus, utpote *truci*, ſive gravi, ut Sanctum decet, aſpectu ad ſeveritatem potius, quam ad blande demulcendum, compoſitus. Aberat quippe ab Ejus vultu ſuavis hilaritas, ſed non deerat ſine triſtitia gravitas, quam mali reformidarent, boni autem venerarentur. Placet nimirum in Sacrorum Moderatoris cultu eminens majeſtas, quæ nec grave remittat ſupercilium, nec diſſolute verendi cultus decus infringat. Quare truculentam, quam pinxerat primo diſticho, imaginem veluti emendans, & novo ſuperinducto colore perficiens idem Ennodius ſic proſequitur explicans:

Quem frons læta parum vitiis depinxerat hoſtem
Mulcantem culpas luminibus tacitis.

Quibus verbis nos docet, in eos dumtaxat contrahere conſueviſſe ſupercilium, & tacito oculorum ipſos verberaſſe convicio, qui ſe

(79) *Epigr.* 83. inſcript. *De Sancto Lazaro Antiſtite* Op. cit. col. 1879. cit.

Digitized by Google

ſceleribus obſtrinxiſſent. Aſpera itaque illa e Lazari vultu eminens ſeveritas innata Eidem, ſeu inſita ex mundi & humanarum rerum deſpectu, quandoquidem *premeret pede culmina mundi*, juſtius deinde erumpebat in criminoſos homines Paſtorali animadverſione digniſſimos, quibus tamen, ſi reſipiſcerent, lenitatem adhibere non dedignabatur. Sic enim dictam initio de Lazaro noſtro ſententiam emollire pergit Ennodius:

Reſpiciens lapſus, deterſit nubila vitæ;
Curam ſæpe dedit vulneris obſequio.

Samaritani Evangelici inſtar, medicas manus admovens *vinum* & *oleum* infundebat, remedium ſcilicet, ut (80) Ambroſius docuerat, quod *foveret & remorderet*. Tantus in avertendis a grege ſuo criminibus ſuſceptus a S. Lazaro labor eo tandem recidebat, ut Populo Mediolanenſi Deum Opt. Max. propitium redderet, quem retroactis annis Romæ infenſum & Romanorum vitiis ultionis veſtigia defixiſſe cognoverat ad hominum memoriam ſempiternam.

CAPUT QUARTUM.

Attila Hunnorum Rex in Pannonia utrique Imperio minitatur immenſo exercitu. S. Lazarus belli metu Triduanas Rogationes inſtituit.

VEruntamen ad placandum Italis Divinum Numen non veteres calamitates duntaxat revocandæ erant in mentem hominum; ſed motus etiam præſentes & mala, quæ timebantur. Scytharum gens, barbararum nationum ferociſſima, ex remotiſſimis Europæ finibus jampridem egreſſa, ſub *Hunnorum* nomine, Daciam ac Mœſiam quum occupaſſent, late hiſce temporibus * in Pannonia, & per

* An. CDXLI. vel CDXLII.

(80) *De Pœnit.* L. 1. c. 11. n. 52. Opp. T. 2. col. 404. Edit. cit.

Sirmium effrænis, & in dies novis gentibus & ſubſidiis aucta dominabatur. Præerat tum ſæviſſimæ nationi Rex Attila, qui, fratre Bleda Regni conſorte interempto, ſolus efferatæ gentis uſurpabat imperium. Is immenſa fretus multitudine modo Illyricum vexans, modo placatus ſubſiſtens, ſed ſemper armatus neque quietis ſpem certam faciebat, neque certum belli diſcrimen intentabat. Hinc utrinque timendus, quum neque Occidentis, neque Orientis Imperium exercitus ſui metu liberaret: modo Thraciæ, modo Italiæ clauſtra circumſpectans, & in neutram partem erumpens, utrinque terrorem incutiebat, ad inſtar Ovidianæ (1) illius Tigridis, quæ

. . . . . auditis diverſa valle duorum
Exſtimulata fame mugitibus armentorum
Neſcit, utro potius ruat, & ruere audet utroque.

Porro tanti ac tam feri exercitus comparati fama audita quum ſuſpenſas Venetiam omnem atque Liguriam teneret mali veluti impendentis exſpectatione; Antiſtes noſter ſanctiſſimus Lazarus in omnem placandi Numinis Divini opportunitatem intentus, primus omnium pium Triduanarum Litaniarum inſtitutum invexit: quod tanto periculo avertendo præſentiſſimum etiam rerum exitus declaravit; quandoquidem tanti mali maturitas Lazaro vivente nunquam erupit. Inſtitutis ſcilicet per totius Urbis ambitum & ad ſingulas Portas Cleri & Populi ſupplicationibus, conceptiſque ad normam formidati periculi precibus, invocatiſque Titularibus Sanctis, & ſacris per compita triduo indictis, ita populi & Urbis incolumitati fuit conſultum, ut circumſtans belli fragor ſenſim obmuteſceret ac plane ſileret. Quin etiam ceteræ Eccleſiæ hunc piiſſimum morem ſunt imitatæ, ut divino potius auxilio, quam humanis viribus ab

(1) *Metam.* L. 5. v. 165.

quovis malo ſe tuerentur. Exinde enim legimus, hoc edoctum exemplo (2) Mamercum Viennenſem in Delphinatu Epiſcopum pari modo inſeſtos ab agris lupos, & alia cæli oſtenta divinæ iræ prænuncia præcaviſſe; imo univerſam per Occidentem Eccleſiam pro fertilitate agrorum impetranda quotannis ſancto uſam hoc Lazari inſtituto, cui Scriptores noſtri omnes illud ex vetuſtiſſima traditione uno ore ferunt acceptum. Reapſe Is Urbem noſtram precum ſuarum vallo veluti quodam, pluſquam mœnibus ita, quoad Cathedram tenuit, communivit, ut formidata hoſtium incurſio ab Italia penitus depelleretur.

II. Antea tamen, quam contra Hunnorum impetum precibus ſuis pugnaret Lazarus, cum occultis ac clandeſtinis Religionis hoſtibus Eidem fuerat decertandum. Belli hujns tuba fuerat SS. Rom. Pontifex Leo, qui ſolerti indagatione odoratus atque rimatus * Manicheorum errores tacite in Alma Urbe graſſantes, quum deinde poſt diligentiorem conquiſitionem ad ipſa mali cubilia perveniſſet, ocyus morbum invaleſcentem partim legum ſeveritate compreſſit, partim remediis pœnitentiæ adhibitis ſanavit. Quumque multi ex fuga ſubſidium quæſiſſent, veritus Pontifex, ne aliorſum fugitivorum peſtis dimanaret, univerſos Italiæ Epiſcopos in belli ſocietatem armavit, datis ad eos (3) litteris, quibus & facti, & errorum ſeriem plenius ſingulos edoceret. Hoc litterarum ſtimulo & ſuopte ingenio ad Religionem ſartam tectamque tuendam incitatus Lazarus acerrimum iis perſugis bellum indixit, & pro ſua Metropolitani in Italica Diœceſi dignitate ſuarum item partium eſſe cenſuit, inquirere latibula omnia tam ſuis, quam Confratrum ſuorum oculis

In Manichæos latentes inquirit.

* An. CDXLIII.

(2) Sidon. L. 7. *Ep.* 1. ap. Baron. ad ann. 475. n. XII. & XIII. T. 8. p. 332. & 333. Vide & Saxium in *Vita S. Lazari* T. 1. p. 119. (3) Vide S. Leonis *Epiſt.* 7. *ad Epiſcopos per Italiam*. Opp. T. 1. col. 623. Edit. Venet. 1753.

ſubjecta, num alicubi hæc venefica lues Italicum cælum inficeret, ut protractos in lucem ejus ſectæ aſſeclas vel emendaret, vel legibus coerceret. Neque obſcura apparent in Ennodio Illius præcone hujuſmodi diligentiæ indicia, dum in penultimo Epigrammatis ſui diſticho canit:

Non latuit tectis facinus qui geſſit in antris:
Abſens criminibus tortor ubique fuit.

Quare demum retractans veluti legentium menti impreſſam antea de Lazari ſeveritate opinionem, ex adverſo Ipſius erga probos & innocentes comitatem laudans concludit:

Innocuis placida vernabat luce ſerenus,
Ceu ſpeculum noxis iniiciens faciem.

ac ſi diceret, Lazarum humanorum cordium occulta & ſecreta rimantem objicere ſolitum cunctis *faciem* ſuam veluti *ſpeculum*, in qua boni omnes pro merito lenitatem ac manſuetudinem viderent; improbi vero dignam ſuis moribus ſeveritatem reformidarent.

Hujus Antiſtitis ætate Ravennatis Sedis ab Italica Metropoli divulſio. *An. CDXLVII

III. * In Lazari Pontificatus annos cadit Ravennatis Sedis ab Italiæ Metropoli divulſæ nova inſtituta dignitas, quæ Flaminiam & Æmiliæ partem ab Italicæ Diœceſeos jure abſtraxit. Liceat hic mihi non contentioſi funis ducendi gratia, ſed indagandæ veritatis amore ad S. Ambroſii Ævum aſcendere, quo etiam vivente & docente (4) diſcimus Flaminiam ex Septem Italiæ Provinciis, quæ poſt Conſtantinum M. a Vicario Italiæ regebantur, Mediolanenſi Epiſcopo paruiſſe. Nolim hic fluctus in ſimpulo excitare, quum cauſam hanc ſtrenue & invicte doctiſſimus Sirmondus (5) propugnaverit

(4) Vid. *Epiſt.* 2. n. 27. infra cit. Opp. T. 2. col. 761.

(5) In *Propemptico De Regionib. Suburbicar.* L. 1. c. 8. Opp. T. 4. col. 161. & ſeqq.

guaverit Sæculo ſuperiore adverſus Salmaſium, qui Andabatarum more luctaturus in arenam deſcenderat. Omiſſa igitur hac quæſtione, quam convictus ratione Salmaſius ipſe deſeruit, certo ſcimus, S. Ambroſium (6) Forocornelienſem Eccleſiam, ſibi jure Metropolitico commiſſam, cuidam Conſtantio Præſuli in ſui abſentia commendaſſe, donec Epiſcopum ordinaret: quam eam ipſam fuiſſe, quæ nunc *Imola* vocitatur, in Flaminia ſitam, nemini dubium erit quamdiu aliam exſtitiſſe non innotuerit in Pannonia cognominem urbem, cujus curam *Conſtantio Siſcienſi* Antiſtiti demandaverit. Id liquet etiam ex ejuſdem Ambroſii (7) *Epiſtola ad Vercellenſes*, in qua dolet, nondum eam Eccleſiam Epiſcopum habere, quum omnes *Liguriæ*, atque *Æmiliæ*, *Venetiæ*que, vel *ceterarum finitimarum* (inter quas Flaminia) *Italiæ partium* Urbes Paſtore non careant. Neque vacat, quæ ſupra (8) innuimus de hac Italiæ Metropoli, aut recolere, aut repetere; ſed ſufficit plane unius S. Petri Chryſologi, primi in Flaminia Metropolitani, teſtimonium locupletiſſimum, qui decus hoc S. Leoni Rom. Pontifici, & Aug. Valentiniano III. luculentis verbis (9) refert acceptum. Quemadmodum hoc ipſo

M

(6) S. Ambr. in *Ep. ad Conſtantium Epiſc.* nuper cit. *Commendo*, inquit, *tibi*, *Fili*, *Eccleſiam*, *quæ eſt ad Forum Cornelii*, *quo eam de proximo interviſas frequentius*, *donec ei ordinetur Epiſcopus*. *Occupatus diebus ingruentibus Quadrageſimæ tam longe non poſſum excurrere*. Quis fuerit hic *Conſtantius*. V. not. *b*. c. 754. & nota * c. 761. (7) *Epiſt*. 43. n. 1. col. 1022. *Conficior dolore*, *quia Eccleſia Domini*, *quæ eſt in vobis*, *Sacerdotem adhuc non habet*, *ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ*, *Venetiarumque*, *vel ceteris finitimis Italiæ partibus hujuſmodi eget officio* &c. (8) Lib. I. Cap. II. Sect. II. (9) *Serm*. 175. p. 246. Edit. Ven. 1750. Sic habet in hoc Serm. habito die Dom. Nat. occaſione Conſecrat. Marcellini Epiſc. Vicohaventini, in Æmilia, qui fuit primus Epiſc. ab ipſo uti Metropolitano conſecratus (ut etiam obſervavit Paſtritius in expoſit. hujus Serm. p. 248.) *Edicto Cæſaris & Pagani univerſorum Dominus obtemperaturus occurrit*, *& Decreto Beati Petri*, *Decreto Principis Chriſtiani ſervus adhuc aliquis irreverenter obſiſtit? Verum*, *quia neque proſpera adverſis*, *neque gaudiis miſcenda ſunt triſtia*, *his omiſſis*, *hodierni germinis lætitiam proloquamur*. *Habeat modo natus*, *qui primum natus eſt*, *primogeniti reverentiam*, *teneat & honorem*. *Marcellinus hodie vernaculi partus totum rapuit & conquiſivit affectum*. Vide & Sirmond., qui in *Propemptico* adv. Salmaſium L. 1. c. 8. T. 4. col. 166. ſub fin. aſſe-

Digitized by Google

ineunte Sæculo Aquilejenſis Sedis aucta eſt dignitas ex Barbarorum irruptione; ſic Flaminiæ additus eſt honos Metropolitæ Ravennatis, annuente Pontifice Romano totius Occidentis Patriarcha, & Imperatore volente, qui Regiam inibi ab Honorio Auguſto collocatam hoc dignitatis ſacræ ornamento illuſtrandam curavit.

Lazari obitus ante Attilæ adventum. Euſebius natione Græcus Lazaro ſufficitur. Ejus geſta ex Ennodio.

IV. Itaque hac Paſtoralis curæ parte exoneratus Lazarus atque geſtiens, in Chryſologum egregium vineæ Dominicæ cultorem eam fuiſſe Provinciam translatam, eo vehementius in relictam ſibi gregis ſatis ampli portionem ſtudia ſua convertit, evigilanſque in evellendis erroribus, & pro avertenda Dei iracundia precibus inſtans, id demum eſt aſſequutus, ut maximas impendentes Italiæ calamitates, quas divinitus præſenſerat, in cæleſtem Patriam evocatus * morte præventus effugeret. Depoſitum in Nazariana Baſilica teſtatur (10) *Catalogus* die XIV. menſis *Martii*, ut nos aperte legimus, & ſuſpicatur etiam Papebrochius, quamvis in exemplari hujus noſtri *Catalogi* ad eum tranſmiſſo (11) male lectum fuerit *Maji*. Attamen, ut idem animadvertit, incidente ſemper ad menſem Martium Quadrageſima, in XI. Februarii diem rejecta fuit Sancti hujus Commemoratio, æque ac aliorum Ambroſiano in Ritu Quadrageſimali tempore omnino prohibita. Adſcriptus jamdiu Mediolanenſi Clero alienigena Euſebius, Græcorum Patrum virtute ſua referens imaginem, in hac Urbe tum verſabatur, natione itidem Græcus: quumque de eligendo Lazari ſucceſſore ageretur, nihil tale cogitans, omnium in ſe oculos ac vota convertit. Captus ille Mediolanenſium blando mitique ingenio, & effuſa in exteros benevolentia, & ſacris præſertim, quibus hæc florebat Ec-

*An. CDXLIX.

---

rit, *Ravennam hoc jus Metropolitani centeſimo* poſt Synodum Sardicenſem *anno*, ideſt 447., *ſub Placido Valentiniano eſſe conſecutam*.

(10) Sic in *Catal.* cit. *Lazarus ſed. ann. XI. Depoſ. XIIII. menſ. Mar. ad S. Nazar.*

(11) Edit. in *Exegeſi* cit. in *Act. SS.* T. 7. Maji p. LXII.

cleſia, ritibus atque inſtitutis, Populi & Cleri amorem viciſſim in ſacris miniſteriis ſolertia ac diligentia promeritus, univerſis acclamantibus ad vacuam Cathedram fuit evectus Quinti Sæculi anno XLIX. Teſtatum id nobis reliquit (12) Ennodius, qui *De Amico Dei Euſebio Pontifice* Epigramma ſuum inſcribens hæc habet:

Euſebius Ligurum ſucceſſit finibus hoſpes,
Ignotæ plebis tractus amicitia.
(*) *Graius erat, ſocio Titan quos reſpicit ortu*
Flammigero lymphas vertice decutiens.

Quas autem ad Cathedram virtutes attulerit, uno quidem carmine idem Poeta comprehendit; ſed tot conglobatim enumerat, quarum ſingulæ Paſtorem perfectum decerent, aut facerent, Is erat ſcilicet

Mitis, compoſitus, largus, pius, integer, audax,
Crederet ut damnum non dare perpetuum.

Synodus Rom. & Chalced. Œcum. ſub Leone contra Eutychen. Item Synod. Mediol. ſub Euſebio. Synodica ipſius Epiſtola. Quo anno Mediol. Synodus habita, diſquiritur.

V. Miror tamen Ennodium in tam effuſo Euſebii præconio maximum illius decus aut neglexiſſe, aut ignoraſſe, quod nobis ex S. Leonis Romani Pontificis Epiſtolis & ſingulare videtur, & perſpectiſſimum. Diſſeminaverat Conſtantinopoli Eutyches errores ſuos adverſus Duas Chriſti Naturas, & Divinæ Incarnationis Myſterium, qui primum apud Flavianum ejus Urbis-Epiſcopum, & ab hoc apud Leonem Romam delati, quum a catholicorum dogmatum regulis abhorrerent, coacta Patrum Synodo in Alma Urbe (13)

(12) *Epigr.* 84. ap. Sirmond. Opp. T. I. col. 1879. Edit. cit. (*) Queſnell. int. Opp. S. Leonis T. 2. col. 1421. ſic emendandum exiſtimat: *Grajus erat, ſolito* &c. Qui cognomen, & certas nobiles Familias & Stirpem Epiſcopis noſtris affinxere Scriptores, certe in *Euſebii* cognomento hallucinantur vehementer. Illi enim, quum nulli Noſtratium Stirpi adſcripſerint Græcos *Auxalonem*, *Calimerium*, *Euſtorgium*, & *Marolum*, imo nec Mediolanenſes aut Romanos, *Cajum*, *Maternum*, *Miroclem*, contra *Euſebium* Græcum *Paganorum* Familiæ inſeruerunt, fortaſſe Illius e Græcia originis ignari. Neque hoc eo dicimus, quo alia eorum uſque ad Sæculum X. figmenta probemus: dubium enim valde eſt, utrum aliqua Epiſcoporum cognomina ante hoc Sæculum extiterint. (13) In *Epiſt. S. Leon. ad Theodoſ.* n. 69.

Digitized by Google

anno CDXLIX. hujus fuerant anathemate confixi. Pontificis & Synodi ſententiam de Eutychis erroribus non ſolum Leo Theodoſio piiſſimo Auguſto aperiendam cenſuerat; ſed in Regiam Urbem etiam honorificam Apoſtolicæ Sedis nomine legationem mittendam, qua catholicum dogma Eutychiano errori opponeretur. Quatuor (14) ea conſtabat legatis, quorum duos Romana Diœceſis, reliquos Italica ſuppeditavit. Delecti ex illa fuere *Aſterius* Epiſcopus, & *Baſilius* presbyter, ex noſtra autem *Abundantius* Comenſis Epiſcopus, & *Senator* presbyter Mediolanenſis. Summa legationis erat, ut conceptis verbis Fidei catholicæ profeſſionem Anatolius Flaviani ſucceſſor ad ſe mitteret, Conciliumque in Italia con-
* An. CDL. tra Eutychis errores celebraretur. Miſſi legati * anno CDL. die XVI. menſis Quinctilis; quumque in eorum itinere Theodoſii mortis nuncium ſuperveniſſet, legati a Marciano ſucceſſore honorifice excepti ac demum dimiſſi renuntiavere Pontifici Œcumenicam (15) primum Nicææ, deinde Chalcedone indictam Synodum, in qua Eutychianorum errores uno DXXXVI. Patrum ore damnandi ſperarentur. Felicis hujuſmodi legationis exitum Leo ſtatim per litteras Euſebio (16) aperuit; & ne Italiæ Antiſtitum ſibi conſentientium

---

col. 1008. Ed. cit. data 16. Jul. 450. ſic legitur: *Concilium Univerſale intra Italiam, ſicut Synodus, quæ ob hanc cauſam Romæ convenerat, mecum petiit, Clementia Veſtra concedat.* Hanc vere Romanam Synodum celebratam fuiſſe ſuperiore anno 449., ſatis conſtat ex altera ejuſd. ad eund. Aug. data 13. Oct. ejuſd. anni, col. 915. in hæc verba: *Omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes Manſuetudini Veſtræ cum gemitibus & lacrymis ſupplicant Sacerdotes* &c.

(14) Vide *Ep.* 69. cit. col. 1007. *Ut autem ſalubribus curis velocior pleniorque, auxiliante Domino, per Veſtræ Clementiæ fidem proſletur effectus, ad Pietatem Veſtram fratres & Coepiſcopos meos* Abundium & Aſterium, *ſed &* Baſilium & Senatorem *presbyteros, quorum mihi devotio eſt probata, direxi, per quos, quæ noſtra formæ ſit fidei, manifeſtatis inſtructionibus, quas miſimus, poſſitis dignanter agnoſcere; ut, ſi Conſtantinopolitanus Antiſtes* (Anatolius) *in eandem confeſſionem toto corde conſentit, ſecuri, ut dignum eſt, de eccleſiaſtica pace lætemur* &c. De eorum legatione conſtat etiam ex ſubſeqq. Epiſt. 70. 71.

(15) Vide *Hiſtor. Concil. Chalced. Œcumen. IV.* præfix. T. IV. *Concil.* Labbé col. 6. C.

(16) Inter *Opp. S. Leonis* T. 1. col. 1080. *Epiſt.* 97., quæ eſt *Synodica* Euſebii Mediol. Epiſc.

Digitized by Google

ſuffragium in Oriente deſideraretur, cum hortatus eſt, ut Synodo Provinciæ ſuæ coacta ſuam Synodique ſententiam de Eutychiana hæreſi aperiret. Nobile hoc antiquitatis fragmentum habemus in ipſius Leonis (17) Epiſtolis, & in Epheſini Œcumenici Concilii (18) Actis; quo facile conſtat & quibus Euſebii ætate limitibus noſtra foret Provincia comprehenſa poſt avulſam Aquilejenſem & Ravennatem. Subſcribunt in ea, præter Metropolitanum Euſebium, *Faventius Epiſcopus Regienſis Eccleſiæ*; *Maioranus Placentinæ*; *Cyprianus Brixillianæ*, qui tres ad Æmiliæ partem ſpectabant nobis adhuc adjudicatam poſt Ravennatem Metropolim erectam. Item *Quintus Epiſcopus Eccleſiæ Detornenſis*; *Criſpinus Ticinenſis*, *Floreius Presbyter iuſſus a præſente S. Eulogio Epiſcopo Eccleſiæ Iporienſis, quia ipſe propter infirmitatem ſubſcribere non poteſt*; *Maximus Epiſcopus Eccleſiæ Taurinenſis*; *Gratus Presbyter directus ab Epiſcopo Euthaſio Eccleſiæ Auguſtanæ, vice ipſius*; *Cyriacus Epiſcopus Eccleſiæ Laudenſis*; *Abundantius Comenſis pro ſe, & pro abſente ſancto fratre ſuo Aſinione Epiſcopo Eccleſiæ Curienſis, primæ Rhætiæ*; *Paſchaſius Epiſcopus Eccleſiæ Genuenſis*; *Paſtor Aſtenſis*; *Simplicianus* (*) *Novarienſis*; *Joannes Cremonenſis*; *Optatianus Brixianæ*; *Juſtianus Vercellenſis*; *Quintus Albigaunenſis*; & *Præſtantius Bergomatis* *. Synodicam Euſebii Epiſtolam male Labbeus (19) * An. CDLI.

ad S. Leonem Papam. Sic vero exorditur: *Reverſis* (Abundio ſcilicet Epiſc. & Senatore presbytero menſe Junio 451., ut ex *Epiſt. S. Leon.* ad Marcian. 83. col. 1045) *Domino annuente, fratribus noſtris, quos ad Orientem fidei cauſa ſollicite provida Beatitudo veſtra direxerat, decurſiſque litteris, quas per eos Tua Sanctitas deſtinavit, omni exſultatione in Chriſto relevatus ſum, quod effectum commiſſæ ſibi legationis eoſdem reportaſſe, veſtrâ paginâ deſignavit.*

(17) Anno 451., menſe Aug. vel Septembri, ut ex Epiſt. 97. col. 1030. cit. (18) *Concil.* T. 3. col. 1334. & ſeqq. (*) Hic in Edit. vocatur etiam *Simplicius*, uti ſupra Cap. III. Sect. VIII. innuimus, ubi de *Martiniani* Epiſcopi noſtri nomine. Vide & Ballerin. not. 21. 23. & 26. in hanc *Synod. Epiſt.*, item Queſnelli, T. 2. col. 1473. & 1474. citt. (19) T. 3. col. 1334. cit.

Digitized by Google

affixit anno CDLII. poſt celebratum Chalcedonenſe Concilium; verius tamen anno præcedenti aſſignandam. Ex Epiſtola enim S. Leonis LXIX.ª ad Theodoſium II. Aug., data *decimoſeptimo Kal. Aug.*, *Valentiniano ſepties*, *& Avieno V. C. Conſulibus*, id eſt anno CDL., cognoſcere poterat ille Conciliorum Collector, hoc tempore miſſos ad Eundem quatuor legatos, ut Fidei catholicæ profeſſionem exigerent ab Anatolio Flaviani ſucceſſore. Recolere item poterat, Theodoſium obiiſſe anno & menſe eodem; legatos vero ad Leonem rediiſſe *Conſule Adelfio*, ideſt anno CDLI., quinto Id. Junii, ut ex ejuſdem Leonis ad Marcianum Theodoſii II. ſucceſſorem Epiſtola (20) LXXXIII.ª, Synodum vero (21) ſtatim ab Euſebio juſſu Leonis celebratam poſt eorum reditum eodem anno menſe Auguſto, vel Septembri; quum nulla ibi mentio occurrat de Chalcedonenſi Concilio; ſed in hoc ſolum ea Synodus verſetur, ut laudet fidem catholicam Sancti Pontificis, & doceat, eam mire conſentire cum dogmate Eccleſiæ Mediolanenſis & doctrina S. Ambroſii. Eam igitur Synodum celebratam autumo, ut Patribus Chalcedone congregatis conſtaret, quæ eſſet Italicæ Diœceſeos & Romanæ ſententia de Divina item & Humana Chriſti Natura ab Eutyche oppugnata.

Hæc haberi non potuit anno CDLII. Id probatur ex temporum calamitate. Attila nempe in Liguriam irrumpens Mediolano imminet.

VI. Sed vacat potius ex hujus temporis hiſtoria probare, eam Synodum anno inſequente cogi ab Euſebio nullo etiam modo aut tempore potuiſſe. Etenim Attila Hunnorum Rex ferociſſimus, quem ſupra diximus quingentis armatorum millibus fretum nigri-

(20) Inter *Opp. S. Leon.* T. I. col. 1046. c. 1.

(21) Relege initium *Synodicæ* Euſebii *Epiſt.* mox recitatum. Sic vero paulo poſt idem Euſebius loquitur: *Admonitis ergo Fratribus, & Coepiſcopis meis, habitoque Conventu, Veſtrarum formam tenuimus litterarum. Nam recenſita Epiſtola Beatitudinis Veſtræ in Sacerdotum Domini Concilio, quam ſanctus Frater & Coepiſcopus noſter* Abundantius, *& Compresbyter meus* Senator *detulerunt* &c.

dis inſtar modo ad Orientis, modo ad Occidentis clauſtra frendentem atque prædæ ſemper avide inhiantem, ſuperioribus annis Orientem primum ad rapinam vaſtationemque deſtinaverat, & Theodoſii II. Aug. ditionem, Illyricum nempe, cædibus funeſtaverat; tum ſimili furore Thraciam, utramque Mœſiam, imo uſque ad Thermopylas Theſſaliam continentis inſtar incendii pervaſerat; demum cæſo Romanorum Duce, ac profligato exercitu, ad indecoram pacem ſanciendam Theodoſium compulerat, qua annuum tributum pactus ſe ſuamque ditionem a belli atrociſſimi injuriis liberaret. Verum onuſtus tanta præda, ſed nondum ſatiatus, eraſo Oriente, ad Occidentem converſis ſanguineis oculis, quum anno ſuperiore immenſis & ex tota Barbaria conflatis copiis Gallias invaſiſſet, & Belgicam Secundam ferro atque igne vaſtaſſet, tandemque juſto prælio in Catalaunicis campis cum Aëtio congreſſus, magna clade affectus, illius provinciæ occupandæ conatu fuiſſet depulſus, Italiam & Romani anhelabat everſionem Imperii. Hinc tota mole in Occidentem tranſlata, primam omnium Provinciarum Italiam oculis deſignavit ad prædam & ſervitutem. * Appetente igitur vere anni CDLII. ingentem ſecum (22) Barbarus Nationum cultu facie & nomine ignotarum ex ultima Scythia multitudinem ducens, ex Pannonia

* An. CDLII.

(22) Quas ſecum duceret Attila Barbaries copias, docemur ab Sidonio Apollinari in *Panegyrico ad Avitum* v. 319 & ſeqq. inter *Opp. Sirmondi* T. 1. c. 1209.

. . . . „ Subito cum rupta tumultu
„ Barbaries totas in te transfunderet Arctos
„ Gallia; pugnacem Rugum comitante Gelono.
„ Gepida trux ſequitur; Scyrum Burgundio cogit:
„ Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſterna, Toringus,
„ Bructerus, ulvoſa quem vel Nicer abluit unda,
„ Prorumpit Francus: cecidit cito ſecta bipenni
„ Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno.
„ Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
„ In campos ſe, Belga, tuos &c.

Digitized by Google

in Hiſtriam tranſgreſſus, objectam illam Illyrico Italam Coloniam ferro incendiiſque vaſtat. Hærens aliquantulum ad Aquilejenſium mœnia egregie a civibus defenſa, tandem facto impetu muro potitus Urbem illam direptam & civium ſanguine redundantem ſoloque æquatam tranſgreditur, æternum ibi crudelitatis ſuæ defigens monumentum. Inde pari furore Altinum & Concordiam progreſſus utramque delet; Patavium procedens exſcindit; Venetiamque terrore replens, fugientes incolas & accolas trepidos ac deſperantes in Adriaci Maris circumjacentes ſcopulos propellit, cogitque miſeros in Rivi Alti ſaxis & inſulis ſalutem atque perfugium quærere, & infeliciter nanciſci. Fugientium ex Venetia nuditas & luctus futuræ in Liguria cladis præſagium ac famam augebat. Auxilii deſperati nulla ſpes, inſtans e propinquo & ſemper renovata Venetarum Urbium calamitas, quæ ferme oculis obverſabatur, adeo perſtringebat Mediolanenſium animos, ut impendere cervicibus ferrum, & in foribus adeſſe Hoſtem arbitrarentur.

Agri & Urbis Mediol. excidium. Paſtoris & Ovium exilium, ex S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Homilia fuſe deſcribuntur.

VII. Saluti fuit in re tam trepida unus Paſtor Euſebius. Ille circumſtans Dei flagellum ex aliorum calamitate præſentiens, primum precibus Deum placare conatus; mox ut per Liguriam exundantem hoſtium aciem vidit, & per villicorum mapalia incenſa & fumantia præmonitus de impendente excidio, & fruſtra inſtantibus defenſioni murorum civibus urgeri fortius machinis propugnacula, imo & everti ſenſit; non ſibi, ſed gregi timens ſuo, rebus plane acciſis & perditis, vacuæ hoſtibus derelinquendæ Urbis conſilium cepit: prædaque omni, quæ aſportari non poterat, Barbaris jam irrumpentibus permiſſa, unum, quod reliquum erat, fugæ præſidium quærens, per averſam hoſtibus partem elapſus, cum magna civium multitudine pedeſtri, vel plauſtris impoſita, verſus maritimas & Cottias Alpes a Deo feliciter, aut melius dicam *in manu forti*

forti & brachio excelſo, fuit deductus, hoſtibus interim Urbem ingreſſis, & prædæ expoſitæ incubantibus, nihil de populo fugiente ſollicitis (*). Quare paucorum cæde, quibus fugiendi aut poteſtas aut voluntas deſuit, prædæ relictæ magnitudine Hunnorum avaritiæ potius, quam furori fuit ſatisfactum. Rei totius ſeriem habemus ex S. Maximi Homilia inſcripta (23) *In Reparatione Eccleſiæ Mediolanenſis*; quod certe graviſſimum erit de rei veritate teſtimonium conſideranti, cum Provinciæ noſtræ Epiſcopum, noſtræque etiam calamitatis, animo ſaltem, participem hæc coram Mediolanenſibus in dirutam Urbem reverſis palam & confidenter diſſeruiſſe. Salva igitur Civitate, ſive Civium multitudine, in Urbem & ſaxa ſævientes Barbari, dejecta Baſilica Majore (24) ejuſque adjacentibus *membris*, ſeu minoribus Eccleſiis, parietes ſolo æquarunt; imo & domibus vaſtatis atque expilatis, triſti omnino fœdaverunt incendio. Quam calamitatem exponens itidem Maximus reduci Populo in conſolationis argumentum convertit exclamans (25) *Deus Omnipotens, qui cuncta hæc magna cum pietate diſpenſat, Civitatem, non quæ in vobis eſt, ſed habitacula*

(*) Occaſione hujus Attilæ irruptionis Suidas Græcus ſcriptor in *Lexico* ſuo V. *Mediolanum* narrat, Attilam, quum *in pictura vidiſſet Romanorum quidem Reges in aureis thronis ſedentes, Scythas vero cæſos & ante pedes Ipſorum jacentes, pictorem accerſitum juſſiſſe Se pingere ſedentem in ſolio; Romanorum vero Reges ferentes ſaccos in humeris, & ante Ipſius pedes aurum effundentes* (Idem refert etiam Triſt. Calchus *Hiſt. Patr.* L. 3. p. 63. ad an. 452.) (23) *Homil.* 94. col. 316. Ed. Romæ 1784. *Quis non miretur, illam tantam diſpenſationem iræ cæleſtis & gratiæ? Quandoquidem irruptis muris, armatas furentesque hoſtes populi inermes, ut velociſſimi equites tarda atque onere gravata ſuo trepidantium plauſtra, fugerunt. Et quidem nonnullis de Clero, aut de plebe evadendi aut poſſibilitas defuit, aut voluntas.* (24) In *Homil.* cit. col. 315. verſ. med. *Eccleſiam . . . . quæ utique Caput eſt Civitatis, rediviva conſtructione reparavit . . . . Qui ergo inſtaurationi collapſi Capitis adfuit, dabit, ſi ita mereamur, ut jacentia Capitis ipſius membra conſurgant.* (25) Ibid. col. 316. initio.

Digitized by Google

tradidit Civitatis; nec Eccleſiam ſuam, quæ vera eſt Eccleſia, conſumi juſſit incendio, ſed pro noſtra correptione receptacula Eccleſiæ permiſit exuri . . . . Propter quod, cariſſimi, non tigna & trabes, ſed Vos Deo noſtro vivam præſentatis Eccleſiam (26). Onuſti præda Barbari, duce Attila, reliquam Liguriæ partem populabundi circumcurſantes eó demum devenère, ubi (27) Mincius in Padum dilabitur.

Paſtoralis Euſebii in gregem ſuum cura. Omiſſa Mediolano Attila Padum verſus copias movet. Ibi S. Leonis eloquentia victus in veteres ſedes repellitur.

VIII. Interea in miſerrimo exilio conſtitutus cum univerſo grege Euſebius noſter minus ſua, quam Populi miſeria commovebatur; cum ad Paſtoris caritatem ſpectare intelligeret mala, quæ grex toleraret. Miſerum ſane ac miſerandum erat ſpectaculum videre Civitatem ferme integram per agros, perque invias ſolitudines diſperſam, omnibus ſenſim vitæ præſidiis deſtitutam præter dubiam adhuc ac trepidam libertatem, ſub dio expoſitam, ſibi ac ſuis metuentem, eſcam aut ab agris petentem, aut ab incolarum pietate emendicantem, de præſenti calamitate dolentem, de futura ſollicitam, miſerias ſuas invicem tot æque miſerorum ſocietate triſtiſſima conſolantem: ex adverſo amantiſſimum diſperſi gregis Paſtorem Euſebium curam ſuam omnibus impertientem, alios ſolantem, aliis ſubſidia ſuppeditantem, hos excitantem ad miſericordiam, illos ad ſpem erigentem, omnibus ſe ducem, ſingulis Pa-

---

(26) Eandem ſententiam eloquentius exornat his verbis Maximus ibid. col. 316. *Non ergo nunc Eccleſia reparata eſt, quæ, Deo protegente, non periit, ſed parietes & tecta hæc veſtram* (ſubaudi Eccleſiam) *vos, qui Dei eſtis Eccleſia, recepiſtis*. Vos enim eſtis, *ut ait Apoſtolus*, Templum Dei vivi . . . . . *Benignitate pii Judicis non ipſi nos, ſed ea, quæ noſtra videbantur, aut præda diripuit, aut igne ferroque conſumpta perierunt . . . . . & ſacræ Ædes, domuſque privatæ, pecudum greges, & diverſa quadrupedia, fructuoſæ ac ſteriles arbores, rupes ac celſa montium ictu fulminum jaculantur . . . . . Illa pro nobis, quæ aut ſenſu carent, aut vivere ſe neſciunt, fulminantur . . . . . Nos delinquimus, & Cælum ſævit in pecudes; Nos flammam meremur, arbor exuritur; Nos plectenda peccamus, & ſaxa pro Nobis ſubeunt ultionem* &c. (27) Jordan. *De Reb. Geticis* c. 42. ap. Murator. *Rer. Ital. Script.* T. 1. p. 212. col. 2. Item *Hiſt. Miſcell.* L. 14., ibid. col. 98. initio.

trem exhibentem, ſæpe flentem cum flentibus, congaudentem lætantibus, exteros provocantem ad eroganda ſubſidia, ſuos hortantem, ut communia haberent, quæ erogarentur. Quæ omnia Paſtoralia Euſebii officia uno diſticho complecti poſſe putavit Ennodius de Ipſo canens in ſupra memorato Epigrammate LXXXIV.°

Flevit pauperiem miſerans; arriſit habenti:
Gaudia cum cunctis, triſtitiamque gerens.

Tandem educto de ſervitute Populo noſter Antiſtes, velut alter Moſes, exilii ſuſcepti calamitatem patienter ferens, diuturnitatem ſaltem orando & flendo deprecabatur. Neque precanti defuit Deus Opt. Max., ut ex Euſebii perſona Deum ipſum alloquentis vere dicere poſſet (28) Taurinenſis Epiſcopus: *Probavi iudicantis cenſuram: gratiam parcentis agnoſco. Mœrores meos, ac triſtitiam plebis Tuæ in peregrinatione deflevi; ſed lacrymas a Te meas gaudeo non eſſe deſpectas*. Nam, dum ad Mincium caſtris poſitis ſederet Barbarus, & Valentinianus Romæ tum degens novam Almæ Urbis ruinam reformidaret, infringendos miti legatione Attilæ conatus cenſuit, ut legatorum dignitate aut gratia a propoſito ferociſſimus Hoſtis dimoveretur. Electi (29) ad id muneris fuere cum ipſo Romano Pontifice Avienus Vir Conſularis, & Trigetius, ut reor, Prætorio Præfectus. Placido excepit vultu legatos Rex cetera ſuperbiſſimus; tamque efficaciter habitus majeſtate, vultu, oculis, atque oratione peroraſſe traditur SS.^{mus} Pontifex, ut facilem dictis atque obſequentem Hoſtem habuerit; qui proinde veritus progredi ulterius, motis illico caſtris, capras remenſus Provincias, Pannoniam tandem immenſa Liguriæ præda onuſtus eodem anno rediit.

(28) S. Maximi *Homil.* 94. cit. col. 318. initio. (29) Vide Murator. *Annali d'Italia* ad ann. 452. T. 3. p. 154.

Sed id certe divinitus potius, quam humanitus accidit, fuſis ab Euſebio noſtro ad Deum precibus.

IX. Id ego certe divinitus omnino factum crediderim, quum neque Attilæ auribus blandiri poſſet Leonis eloquentiſſimi oratio (erat enim Attila æque Leoni lingua barbarus, ac Attilæ Leo) & parvi penderet Scytha Romanam dignitatem, neque ipſum Auguſtum vereretur. Equidem ſive Alarici poſt direptam Romam defuncti fato territus, ſive (30) divino oſtento, dum Leo verba faceret, ut alii ſcripſere, perterrefactus, certe Attila mutato poſt legationem conſilio, nec ſine Suorum admiratione, iter cœptum omiſit, & Italiam metu, Mediolanenſes exilio liberavit; &, ſiquid humanitus factum Attilam a noſtris Provinciis exegit ac repulit, illud fortaſſe unice (31) Aetii celeritati ac virtuti tribuendum cenſeo; qui collectis propere copiis ac tumultuariis auxiliis ſemper fugientis veſtigiis inſtans & in turbata ac palantia ſine ordine Barbarorum agmina irrumpens, aut relictos intercipiens, aut extremum agmen carpens, ſemiuſtulatos ſemper, confugere tandem ad Alpes, atque ibi veluti per clauſtra montium ferarum more in veteres ſedes abire coegit. Aliam nobis cauſam hujus ab Italia repentinæ diſceſſionis aperire videtur S. Maximus, Antiſtitis ſcilicet noſtri Euſebii lacrymas & preces; ſic enim S. Doctor illum in laudata Homilia loquentem (32) inducit: *Deus, vitam meam nuntiavi tibi: Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo . . . . Convertiſti enim, Domine*, ut ait Propheta, *planctum meum in gaudium mihi. Expuliſti me offenſus, & propitius reduxiſti. Imo, ut verius dicam, propitius expuliſti, ne in loco temere permanens miſeriam captivitatis incurrerem*. Et revera quanta fuiſſet Mediola-

(30) De hoc divino oſtento vide AA. a Murator. citt. ibid., licet ne verbum quidem in Libro Pontificali in *Vita S. Leonis*. (31) Vide Sigon. *De Imp. Occid.* L. 13. apud Murator. ibid. (32) Col. 317. & 318.

nentium futura calamitas, niſi Euſebium fugæ auctorem & exilii ducem habuiſſent! Iſte enim extitit duræ peregrinationis conſolator & socius; in tanto infortunio patientiſſimus, quod ſuis civibus ferendum ſuadebat, ſua longanimitate & exemplo docebat; in vigiliis aſſiduus, in ſubveniendo miſericors, parſimoniam ſibi reſervans, ut largius ſuccurreret. Quare, ſi in captivitatem incidiſſet in Urbe capta perſtans, ut de Urbe, ſic de Civibus noſtris actum fuiſſet. Divino itaque conſilio effectum eſt, ut voluntarium cum grege exilium præoptaret, unde felicius paulo poſt cives patriæ reſtitueret, Urbiſque perditæ ſtatum renovaret.

Civium cum Euſebio ad patriam reditus. Hic in Majorem Baſilicam reparandam incumbit, quæ probatur fuiſſe *Intramurana*, de qua loquitur S. Ambroſius.

X. Renata interim, utcunque (33) Attila fugiente, rerum tranquillitas, patriæ viſendæ amor, & dura vivendi neceſſitas Mediolanenſes ocyus impulit, ut ad paternos lares, nondum ſilentibus in Venetia armis, reverterentur. Idem qui exilii, dux etiam reditus fuit Euſebius, *Paſtor* (34) *ſcilicet bonus, per quem oves egrederentur, & ingrederentur, & paſcua invenirent*. Quum vix fines direptæ Provinciæ reducti exules attingerent, hæſit ſtatim animis acerbiſſimus dolor, incurrentibus ſubito in oculos (35) vaſtatis agris, villiſque exuſtis. Paſſim mapalia viſebantur incenſa, & barbaricæ crudelitatis veſtigia undequaque apparebant. Abductis armentis & gregibus, cæſis arboribus, vitibuſque, glebis undique arentibus, in Scythicam ſolitudinem commutatam Liguriæ fertiliſſimam partem reduces lamentabantur. Quum vero ad Urbem appropinquarent; atque eminens Baſilicæ Majoris culmen, antea etiam

(33) Sic loquitur Maximus in cit. *Homil.* col. 316. E. *Nam beneficio pietatis Ejus* (Dei) *poſt tantum & tam lugubre illud excidium, ecce Summus Sacerdos ſuus aſtat incolumis, Clerus integer, & plebs iſta, licet ſub quotidiano adhuc metu, & mæſta vivens, tamen in libertate perdurat.* (34) *Jo.* c. 10. v. 19. (35) Recole lugubrem facti totius deſcriptionem jam ſup. recit. pag. 98. nota (26).

longe poſitis conſpicuum, fruſtra intentis oculis requirerent, & nuſquam appareret; tum certe ex integro cladis acceptæ renovatus eſt dolor, effuſi iterum ejulatus & luctus adeo, ut patria vix potitos conſervatæ in exilio (36) vitæ pœniteret. Mœnia ipſa demum ingreſſi præconceptam ruinæ ſuæ opinionem auxere, uſurpantes oculis tigna domorum & laquearia aut diruta, aut pendentia, murorum ingentes minas, everſa partim ædificia, vel prope ruentia; plurima denique deformata, & alia funeſtata loca: compita & vias per rudera pertentantes quum in forum evaſiſſent, deſtructi Primarii Templi reliquias in cæmentitii operis aggeſti mole dolentes & lacrymabundi repererunt. Ingenti luctu Attilæ furorem deteſtari, ut olim Antiochi Iudæus populus cum ſuo Duce Iuda, pari religionis ſtudio Mediolanenſes cives cum Euſebio ad obliterandam inuſtam a Barbaris maculam ocyus conſpiravere. Relicta dominis (37) privatarum ædium reſtaurandarum cura, univerſi ad ſacram Ædem Domino omnium Deo reficiendam incubuerunt. Stetit igitur, continenter urgente opus Antiſtite, veteri ſubſtructioni ac fundamento iterum impoſita & in veterem formam extructa excelſæ Baſilicæ moles & culmen, proximis invidenda civitatibus & gentibus, quæ obliteratum præteritæ ruinæ dedecus Euſebio reſtaurationis auctori gratulaturæ undique confluebant, teſte Ennodio in ſupra laudato epigrammate LXXXIV.

Hunc index operis locaturo nuntiat Orbi,
Fama Virum, gentes de ſtatione trahens.

---

(36) Ibid. col. 316. in fine: *Quanquam, cariſſimi, in ipſis tribulationibus noſtris, quas tamen poſſibiliter, Deo moderante, pertulimus, quidam imperiti nimis interpretes fuerunt, dicentes: periit hæc civitas, collapſa eſt Eccleſia, non eſt jam cauſa vivendi.* (37) Ibid. col. 317. init. *Conſolemur nos itaque, fratres, nec uſque adeo ſuſpiremus, collapſas eſſe domos, quia videmus reparationem domorum in dominis reſervatam.*

Loqui autem Ennodium de *Intramurana*, ut verbis Ambroſii (38) utar, *Baſilica*, *quæ Maior eſt*, vix relinquitur dubitandi locus: aperte enim Maximus in laudata *Homilia* (39) unam deſignat *Eccleſiam*, *quæ utique caput eſt Civitatis*, ab Euſebio reparatam, quum adhuc *iacerent capitis ipſius* (*) *membra*. Quanquam perpetuum Euſebianæ molitionis teſtimonium exſtat etiam monumentum in veteri membranaceo Bibliothecæ Electoralis Palatinæ Codice *centum aliquot retro annos*, Grutero teſte, deſcripto, ubi ſic (40) legitur:

In civitate Mediolanium in Eccl. S. Teclae

Priſca redivivis conſurgunt culmina templis:
*In formam rediere ſuam, quæ flamma * crearat.* * Forte cremarat.
Reddidit hæc votis Chriſti, qui templa novavit.
Euſebii meritis noxia flamma perit.

Hujus Epigrammatis titulus, ſicuti & alterius, quod infra (41) ex eodem Palatino Codice exhibebimus, ſcilicet *Ambroſii verſus ad Fontem Teclae*, ingerere fortaſſe alicui ſuſpicionem poſſent, num, qui eadem collegit, ea de cauſa ſic forte inſcripſerit, quod ſibi ex inveterata aliqua Mediolanenſium traditione innoteſceret, utramque hanc Inſcriptionem a priſcis uſque temporibus in ea ipſa *Theclæ* Baſilica collocatam fuiſſe, quam (42) jam ab Ambroſii ætate exſtitiſſe nonnulli opinantur; an potius, quod geminum hunc Lapidem ſua, qua ſcribebat, ætate in novo *S. Theclæ* Templo inviſerit e conſpectu *Maioris* erecto, quod anno denique decimiſexti Sæculi XLVIII.° fuit ſolo æquatum. Id tamen paulo fiden-

(38) *Epiſt. ad Marcellin.* cit. n. 1. Opp. T. 2. col. 853. (39) Col. 315. C. Vide & infra Lib. II. Cap. III. Sect. VIII. (*) Quænam fuerint hæc *membra*, infra diſquiremus Sect. XV. (40) Apud eund. Gruter. T. 2. pag. MCLXVI. n. 7. Ed. Amſtel. 1707. (41) Infra Sect. XV. in not. (42) Recole, quæ diximus ſup.p. 67., & infra dicenda huj. Cap. Sect. X. XV. & XVI.

Digitized by Google

tius aſſetere mihi poſſe videor, allatum de Euſebio monumentum eſſe Euſebio ipſi pene coævum; huic enim Epigraphi optime congruit, quod in *Homilia* ſua (43) *De Reparatione Eccleſiæ Mediolanenſis* S. Maximus coram Euſebio ipſo recitavit, ſcilicet: *Et ſub quadam reſurrectionis ſpecie in antiquum verticem* (*) *ſepultum Templi huius Culmen erectum eſt*. Quum vero Palatina Inſcriptio *priſca culmina* vel *templa* ſignificet flammis conſumpta, vel poetice plurali numero unam tantum *Baſilicam Majorem* ab Euſebio refectam innuit, vel ſimul etiam proximam *S. Theclæ*, *Æſtivam* inde appellatam, Intramuranam & ipſam, ut (44) diximus, & altera fortaſſe vetuſtiorem, complectitur, quam quidem Euſebius reficere meditabatur; & jam inde exſtructam credibile eſt circa S. Miroclis Antiſtitis noſtri ætatem (quo vivente Conſtantinus M. pacem Eccleſiæ catholicæ reddidit, decreto ea de re primum (45) in Urbe noſtra promulgato.) & in meditullio Civitatis, ubi olim *Minervæ* fanum, teſte Andrea Alciato (46) in hanc ſententiam:

Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi numine Thecla
Mutato, Matris Virginis ante Domum.

Neque enim Attila videtur in ſuburbana extra Murorum ambitum loca & urbis *Pomerium*, *Brolium* exinde dictum, in quibus potiſſimum ceteræ ſacræ Ædes erectæ fuerant, ullatenus ſæviiſſe, ubi nullus defenſor obſiſteret; ſed contentus præda & ſpoliis eorum locorum furorem potius in mœnia & domos convertiſſe, quæ aliqui Mediola-

(43) Ed. Rom. col. 318. B. (*) In Ed. cit. ibid. male *ſpeculum*. *Sepultum* enim legitur in geminis *Lectionariis Hiemal.* ritu Ambroſ., altero in Biblioth. noſtra Ambr., altero in Archivo Capit. Baſil. S. Ambr. aſſervatis. (44) Sup. pag. 67. & infra huj. Cap. Sect. XV. & XVI. (45) Decretum hoc Conſtantini atque Licinii pro Chriſtianis recitatur ab Euſebio *Hiſt. Eccleſ.* L. 10. c. 5. & a Baronio ad ann. 313. n. V., & Pagius ipſe confirmat, datum eſſe hoc anno in Urbe Mediolano. (46) *Embl.* 2.

Digitized by Google

diolanenſium protegerent. Baſilicam igitur ab Euſebio reparatam eam ipſam autumo, quam olim occupatam (47) ab Arianis Ambroſius ſumma, qua pollebat, animi conſtantia tuebatur, & *Novam* quidem ipſe, ſed præ antiquiore fortaſſe *S. Theclæ* appellabat.

XI. Poſtquam civium non minus, quam Euſebii oculos beavit Templi moles in veterem formam reſtituta, cenſuit SS.mus Paſtor ſolemni etiam ritu & celebritate (48) dedicandam. Porro ut tanta celebritas infinito reducis Civitatis concurſu & gaudio perageretur, & ipſa veteris calamitatis recordatio & illuceſcens melioris tempeſtatis felicitas poſtulabat. Pro ſua item Provinciæ noſtræ Epiſcopi in nos & Metropolim caritate ac benevolentia interfuiſſe huic ſolemnitati S. Maximum Taurinenſem Antiſtitem, teſtatur plane jam ſæpius memorata Ipſius Homilia XCIV. *In Reparatione Eccleſiæ Mediolanenſis*, cujus extremam partem utpote emendatiorem ex MS. Bibliothecæ noſtræ Ambroſianæ (49) fideliter reddo. Poſtquam enim ibi inductus eſt a Maximo Euſebius confitens, ſe *propitio Deo expulſum, ne in miſeriam captivitatis incideret*, ſic orationem ad Deum ſuum proſequitur Sanctus noſter Antiſtes: *Quod merebar agnovi, & quod non merebar obtinui. Refero itaque æternæ gloriæ tuæ debitas gratias, quia ſanctam hanc Domum tuam, quam noſtris meritis furor barbarus complanavit, per me ſervum tuum dignatus es reparare, & congregationem diſperſæ plebis tuæ meis nunc oculis reddidiſti; atque in tuo nomine dedicamus de veteribus nova; & ſub quadam reſurrectionis ſpecie in antiquum verticem, ſepultum Templi hujus culmen erectum eſt. Sic ille*

Hanc Euſebius ſolemni ritu dedicat. Quimo. in ea celebritate obtinuerit uſque ad noviſſimam Templi Dedicationem a S. Carolo factam.

O

(47) *Epiſt. ad Marcellin.* ſæpe cit. (48) Vide & infra Lib. II. Cap. III. Sect. VIII.
(49) In *Lectionario Hiemali* Ritu Ambroſ., ſcilicet a *Dedicat. Eccl.* uſq. ad *Paſcha*, ſup. cit.

Iſraeliticus quondam Populus tuus, exuſta Hieruſalem Temploque ſubverſo, in Babyloniam regionem captivus abductus, certa poſt tempora ad patrium revocatus ſolum, & Urbem ſuam conſtruxit, & Templum. Conſerva ergo iam, Domine, quod operatus es in nobis. Propitiare, Domine, parce, Domine, parce (ſic) *Populum tuum, & benedic hæreditatem tuam. Ne ultra diſſimulante te, Deus noſter,*
*Pſal. 78. v. 10. *de gregis tui perditione ridentes* * dicant gentes, *ut dixerunt:* Ubi eſt Deus eorum? *Sed ſicut indignantis erga nos vindicta non defuit; ita nobis propitiantis pietas perſeveret; præſtante Domino noſtro* &c. Quare, ut diem illum, feliciſſimum nobis, immortalitati conſecraret Euſebius, Ambroſianæ Eccleſiæ ritus novo inſtituto exornavit, præcepitque, ut, recurrente (50) quotannis Octobris Tertia Dominica die, tanti beneficii memoria recoleretur: quumque procedente tempore hic mos ſemper religioſiſſime ſervaretur, in Vigiliis ejuſdem Dominicæ conſuetudo illa inolevit, ut ipſa S. Maximi *Homilia*, ad clavo veluti trabali defigendam in Civium animis calamitatis & celebritatis memoriam, perpetuo recitaretur; cujus partem apud Triſtanum Calchum in ſua *Hiſtoria Patria* (51) quam elucubrare cœpit anno MCDXCVI., teſte (52) Puricello, evulgatam legimus, & nos etiam in Ambroſiana Bibliotheca (53) habemus, ſed acephalam, in *Lectionario*, ut dicimus, *Ambroſiani Ritus*, Sæculo adminus XII.° conſcripto. Hoc tamen tempore hujus *Homiliæ* recitandæ exolevit uſus, ex quo nova Metropolit. Baſili-

(50) Conſule Lect. *Breviar. Ambroſ.* ad diem XII. Aug. & Saxium in *Vita S. Euſebii* T. 1. p. 124. (51) L. 3. p. 64. Ed. Med. 1627. (52) In *Diſſert. Nazar.* c. 104. n. 1. Vide & Argellati *Bibl. Script. Med.* v. *Chalcus Triſtanus*. (53) Sup. cit. pag. 104. nota (*) & 105. nota (49), quod incipit ab hac *Homil.* S. Maximi *In Dedicat. Eccl.*, forte initio mutila: legitur item in 2. Codd. Capitnli S. Ambroſ., altero Sæculi fortaſſe IX., altero vero cum hac Nota Chronologica 1514. 23. Sept., ſed nomine *Maximi* in hoc tantum poſtremo.

Digitized by Google

cæ dedicatio a S. Carolo facta eſt peſtilenti anno MDLXXVII., ut exhibet Tabula marmorea ibidem proſtans in medio hemicycli odæum Aræ Maximæ ambientis. Atque ut exſtaret perennis hujus novæ Dedicationis memoria, graviſſimas novaſque cæremonias novamque Precum formam hujus Feſti ſanctitati ac celebritati congruentiorem induxit S. Carolus; quemadmodum Ipſe vetus etiam *Breviarium* ad vetera Ambroſiana inſtituta accuratius conformavit. Hinc effectum eſt, ut ſecunda ab hoc S. Antiſtite facta Majoris Baſilicæ, ab Jo. Galeatio Vicecomite Mediolani Duce a fundamentis conſtructæ, Dedicatio primæ, quam Euſebius fecit ab ſe inſtaurati Templi, licet antiquiſſimæ, memoriam obliteraret.

Attilæ, Aëtii, Valentiniani III. mors. Maximus Imperium Occid. occupat, quo mactato Genſericus Vandalorum in Hiſpania Rex Romam diripit. Avitus purpura induitur. Solus Ricimer tyrannidem in Italia exercet.

XII. Quem tamen dolorem Euſebius in refloreſcente noſtræ Urbis ſtatu abſterſerat, acrius in ſui Pontificatus fine renovatum ſenſit propter publicas Imperii Occidentalis calamitates quotidie defloreſcentis, & proxime vergentis ad interitum. Fugatus ex Italia & in Pannoniam compulſus Attila Orbem metu * anno inſequente moriens liberaverat. Aëtius vero, cui Galliæ atque Italiæ vindicatæ laus & præmium debebatur, invidorum livore ex adverſo apud Auguſtum laborabat. Illius enim fide Maximi Senatoris calumniis in ſuſpicionem adducta, impotens animi præ ira Valentinianus * vocatum ad ſe Aëtium manu ſua obtruncavit; quó quum unico ſe ipſum nudaſſet præſidio Auguſtus; poſtmodum * Maximi inſidiis circumventus, immiſſis ſatellitibus e medio ſublatus eſt geminis dumtaxat filiabus relictis; eoque interempto idem Maximus auctor Imperatoriæ cædis nedum purpuram induit, ſed cum Auguſta Eudoxia interfecti Valentiniani Conjuge, matrimonio inito, ſociatur. Comperto autem ex Maximi incauta confeſſione, ipſum fuiſſe Valentiniani mortis auctorem, Eudoxia novum maritum & thalamum exſecrata ira pluſquam muliebri inſanoque

* An. CDLIII.

* An. CDLIV.

* An. CDLV.

Digitized by Google

conſilio ultionem meditata, Genſericum ex Africa, ut plures credidere, Romam evocat, qui, mactato Maximo, fœde Romam diripit, & quicquid Alarici crudelitas reliquerat, prædatur immaniter, ipſamque Eudoxiam Aug. cum filiabus Eudoxia item & Placidia Carthaginem captivas abducit, vix S. Leone Pontifice Barbarum exorante, ne in Urbis ædificia ſæviret. Luctuoſi hujus Drammatis protheſin multo turbulentiores epitheſis & cataſtaſis conſequuntur. Nam Imperatoriæ Stirpis reliquiis apud Barbaros captivis, Avitus Arvernus Sidonii Apollinaris ſocer, Romanæ militiæ in Galliis Præfectus, Auguſtus a militibus inauguratus, irrita legatione Genſericum ad reddendam Auguſtæ Uxori & Proli libertatem quum permovere non poſſet, Ricimerem, patre Suevo & matre Gothica prognatum, Militiæ Ducem contra Vandalum infeliciſſimo conſilio conſtituit. Hic delata ſibi poteſtate abuſus nihil adverſus Genſericum movet, & omnia arbitrio ſuo adminiſtrans Avitum ſeu movet, ſeu cogit * periculoſum ſibi Imperium deponere, & Placentina Infula ornatum in Eccleſiæ ſe caſtra recipere; atque exinde decem menſium ſpatio ſolus tyrannidem in Italia exercet.

* An. CDLVI.

Avito Majorianus, Majoriano Severus ſuccedunt. Inter hæc mala Euſebius ſanctiſſime moritur; atque animam exhalanti Geruntius ſufficitur.

* An. CDLVII.

XIII. * Auget hoc tempore Italiæ mala Marciani in Oriente Imperatoris mors, quæ illum in ipſo ſuſcipiendi in Genſericum belli conatu oppreſſit. Hinc aucta Ricimeris audacia & potentia fluctuans ſine Gubernatore Imperium Occidentis opprimit. Tandem connivente Ricimere Majorianus, veteranus ſub Aetio miles, Imperator creatus purpura quidem, ſed meliori tempore dignus, quadriennium Romanæ Reip. clavum moderatur egregie. Regnum auſpicatur inſigni victoria per Duces relata de Genſerici claſſe Campaniam infeſtante. Salubribus legibus munito Imperio, in Gallias profectus rebelles Lugdunenſes comprimit, & data ſplen-

dide venia in officio continet; idcirco (54) Sidonii præconio clarus. Ricimeris perfidiam Conſulatu delato demulcens Majorianus * Galliam, quæ Romanæ ditioni ſubjicienda ſupererat, ad obſequium revocat, Francis ad pacem compulſis. In Hiſpanias penetrans, juſto belli apparatu trajicere in Africam minatus, pacem imperans, cogit Genſericum arma deponere & bello abſtinere. Sed per Gallias revertens; ibique Circenſibus ludis celebratis, dum * in Italiam triumphans veluti feſtinat, Dertonæ ab ingrato Ricimere officii cauſa in ſpeciem occurrente purpuram exuere cogitur, anno Imperii ſui quinto, die II. Sextilis; die vero VII. Tyranni juſſu ad Vicum Iriæ interficitur. Genſericus pacis oblitus poſt Majoriani mortem iterum Tyrrhenum mare infeſtat; & Majoriani copiæ ſub Duce Ægidio, ulturæ Imperatoris mortem, adverſus Severum a Ricimere Cæſarem Ravennæ declaratum feſtinantes a Vandalis in Galliis importune diſtinentur. Hæc porro erant infeliciſſimæ Italiæ & Imperii Occidentalis mala, quæ Euſebius noſter ad ſuas alienaſque calamitates reſervatus & miſere vivens ſpectabat identidem, aliaſque ex aliis ſubnaſcentes fuſis ad Deum lacrymis proſequebatur. Sed tot obrutam malis tandem Deus invictam Illius patientiam muneraturus * ad cæleſtem ſibi paratam gloriam evocavit (55) V. Idus Auguſti, anno, ut mox demonſtrabimus, CDLXII., licet ad quartam poſt deceſſum diem habeatur in Calendariis etiam antiquis Ejus cultus commemoratio propter cauſas etiam a Papebrochio (56) allatas. Vigente adhuc ea ætate Lege Ro-

* An. CDLIX.

* An. CDLXI.

* An. CDLXII.

(54) *Carmen* V. & VI. inter *Opp. Sidon. Apoll.* edita a Sirmondo T. 1. col. 1159. & ſeqq. (55) Ibid. *Euſebius ſedit annos XVII. Depoſ. die VIIII. menſ. Aug. ad S. Laurentium*. Al. ap. Murat. T. 4. p. 141. *Ob. VI. Id. Aug.* (56) In Exeg. cit. *Ex phraſi recentiori, qua dies depoſitionis notatur, colligi poteſt, a vetuſtioribus Kalendariis abfuiſſe nomen quod (die IX. Auguſti impedito per SS. Firmum & Ruſticum) nunc invenitur adſcriptum diei XII.*

mana, qua cavebatur, ne mortui in Urbe ſepelirentur, S. Paſtor traditur & deſignatur in *Catalogo* antiquiſſimo deportatus non in Baſilicam Intramuranam a ſe, ut vidimus, reſtitutam, ſed extra Urbis ambitum, nimirum ad *S. Laurentium*, quæ primum Eccleſia ſacras Epiſcopi hujus exuvias condidit, poſtquam a S. Martiniano, ut alio loco innuimus, fuerat ad Herculei Maximiani Lavacrum dedicata.

Chronologia Pontificatus Euſebii, & duorum ſubſequentium Epiſcoporum emendata.

XIV. Veniam mihi hoc loco dandam facile ab eruditis lectoribus perſuadeo, ſi ad annum CDLXII. contra *Catalogi* fidem Euſebii mortem contraxerim. Neque enim reor Catalogo hiſtoriam, ſed Catalogum hiſtoriæ eſſe accommodandum. Hoc ut facerem, evicit Epigramma Ennodii (57) de S. Benigno, in quo diſerte admodum teſtatur, illum Epiſcopum Concilio interfuiſſe. Fuit porro Ennodius ferme coævus Scriptor, eaque memoravit, quæ vel in Imaginibus XII. Succeſſorum S. Ambroſii, vel Mediolani degens (58) poſt annum CDLXXXVII. oculis ſuis uſurpabat, vel ab iis, qui Ipſorum acta noverant, auribus quam facillime haurire potuiſſet. Quid porro ait Ennodius de Benigno?

Ante Patres cenſens ſedit plaudente Senatu.

Non hæc de *Euſebio*, non de *Geruntio* ſcripſerat. Quod ſi perſcrutari velimus Concilium, cui ille interfuerit, ecce tibi Romanum ſub Hilaro Summo Pontifice congregatum (59) anno CDLXV. Quare liceat mihi veritatem conſectanti annos XXIII. quos geminis illis Paſtoribus (Euſebio ſcilicet XVII., Geruntio VI.) *Catalogus* tribuit, ad XVII. tantum reducere, ut locus detur Benigno in Concilio Romano anno CDLXV. ſedenti. Utque hoc percommode fiat, quatuordecim annis Euſebii, & tribus Geruntii

(57) *Epigr.* 86. col. 1581. inſcript. *De Venerabili Benigno Epiſcopo.* (58) Vide Lib. II. Cap. II. Sect. VII. & ſeqq. (59) Ap. Labbé, *Concil.* T. IV. col. 1061.

Digitized by Google

Pontificatus comprehendatur. Detegendi autem in noſtro Catalogo erroris methodum nobis præſcribit ipſe (60) Papebrochius, mendum in exſcribendis numeris tribuens Amanuenſibus, qui geminis unitatibus propius conjunctis, altera inflexa, altera recta litteram facile U conficiebant, unde numerus quinarius conflabatur. Sic in computandis Euſebii Pontificatus annis numerus, qui habitus fuit XUII (ideſt XVII.) habendus erit pro XIIII., itemque in Geruntii nota numeralis UI (ideſt VI.) habebitur pro III. Hac enim numeri quinarii figura uti ſolitus eſt veteris noſtri *Catalogi* Scriptor. Pari itaque ratione *Catalogi* Chronologiam emendantes, Euſebium habebimus anno CDLXII. menſe Aug. ad cæleſtem Patriam evocatum, ſucceſſore jam electo Geruntio, ut mox videbimus, qui triennium ſuperſtes non omnino integrum fuit, quum menſe Majo anni, quo habita fuit Romana Synodus, CDLXV. occubuerit.

Quid animadverſione dignius acciderit in Geruntii electione. Quænam fuerint Baſilicæ Majoris *membra*, quæ S. Maximus in *Homilia* ſua commemorat.

XV. Singularis porro electionis Geruntii modus mihi videtur Simpliciani electioni geminus ac plane ſimillimus. Quemadmodum enim, quum Ambroſio morti proximo ſucceſſor eligendus proponeretur a circumſtantibus Simplicianus; atque hujus nomine audito moribundus Antiſtes in hæc verba erupiſſet: *Senex, ſed bonus*; moti tanto præconio electores Illum communi ſuffragio in Deceſſoris locum ſuffecere: majori etiam conatu atque conſenſu Clerus Mediolanenſis ac Populi vice Urbis Primores, explorata morientis Euſebii voluntate, ſeu deſiderio, ut in vacua mox futura Sede Geruntius collocaretur, tanto animorum ardore Hujus ele-

(60) In *Exegeſi* ſæpe cit. T. 7. col. 1. ubi *de S. Simpliciano*: Si ibidem Papebrochius putat, numerum X. emendandum eſſe pro II., quanto facilius & rectius quinarius numerus U pro gemina unitate II uſurpabitur? Vide etiam pag. LXII. col. 2. *de S. Martiniano*, ubi putat, obrepſiſſe XXX. pro XIII.

Digitized by Google

ctioni acclamatum ab univerſis fuit, ut antequam extremum ſpiritum exhalaret, Succeſſorem jam inauguratum reſcire potuerit, neque aliud ſibi ab amantiſſimo Populo exoptandum ſupereſſet. Hinc vere Ennodius (61) de Geruntio cecinit.

Eccleſiæ poſtquam parta eſt tibi Sella, Gerunti,
Funera Deceſſor non timuit moriens.

Neque enim *partam* Geruntio Cathedram hic Vates dixiſſet ita, ut ſecuro animo Euſebius ex hac vita migraret, niſi electio Deceſſoris mortem antevertiſſet. Hoc Euſebii de Succeſſoris merito ac virtute præjudicium quantum momenti & ponderis addat ſanctitati Geruntii, in aperto eſt. Neque enim in noſtra Eccleſia ea ætate deſiderabantur egregii atque illuſtres Viri, qui regendo clavo pares haberentur. Florebant Benignus atque Senator ſapientia celebres & Paſtoralibus dotibus ornati Presbyteri, quorum alter poſtmodum Epiſcopus in Romano Concilio cum plauſu ſententiam tulit, alter autea jam Conſtantinopolim legatus a S. Leone Romano Pontifice hoc meritus ab Ipſo (62) præconium, ut *probatam* ſibi Ejus *devotionem* teſtaretur. Quæ autem cauſa Euſebium impulerit, ut hiſce etiam Eccleſiæ noſtræ Luminibus Geruntium præoptaret, præter minorem eorum ætatem, etiam reor fuiſſe ſollicitudinem ac ſolertiam, quæ in Illo eminebat, publicæ ab Attila illatæ calamitatis ſublevandæ. Novum ſcilicet miſerrima illa tempora poſtulabant Euſebium, manu & largitione promptum, qui jam cœptis extremam apponeret manum, & Euſebii meditata perficeret. Suſpicor enim, moriente Euſebio, poſt Baſilicæ Majoris Dedi-

(61) *Epigr.* 85. inſcript. *De Geruntio Epiſcopo*. ap. Sirm. T. 1. cit. col. 1881. (62) *Epiſt.* 69. *ad Theodoſ. Aug.* Cap. 2. col. 1007: *Sed & Baſilium* & Senatorem *Presbyteros, quorum mihi devotio eſt probata*. Vide ſup. pag. 29. nota (14).

Dedicationem adhuc multa reficienda ac renovanda ſuperfuiſſe, quæ ad complementum jam dedicatæ Baſilicæ pertinerent. Hoc ipſum innuere, imo & indicare videtur (63) S. Maximus inquiens: *Qui ergo inſtaurationi collapſi Capitis adfuit, dabit, ſi ita mereamur, ut iacentia Capitis ipſius* membra *conſurgant*. Maxime vellem hoc loco, ut Maximus explicaſſet, quænam eſſent Baſilicæ Majoris, ſeu primariæ (ſic enim interpretor verbum illud *Capitis*) *membra*, quæ refecto dedicatoque Templo nondum conſurrexiſſent. Num *Baptiſterium*, ſive, ut in ſæpe laudata Ambroſii ad Sororem Epiſtola, *Baptiſterii* (*) *Baſilica*, quod eadem ruina involutum corruerat, licet magnifico ædificio octagono olim a S. Præſule erectum, de quo etiam legitur in ſuperius memorato veteri membranaceo Palatini Electoris Bibliothecæ Codice (64) apud

(63) *Hom.* 94. col. 315. citt. (*) Neque mihi quis hoc loco objiciat, legendum eſſe, ſicut in Maurina Edit. (col. 853. n. 4.) *in baptiſteriis baſilica:* in Edit. quippe Rom. ab an. 1580. ad 1585. (cujus accuratiſſime excudendæ opera demandata fuit Fr. Felici Card. de Monte Alto, poſtea Rom. Pontifici nomine Xyſti V.) L. 2. Epiſt. 13. T. 5. p. 161. E & in aliquot MSS., ſicuti in Ambroſ. noſtro perantiquo (P. Sup. I. 71.) legitur, *in baptiſterii baſilica:* & verius quidem, quum primis Eccleſiaſticæ libertatis temporibus unicum eſſet in unaquaque Metropoli *Baptiſterium*, de quo infra incidet ſermo Lib. II. Cap. IV. Sect. I., ubi de *Euſtorgio* II. Vide & P. Romuald. in Op. cit. *Vita di S. Ambr.* &c. nota 127. p. 97. & ſeq.

(64) *Theſ. Inſcript.* T. 2. p. 1166.

Verſus Ambroſii ad Fontem Teclae

„ Octachorum ſanctos Templum ſurrexit in uſus,
„ Octagonus fons eſt munere dignus eo.
„ Hoc numero decuit ſacri Baptiſmatis Aulam
„ Surgere, quo populis vera ſalus rediit.
„ Luce reſurgentis Chriſti, qui clauſtra reſolvit
„ Mortis, & e tumulis ſuſcitet exanimes;
„ Confeſſoſque reos maculoſo crimine ſolvens
„ Fontis puriflui diluit inriguo.
„ Hic quicunque volunt probroſæ crimina vitæ
„ Ponere, corda lavent, pectora munda gerant.

Digitized by Google

Gruterum epigramma ab ipſo S. Doctore, ut fertur, contextum? Num *Sacrarium*, quod certe membrum eſt *Baſilicæ Maioris*, aut illa *Baſilica Eccleſiæ minor*, in qua S. Ambroſius Pſalmos recitaſſe (65) teſtatur, dum *circumfuſi erant milites*, *qui Baſilicam* (ſcilicet *Veterem*) *cuſtodiebant*? Adhucne coronidem exſpectabat Maximus Baſilicæ alterius proximæ vel jam tum; vel exinde *Theclæ* Virgini ac Martyri ſacræ, quam nonnullis viſus eſt commemoraſſe Ambroſius (66) nomine *Baſilicæ Veteris*? Utrum Eccleſia hoc *S. Theclæ* titulo inſignita jam vel a primis Eccleſiaſticæ libertatis temporibus, vel ſaltem Ambroſii ætate Mediolani exſtiterit, a *Maiori* Baſilica (*) brevi intervallo diſſita, tum ex pervetuſta Civium traditione, tum ex nonnullorum Scriptorum ſententia, tum ex aliquibus conjecturis jam ſupra (67) expendimus. Modo alia divinando proferamus argumenta, quibus hæc opinio magis confirmetur.

Conjectando diſquiritur, utrum jam ab Ambroſii ævo aliqua exſtiterit Baſilica S. *Theclæ* ſacra. Geruntius Majoris Baſilicæ *membris* utcunque reficiendis operam ſuam adjungit.

XVI. Non ignoro, noſtrates Hiſtoricos (68) ad poſteriorem ætatem (ad Sæculi ſcilicet vel VIII.[i] exitum vel IX.[i] initium) referre Baſilicæ *S. Theclæ* ædificium; verum in tanta inopia monumentum ad Quintum Sæculum ſpectantium non inane erit ad alias, præter jam allatas, conjecturas confugere. Hinc quum tacitus mecum aliquando animo recolerem, cur in omnibus Litaniis, quæ per annum Ritu Ambroſiano canuntur atque celebrantur,

„ [illegible] veniant alacres; quamvis tenebroſus adire
„ Audeat, abſcedet candidior nivibus.
„ Huc ſancti properent; non expers ullus aquarum
„ Sanctus, in his regnum eſt, conſiliumque De[illegible]
„ Gloria juſtitiæ; nam quid divinius iſto,
„ Ut puncto exiguo culpa cadat populi?

(65) In *Epiſt.* 20. *ad Marcellin.* cit. n. 24. (66) Vide ſup. p. 67. (*) Num ad geminas haſce Baſilicas referendum ſit Ennodii Epigr. ult. inſcript. (*de duabus Domibus conjunctis*) vide infra Lib. II. Cap. II. Sect. III. (67) Ibid. & huj. Cap. Sect. X. (68) Vide Giulini, *Mem. di Milano* T. 1. p. 51. ad an. 787. & p. 105. & 106. ad an. 813.

quandocumque fit invocatio SS. Virginum, ſemper primus locus *S. Theclæ* tribuitur, quæ prima Virgineum Martyrum chorum duxit, & S. Pauli inſtitutionum fructum ampliſſimnm in Chriſti Ecclefia protulit; illa animum ſubiit cogitatio, hoc fortaſſe in cauſa fuiſſe, quod etiam antiquitus, quum primum inductus eſt Litaniarum uſus, Baſilica jam exſtiterit *Theclæ* ſacra, quæ etiam dicta exinde fuit *Æſtiva*. Num igitur a Lazari ætate, a qno primum manavit ad nos Litaniarum uſus, Templum erat, ubi *Thecla* colebatur? Imo ſæpius obſervavi, Ambroſium ipſum in Operibus ſuis poſt Deiparam Virginem primas *Theclæ* dediſſe. Poſtquam enim Virgines alloquens (69) *Mariæ* exemplum iis imitandum præbuiſſet, alternm ſtatim beatæ *Theclæ* inſtar proponit; quumqne Is Virginem lapſam excitat, ante oculos exhibet (70) *Theclæ* conſtantiam; pariterque (71) ad Vercellenſes ſcribens, *Mariæ* Virginitati *Theclæ* pudorem ſubjungit, Virginltatis ſcilicet tuendæ pattonam intento veluti digito demonſtrans, ad cujus Aram in altero ex primariis duobus Templis preces offerrent, & vota depromerent, dum ibi ſacra frequentarent. Quomodocnmque tamen ſe res haberet, certe ex allato Maximi teſtimonio conſtat, *membra* aliquot principis, *Hiemalis* poſtea nuncupatæ, Baſilicæ, qnam *B. Mariæ* dedicatam (72) omnes noſtri Scriptores conſentiunt, nondum in veterem formam fuiſſe reſtituta, quum *Maior* Deiparæ ſacra *Baſilica* ab Euſebio dedi-

(69) De *Virginibus* L. 2. c. 3. init. Opp. T. 2. col. 166. *Ergo Sancta Maria diſciplinam vitæ informet*, Thecla *doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem* &c. Item De *Virginitate* c. 7. T. cit. col. 223. n. 40. (70) *De lapſu Virg. conſecratæ* c. 3. n. 10. col. 307. *Quid facies coram Maria*, Thecla, *&* *Agne?* (71) *Epiſt.* 63. n. 34. col. 1030. Poſtquam de Mariæ Virg. puritate locutus eſt, ſic ſubjungit: *Quid de altera Moyſi ſorore Maria loquar, quæ feminei dux agminis pedes tranſmiſit pelagi freta? Qua munere autem venerabilis* Thecla *etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ ſuæ ſtratæ impaſtæ beſtiæ ſacrum deferrent jejunium* &c. (72) Vide Giulini locis citt.

Digitized by Google

caretur. Non negaverim reliquis, quos, ſupervixit, annis eundem Antiſtitem pro iiſdem reficiendis inſudaſſe. Verum quum ædificationi cœptæ eſſet immortuus, reor ſummis votis expetiſſe morientem, ut, ſibi Geruntio ſuffecto, ædificiis imperfectis ſtrenua Succeſſoris opera adjungeretur. Neque defuiſſe crediderim Deceſſoris votis Geruntium, qui brevi Pontificatus ſui ſpatio id impetraverit, ut quoad fieri poſſet *Majoris* Baſilicæ *membra* ad ſacra obeunda munera reficerentur; & præſertim *Baptiſterii* moles utcunque ad uſum Baptiſmatis ſolemnis accommodaretur; quæ quidem extemporanea *Baptiſterii* reſtitutio mihi videtur veriſſimillima, quum ex Ennodio tum oculato teſte habeamus certiſſimum, quod a Laurentio I., quadraginta circiter poſt Geruntii Pontificatum annis in auguſtiorem molem & novum decus fuerit ſplendide (73) reſtitutum. Hinc argute idem Vates de Geruntio canens affirmat in hoc Paſtore Euſebium revixiſſe; ipſum enim alloquens ait:

Te reparante redit: patitur ſors pallida lethum:
Vivit poſt obitum Diſcipuli pretio.

Quod interpretari liceat, Geruntii *pretio*, ſedula ſcilicet ejus cura & conatibus in Baſilicis reficiendis Euſebii nomen immortalitati conſecratum. Quare abſonum a fide non putem, vel poſitam a Geruntio relatam ſuperius (74) Inſcriptionem, aut ſaltem tribus prioribus hexametris jam fortaſſe Euſebio vivente inſculptis pentametrum extra metri ordinem ab eo Præſule apponi juſſum:

Euſebii meritis noxia flamma perit;

ut laborem a ſe collatum diſſimulans, totum quantumcunque eſſet opus reſurgentium etiam membrorum *Euſebii meritis* tribueret;

---

(73) Vide Ennod. *Carm.* L. 2. *Epigr.* 56. col. 1865., de quo infra ubi de Laurentio Lib. II. Cap. II. Sect. III. (74) Vide ſupr. pag. 103.

quod animi demiſſioni Sancti hujus Antiſtitis congruum arbitror, gloriæ ſuæ partem voluiſſe Euſebio auctori operis adſcribere, nihil ſibi detractum putantis, quod ad Deceſſoris ſui laudem acceſſiſſet.

Geruntii curæ in grege ſuo excolendo. Sanctiſſima ejus mors.

XVII. Neque in reficienda dumtaxat, quam Attila deſtruxerat, cæmentitia Eccleſia labores ſuos atque operam contulit Geruntius; ſed multo diligentiorem (75) in *vivo*, quod Euſebius ſervaverat, *Dei Templo*, ſcilicet grege Mediolanenſi, excolendo collocavit. Proſequens enim ejus laudes Ennodius Ipſum deſcribit, opera ſua presbyterorum ſuorum cohorti ſociata, commiſſam ſibi Domini vineam exercentem & cuſtodientem, quò Populus ſuus *vitis æternæ radice fundatus* (ut cum Ambroſio (76) loquar) *ſupereminens terris, ac ſolum vile prætexens nunc gemmanti flore pubeſceret, nunc circumfuſa viriditate veſtiretur, nunc mite iugum ſuſciperet, quo maturioribus brachiis, quaſi ſarmentis fœcundæ vitis adoleſceret*. Diligens item Agricola ſæpius exibat (ſicuti ait (77) Chryſoſtomus) *ut novales ſcinderet, ut perniciofas herbas amputaret, ut vepres evelleret*. Cultor itaque noſter egregius tum in prædicatione divini verbi paſcua optima ſuppeditabat ovibus, & divini Magiſtri præcepta opere ipſo comprobans pondus addebat verbis; ex Evangelii præſcripto eſculentum quidquid in cellis & penu haberet miſeræ plebi in medium depromens æternos ſibi in cælis recondebat theſauros, dum petentibus quibuſcumque terrena ſua bona expoſita indigentibus vellet. Demum, ut omnia uno verbo complectar, ſibi miſer, largus in miſeros, Antiſtes brevi

(75) S. Max. *Homil.* cit. col. 316. *Non ergo nunc Eccleſia reparata eſt, quæ, Deo protegente, non periit, ſed parietes & tecta hæc veſtram* (Eccleſiam) *vos, qui Dei eſtis Eccleſia, recepiſtis. Vos enim eſtis, ut ait Apoſtolus, Templum Dei vivi* &c. (76) *Expoſ. Evang. in Luc.* L. 9. n. 9., ad Cap. 20. v. 9., T. 1. c. 1500. (77) *Hom.* 44. al. 45. *in Matth.* n. 3., Opp. T. 7. p. 471. B. Edit. Pariſ. 1727.

Pontificatu inter labores ſemper exacto longa annorum ſpatia æquavit agendo ita, ut nullum plane otium haberet, neque ejus mens, ſemper in Dei & Proximi dilectione defixa, a Paſtoralibus curis exerrare aliorſum poſſet, quemadmodum ſubobſcure explicaſſe mihi videtur Ennodius canens:

Errorem mentis preſſiſti lege laborum;

ſcilicet indicta ſibi lege, ut aſſidue laboraret, id impetravit, ne intenta mens ſemper in Pontificium munus, juxta (78) Apoſtoli monitum, *locum daret Diabolo*. Quare concludit citatus Vates:

Otia non paſſus, virtutibus veheris.

Aucto enim in immenſum laborum certamine, uberior excreſcit & in immenſum virtutum ſeges, quas deinde præſtantior in cælis corona conſequitur, juxta (79) Ambroſii ſententiam: *Bonorum enim laborum nobilis fructus eſt; & quanto plura certamina, tanto præcellentior corona virtutum*. Eo autem intentius ſtudia ſua in gregem paſcendum conferebat laborioſus hic Præſul, quo tranquillius Italia bellis vacabat. Nam militares Barbarorum motus, Severo umbratili Auguſto, Ricimere in Imperio ſedente, quieſcebant; quum Ricimeres in Liguria cum copiis ſubſtiteret, & in coercendos hoſtes vigil excubaret. Imo in ipſo Gerumii Pontificatus exordio lux pacis aliqua affulgere viſa eſt; quum Genſericus toties fœdifragus tandem Eudoxiam Matrem & Placidiam filiam liberas in Italiam regredi permiſiſſet; Eudoxiam tamen ex filiabus alteram in Africa detinuiſſet, utpote Hunnerico ejus filio nuptam. Exſultavit Roma in Auguſtarum adventu: majore etiam poſtmodum gaudio triumphavit ex Placidiæ reducis initis nuptiis cum

(78) *Ad Ephеſ.* C. IV. v. 27. *Nolite locum dare Diabolo*. (79) *Expoſ. Evang. in Luc.*, in *Prologo* n. 6. Opp. T. 1. col. 1264.

Olybrio, in annum inſequentem * CDLXIII. Conſule Deſignato; cujus Conſulatus tempore iterum in Liguria novi belli metu trepidatum eſt. Etenim Alani cum ingenti multitudine vaſtatam Venetiam prætergreſſi in Bergomatem agrum jam proceſſerant; quum repente Addua trajecto Ricimeres Romanæ Militiæ Dux eos ex improviſo adortus tanta clade affecit, ut eorum Rege *Beorgor* in prælio interfecto non ſolum illius exercitus reliquias, ſed ipſum etiam Alanorum in Italia nomen penitus deleverit. Experte itaque bellici tumultus Liguria, & Metropoleos facie, quam Attila fœdaverat, in priſtinum decus reſtituta, Geruntius, Sedis triennio nondum exacto, ſummis plane & continentibus laboribus defunctus, & *virtutibus* ad cælum *evectus* diem clauſit extremum * anno CDLXV. tertio Non. Majas, quo vere die Illius natalem Mediolanenſis celebrat Eccleſia, ut conſenſit, (80) Papebrochius, licet in anno diſſentiat.

*An. CDLXIII.

*An. CDLXV.

Geruntio Benignus ſuccedit. Ejus Pontificatus initium ſtatuitur. Is nuper electus Synodo Romanæ ſub Hilaro Papa intereſt.

XVIII. Geruntio extincto, *Catalogi* omnes affirmant Ambroſianæ Infulæ dignitatem communibus ſuffragiis Benigno fuiſſe delatam. Verum in deſignando inaugurationis anno diverſis Chronologi diſtrahuntur ſententiis. Nos vero Ennodii auctoritate permoti, cujus locum reliqui Scriptores inobſervatum vel dimiſerunt, vel neglexerunt, anno CDLXV. (*) affigimus, ut ſuperius in Euſebio

(80) Sic in *Catal.* noſtro *Gerontius ſed. an.* VI. *Dep. d.* VII. *mai ad Scm̃. Simpl.*, ſic & in *Catal.* Metropol. ap. Murator., *Rer. It. Scr.* T. 1. P. 2. p. 229., Papebr. vero in *Exeg.* cit. cenſuit, errorem irrepſiſſe Amanuenſis, quod ſcripſerit VII. *mai* pro V. m̃., idest V. menſis Maji. Porro in *Manuali Ambr.* Sæc. XI. MS. in Bibl. Ambr. ſign. I. 55., & in altero Sæculi XIV. ineuntis, ſign. L. 20. habetur commemoratio S. Geruntii ad diem V. Maji; nullius vero Sancti ad diem VII. In alio demum *Catal.* apud eund. Murat. ibid. T. 4. p. 141. *Ob. IV. Non. Maji*, quæ inter ſe facile concilientur, modo *obitus* diem a die *depoſitionis* diſtinguere velimus. (*) A veritate minus, quam ceteri, aberraſſe mihi videtur Baronius in ſtatuendo Benigni Pontificatu, qui in Notis ad *Martyrologium Rom.* 20. Nov. hunc Præſulem circa annum 460. putavit fuiſſe electum; ad hoc aſſerendum fortaſſe inductus auctoritate Ennodii.

obſervavimus, quum nihil certi offerat in annorum ſupputatione *Catalogus*: anni enim Sedis cujuſcumque Epiſcopi quum de more in Diptychis non exſtarent, inde factum eſt, ut pro libito conſcriptores *Catalogorum* eos ſibi confingerent; unde crucem fixere Chronologis, qui eos ſupputantes & vocantes ad calculos, ſæpe monſtra & chimæras offendunt, ut, ſi velint tuto progredi, & annos expoſitos cum hiſtoria & certis factis conciliare, neceſſe ſit ad emendationem numeri confugere. Hoc ipſum reor, imo pro certo habeo in Benigni figenda Sede eveniſſe. Retentis enim XVII. annis Euſebio in *Catalogo* attributis, atque VI. aliis ſucceſſori Geruntio, quomodo ad ſtatuendum Cathedræ initium in Benigno progrediendum foret, niſi ad annum uſque CDLXX. deveniatur? Ex quo illud oriretur incommodum, ut præſentia Benigni in Romana Synodo ſub Hilaro anno CDLXV. deneganda eſſet, quam tamen Ennodius diſerte confirmat. Liceat itaque mihi quonſque novum Concilium non emergat, aut eruatur habitum poſt annum CDLXX., & cui ſciamus Benignum interfuiſſe, Ennodio ferme coævo fidem habere potius, quam ſummo ſemper cum honore nominando doctiſſimo Papebrochio, qui (81) ſuſpicatur, Geruntium fuiſſe illum, *cuius nomen excidit e titulo Romanæ Synodi* ſupra memoratæ. Paucis itaque poſt menſibus conſecratus & Mediolani ſedens Antiſtes ad Concilium Romæ habendum ab Hilaro eſt evocatus cum aliis XLVII. Epiſcopis. Celebratum illud (82) legimus in Baſilica S. Mariæ, præſide ipſo Hilaro Papa, die XVII. Novembris, Coſſ. Flavio Baſilico & Hermenerico. Quis autem dubitet,

(81) In *Exegeſi* cit., ubi de *Euſebio* p. LXIII. col. 1. 1060. cit.

(82) *Concil.* T. IV. col.

bitet, Benignum noſtrum Synodo illi adfuiſſe, quum ex hujus Actis conſtet, ſediſſe in ea *SS. Mediolanenſis Provinciæ* Epiſcopum, & ex Ennodio habeamus, Benignum interfuiſſe Concilio? Nam ſi præſens Romanæ Synodo fuiſſet ſive deceſſor Geruntius, ſive prædeceſſor Euſebius, cur alterutrum ex his non laudavit Ennodius ea de cauſa, ob quam Benignum laudavit? Quo autem dignitatis gradu in eo ſederit Benignus, audiamus ex ipſomet Ennodio (83).

Ante Patres cenſens ſedit, plaudente Senatu,
Prælatum cunctis extulit Ille caput.

Quæ quidem verba in hunc ſenſum mihi videntur accipienda, ut Benignus primas inter ceteros ab Hilaro Papa partes ſuſtineret, & primus ſententiam a Pontifice rogaretur. Nimirum hoc poſtulabat etiam Metropolitani Italiæ dignitas; neque aliter indicant ipſius Acta Concilii, quæ (84) Sedis priorem locum Maximo Taurinati utpote ſeniori concedunt; non tamen (85) honorem ſuffragii ante alios ferendi denegant Epiſcopo Mediolanenſi. Romæ (86) moram noſter Epiſcopus certe protraxit uſque ad diem XXX. Decembris hujus anni, quo finis impoſitus fuit Romano Concilio, unde Mediolanum poſtea redux, impendentes Occidentali Imperio calamitates non animo dumtaxat ominatus eſt, ſed oculis etiam ſuis uſurpavit; quarum quidem calamitatum quidquid nos attinet mox perſequemur.

(83) *Epigr.* 86. ap. Sirmond. Opp. T. 1. cit. col. 1881. (84) Vide *Concil. Rom.* cit. T. 4. col. 1060. B. (85) Vide Notas Binii ibid. col. 1065. nota *c.* (86) Id probat Binius in ſuis animadverſionibus ad idem *Concilium* col. 1065. A. ex *Epiſtola* II. *Hilari Papæ ad Tarraconenſes Epiſcopos* (col. 1036. E.) data III. Kal. Jan. Baſilico & Hermenerico CSS., ideſt 29. Decembr. ejuſd. an. 465.

CAPUT QUINTUM.

Severus Occid. Aug. veneno extinguitur. Rom. Imperii vices ſub Ricimeris tyrannide. Anthemius Severo ſuccedit.

Ricimer itaque, nequiſſimum illud proditionis ac perfidiæ monſtrum, qui Avitum Occid. Aug. jam antea e ſolio detruſerat, & nedum purpura, ſed vita etiam Majorianum Aviti ſucceſſorem exſpoliaverat, Severum tandem, cui Tyrannus ultro Imperii inſignia detulerat, veneno, ut Caſſiodorius (1) teſtatur, propinato die XV. ſextilis menſis anni hujus CDLXV. extinxit. Quamobrem ſine Gubernatore Romanum fluctuabat Imperium, niſi illius Navarchum dicere velimus Ricimerem ipſum, qui pro poteſtate ſua cuncta adminiſtrans tyrannice, Auguſti jura, nomine tantum abſtinens, occupaverat. Suis ille artibus modo Romanos, modo Leonem Orientis Imperatorem fallens, atque utriuſque Militiæ Dux, cunctorum Arbiter & Dominus, nutu ſuo Italiam non gubernabat, ſed immoderato imperio, & armatorum terrore coercebat adeo, ut diuturna obedientia ad ſervitutem eruditi Romani imponi ſibi jugum non recuſarent. Hi tandem frœnum eluctati, ac

*A.CDLXVII. miſſa ad Leonem, * Puſæo & Io. Coſſ., legatione novum ſibi Auguſtum ab Eodem poſtulantes, poſt octodecim ferme menſium interregnum impetravere Anthemium, Galatam quidem genere, ſed nobilitate ſtirpis illuſtrem, & meritis clarum, imo bellica virtute commendatiſſimum, Marciani olim Auguſti Generum; qui cum copiis in Italiam navigans, demum non longe ab Urbe Roma Auguſtus magno cum gaudio eſt ſalutatus hoc anno CDLXVII. prid.

(1) In *Chron.* p. 394. col. 2. poſt med. *His Coſſ.* (Herminirico & Baſiliſco) *ut dicitur, Ricimeris fraude Severus Romæ in Palatio veneno peremptus.*

Digitized by Google

Id. Apr. Verumtamen interregni diuturni tempore inſanabilia ferme Gallicis Romanorum Provinciis inflicta vulnera. Nam Saxones & Franci Rhenum tranſgreſſi Romani inter ſe Imperii ſpolia diviſerant; cujus imo Imperii regnante Eurico Wiſigothorum in Hiſpania Rege reliquiæ ſenſim dilabebantur: ex adverſo, veteri ferocia nunquam depoſita Genſericus Vandalorum Rex in Tyrrheni oras maritimas & Siciliam infeſta claſſe ex Africa graſſabatur. Conjunctis ſtudiis mederi tot malis Leo & Anthemius conabantur. Verum Ricimer callide diſſimulans moleſtiam ſuam ex utriuſque Auguſti fœdere contractam, ſimulat (2) ſe velle ſuis nuptiis initam ab iis ſocietatem corroborare, &, Arianus licet, Anthemii Filiam ſibi matrimonio jungit, ſuam apud utrumque veluti fidem probaturus. Sic firmata in ſpeciem inter Auguſtos & Ricimerem amicitia, quieſcere aliquantulum videbatur Reſpublica, quamvis, teſte poſtmodum (3) Gelaſio Pontifice, clandeſtinum in Religionem catholicam bellum commoveretur.

Bellum contra Cath. Relig. Benigni Antiſt. noſtri laudes. Criſpinus Ticinenſ. Epiſc., obitus ſui præſcius, Mediolanum venit., ubi votum ſuum de Epiphanio ſibi ſucceſſore eligendo exponit

II. Etenim Roma tunc temporis plura Ethnicæ ſuperſtitionis retinebat veſtigia ac monumenta, utpote palam vigentibus etiamnum Lupercalibus. Neque minus angi animo debebat Hilarus Pontifex, quum in Anthemii comitatu, inque magno honoris gradu eſſet *Philotheus*, qui (4) Macedonianæ hæreſeos labe infectus clanculum in privatis ædibus contra Spiritum Sanctum eructare virus ſuum non verebatur. Cui malo, ne ultra ſerperet, Sacerdotale pectus Hilarus Pontifex ita obtulit, ut interpoſitis apud Anthemium ipſum officiis, id impetraverit, ne perniciosus error diſſeminaretur. Roma tamen, ſive Arce ipſa Religionis, periclitante,

(2) Sidonius in *Panegyrico Anthemii*, ap. Baron. initio anni 467. ſic:
„ Sit ſocer Auguſtus genero Ricimere beatus

(3) *Adverſus Andromachum*. In *Concil.* T. IV. col. 1238. C. (4) Gelaſius Papa, *Epiſt.* 13., *Concil.* T. IV. cit. col. 1203. C., Baron. ad ann. 467. n. III.

pacata & omni periculi metu libera ſub Benigno Antiſtite Liguria quieſcebat. Innata atque ſanguini veluti inſperſa benignitate ornatus Paſtor lenitatem vultu æque ac nomine præferebat; ad quam non ſolum virtute formatus, ſed natura factus videbatur. Lenitatis pediſequa miſeratio pauperes ſublevabat, & effuſa beneficentia præteritarum calamitatum memoriam abſtergebat. Hinc, quum nullum ab ſe triſtem dimitteret, vere de eo ſcripſit Ennodius (5).

Quem quiſquis vocitat, teſtis erit meriti.

Quippe ornatus præſertim aurea morum ſuavitate, ſermone blandus, geſtu compoſitus, acceſſu facilis, in reprehendendo lenis, remiſſo amabilis ſupercilio, ſereno vultu conſpicuus, & ſemper ſibi ſimilis, ita omnium demulcebat & obſtringebat animos, ut iratos patientia flecteret, errantes amore complecteretur & vinceret. Sedente Benigno, vidua gemebat Ticinenſis Eccleſia ex S. Criſpini Epiſcopi (6) interitu, quem ſuperius (7) vidimus ab Euſebio ejus Metropolitano evocatum ad Synodum Mediolanenſem contra Eutychianam hæreſim congregatam. Præſcius (8) divinitus impendentis fati Criſpinus, Eccleſiæ ſuæ conſulturus, quum Epiphanium Diaconum & alumnum ſuum prævideret illis temporibus opportuniſſimum Succeſſorem fore, occupaturus judicium Honoratorum Virorum, ſive Nobilium Mediolani ſuæ Metropolis, quo

(5) Epigr. 86. col. 1881. (6) Ughell. *Ital. Sacra* T. 1. col. 1079. refert ejus obitum ad ann. 366. 13. Julii. (7) Cap. IV. Sect. V. p. 93. (8) Ennod. in *Vita B. Epiphanii Epiſc. Ticinenſ.* ap. Sirmond. Opp. T. 1. col. 1656. ſic habet: *Circa finem tamen vitæ, quem ſpiritu prævidebat ſanctus Antiſtes* (Criſpinus) *Mediolanum vicinam expetiit Civitatem, ubi Nobilium germina meſſe quadam mundæ ingenuitatis excreverant. Quas viſitationis gratia requiſitas talibus Vir Dei ſermonibus appellavit: Ecce, filii, jam me ætas compellit ad tranſitum .... Commendo Civitatem, commendo Eccleſiam, commendo Hunc* (Epiphanium) *cujus labori, & gratiæ debeo, quod uſque ad hoc tempus vixi & grandævus & debilis, Corporea ſoliditas, & virtus animæ imbecillitatem meam portavit ſine faſtidio: cujus ambulavi pedibus, tenui aliquid manibus, vidi oculis, ordinavi ſermone: duo videbamur intuentibus, cum unus per concordiam fieret ex duobus. Hæc Ruſtico illuſtri Viro dicta penitus inſederunt &c.*

facilius & ſine obice in Epiphanium caderet Ticinenſis Infula, hanc Urbem venit. Ibi optimus Senior, Primorum ac Illuſtrium civium habito conventu coram Ruſtico, ſive Ruſticio, qui (9) cum Olybrio triennio ante Conſul fuerat, &, ut reor, tum erat Prætorio Italiæ Præfectus, votum ſuum de Succeſſore eligendo expoſuit, apèrte deſignans, quem ſibi præoptaret. Nam & Epiphanii virtutes in propatulo ponens, & avertens oratione ſua præjudicium ætatis, id evicit, ut altius Ruſtici, & Adſtantium animis tum ſuum ipſius deſiderium, cum Epiphanii merita inhærerent. In hoc Nobilium Mediolanenſium conſeſſu quis dubitet interfuiſſe Benignum, ad quem utpote Metropolitanum (*) eligendi Succeſſoris approbatio maxime ſpectabat.

Criſpini obitus. Benignus Epiphanium Criſpini ſucceſſorem in Urbe Mediol. conſecrat. De Metropolitæ Mediol. jure in Ticin Epiſcopi Conſecratione.

III. Reapſe Criſpini votum non feſellit eventus. Nimirum vix ad Sedem ſuam reverſus optimus Antiſtes & morbo correptus ac languore pertinaci abſumptus vitam finiit (10) atque æterna felicitate commutavit. Quum itaque, Criſpino depoſito, Ticinenſium ſtudia pro Succeſſore deſignando fervérent, converſis in Epiphanium civium oculis animiſque, ejuſdem (11) electioni una voce aſſenſi ſunt univerſi. Quorum ſuffragiis ocyus Mediolani declaratis atque approbatis, ad Metropolim rapitur Conſecrationis munus ſuſcepturus. Sed præſtat hoc loco, me non Hiſtoricum agere, ſed Ennodium, Ticinenſem poſtea Epiſcopum, loquentem inducere, qui in *Vita B. Epiphanii Epiſcopi* (quod Opus Ennodii *maximum* & *optimum* appellat (12) Sirmondus) totam rei ſeriem limatiore,

---

(9) Vide notam Sirmondi ibidem. (*) Nonnihil obiter de Metrop. Mediol. dignitate ac jure vide ſup. p. 5. & 44. & ibid. nota (*) & p. 126. & al. (10) Ennod. col 1656. cit. *Ticinum, quaſi ad ſepulcrum feſtinans regreſſus eſt, qui aliquantis diebus emenſis morbo Regio perfuſus lucem ſæculi noſtri ſuperna habitatione commutavit.* (11) De anno electionis Epiphanii 467. vide Sirmond. ibid. col. 1692. nota *a* & *Carminum* Lib. I. num. IX. col. 1819. nota *a*. (12) Ibid. col. 1647. nota *b*.

quam alias, ſtilo & inflatis tibiis exponit. *Rapitur* (13) *a lamentatione funebri in gaudium populi conſecrandus Antiſtes. Flebat iſte intemperanter dolore mortis paternæ, cui reddi debitas aliquas lacrymas promiſcuæ multitudinis lætitia non ſinebat. Reſiſtebat in quantum poterat, & indignum ſe iam Apoſtolica imitatione clamitabat; ſed tantum magis ſurgebat in eo dilectio cunctorum, quantum in multitudine magna ſolus erat, qui ſe vocitaret indignum. Nunc quid pluribus utar, qui omnia explicare non valeo? Finitimarum civitatum iunguntur ſtudia, & attrahitur tanta collectio, ac ſi initiandus eſſet totius Orbis Epiſcopus. Ducitur Mediolanum adhuc reluctans, & magna, ſi dimitteretur, munera promittens, qui, ut fieret, noluit ſpondere vel minima. Conſecratur cum omni celebritate cunctorum. Exſultabat Mundus de tam ſanctæ ordinationis inſignibus. Extranearum habitatores urbium tanto ſe tripudio iactabant, quaſi ipſis proprie profuturus Infulas Sacerdotales exceperit. Aliquos tamen magnarum Urbium incolas edax conſumebat invidia, quod tantum oppidi Ticinenſis anguſtia habere meruiſſet Antiſtitem, cum apud ipſos ſola Pontifices Metropolitanæ iactantiæ vocabula tuerentur* (*). *Exacto ergo Dedicationis ſuæ die Ticinum rediit* &c. Multa hoc loco nos docet Ennodius; nimirum Conſecrationem Ticinenſis Epiſcopi ad jus Mediolanenſis Metropolitæ pertinuiſſe ea ætate, cum veluti de more perductum huc Epiphanium, ibique

(13) Ibid. col. 1656. ſub finem. (*) Oratoria magis, quam vera hæc Ennodii ſententia. Tres ea ætate Metropolitani in Italica Diœceſi numerabantur, *Mediolanenſis*, *Aquilejenſis*, & *Ravennas*. De Benigno *Mediolanenſi* abeſt ſuſpicio, quum videamus effuſas ejus laudes in ipſo Ennodio; neque illi, puto, id excidiſſet de Urbe noſtra, de qua tam præclare meritus; ubi certe a puero larem habuit, quin imo natalem ipſum, ut ſuſpicatur Sirmondus, & ubi jam Diaconus diu ſub Laurentio Epiſcopo militavit, ut nos infra Lib. II. Cap. II. Sect. VII. & ſeqq. validis conjecturis probabimus De *Aquilejenſi* & *Ravennate*, Sui viderint. Quanquam nec oratorie mihi videtur hoc dictum: omnis enim comparatio eſt odioſa.

Digitized by Google

inauguratum deſcribit; non autem fortuito id accidiſſe, ut cenſuit (14) Capſonus: item quo rerum ſtatu tum eſſet Urbs Ticinenſis: demum alios per id temporis in Italia fuiſſe Metropolitas, quos ſuo loco (15) demonſtravimus, ſcilicet etiam Aquilejenſem, ac Ravennatem. Neque diſſimulare videtur idem Scriptor, quantum momenti Nobilium Metropolis conſenſus afferret pro obtinenda, ſive facienda ſuffraganeorum Antiſtitum electione. Certe Benigno noſtro gloriæ & laudi verti poteſt tanti Epiſcopi electio & conſecratio, qui & paulo poſt mitigare ad tempus Ricimeris perfidiam & furorem valuit, & pluribus legationibus Theuderici Regis nomine functus maximas Eccleſiæ atque etiam Italiæ attulit utilitates.

Aſparis in Oriente & Ricimeris in Occidente contra Augg. ſimultates. Aſpar juſſu Leonis Imp. interficitur. Mediol. Procerum & Benigni Ep. ad Ricimerem preces pro legatione pacis ad Anthemium.

IV. Verumtamen Provinciæ ſtatus ſic optime compoſitus publicis unice calamitatibus laborabat. Difficillima enim ea ætate erant tum Orientis, cum Occidentis tempora. Illic quum Leo regnaret, hic Anthemius, optimus uterque Auguſtus, miſerabiliter tamen ſuorum Ducum inſidiis ambo circumventi Imperium moderabantur. Conſentiebant ad reprimendas crebras Genſerici incurſiones; ſed utrinque Ducum ſuorum fraudes & conſilia obſiſtebant. In Oriente Aſpar is erat, qui in Occidente Ricimer, ſcilicet utriuſque Militiæ Duces; qui, quum ſtipendiarios haberent Barbaros, ex quibus eorum conflabatur exercitus, piiſſimos Impp. contra Genſericum non clanculum dumtaxat, ſed manifeſte ac palam eludebant. Ariana etenim hæreſi ambo Duces infecti ruinam Ariani Genſerici reformidabant. Leo tamen, prudentius electo maritimarum copiarum Duce Baſiliſco Verinæ conjugis fratre, & Zenone electo genero, Aſparis poteſtatem ſenſim infringens; & opportuniora præſtolatus tempora ejuſdem Aſparis ac filiorum

(14) *Orig. e Privil. della Chieſa Paveſe* pag. xxvi. (15) Pag. 32. & ſeqq., 88. & ſeqq.

*An.CDLXXI. Conſtantinopoli repertorum imperata ac perpetrata cæde *, Orientem tandem ac ſe ipſum laqueis expedivit. Ex adverſo Anthemius infeliciter Ricimeris vim atque potentiam expertus, perduellis Ducis inſidias declinare non potuit. Etenim Ricimer mactati Aſparis exemplo edoctus, apertas (16) Anthemio Socero inimicitias denuncians, Mediolanum, ubi, veluti in Italiæ clauſtris, ſedebat, tanquam contra hoſtes Imperii intentus, belli civilis terrore complet. Quum, inquam, Ricimer Anthemium dignitate majorem ferre non poſſet, atque Anthemius ſibi parem eſſe Ricimerem dedignaretur; mutua inter utrumque efferbuere diſſidia; & Gener contra Auguſtum Socerum armatus palam videbatur, contracta copiarum multitudine arma nefarie in Anthemium diſtricturus. Mediolanenſem Nobilitatem futuri belli ingens metus perculit: tota jam Urbe trepidabatur: illico Procerum Urbis, quos inter Benignum adnumerare fas eſt, in tanto omnium periculo fit ad Ricimerem concurſus non ſine matronarum gemitu, & virginum lacrymis. Inter publicos ejulatus, & plebis complorationem Primores obteſtari Ducem, ne privatas ſimultates communi ſaluti anteferret; rogare, ut ſanioribus conſiliis locum daret priuſquam ad arma decurreret; obſecrare per fidem Auguſto datam, per dexteram illam, quam Anthemii Filiæ deſponderat, amicitiæ obſidem ac pignus, ut bello ac armis abſtineret; proponere ante oculos, fœdam ac deteſtandam fore cruentam de Socero victoriam; tutius atque honeſtius poſſe colloquio aut legatione diſſidia dirimi, componi pacem, Reipublicæ, & ſatis jam periclitanti Imperio provideri, quin ulterius labefactatum in ruinam propellatur.

V. Hæc

(16) Hæc omnia fuſe deſcribit Ennodius in *Vita B. Epiphanii* ap. Sirmond. cit. col. 1659. & ſeqq.

Digitized by Google

Prima Epiphanii legatio, a Ricimere ſcilicet ad Anthemium. Ricimer Romam depopulatur. Anthemium purpura ſpoliatum occidi jubet. OlybriumAug. declarat.

V. Hæc quum dicta a Primoribus forent, prono in terram vultu, & in genua Ricimeris advoluti lacrymis inflectere Tyranni animum validius conabantur. Tum compoſito ad lenitatem ore fraudulento cives rogavit Dux, quem ſibi pacis ſequeſtrem, aut pacis ineundæ legatum offerrent. Epiphanium (17) illico uno ore deſignant univerſi, Ticiuenſem ſcilicet Epiſcopum, fama notum etiam Ricimeri, Mediolanenſibus vero notiſſimum, cujus ſanctitatem & facundiam paucis ante annis, quum ibi inauguraretur, fuerant admirati. Non recuſavit mitiſſimus & miſericors Antiſtes onus ſibi legationis impoſitum, & tanto Reipublicæ periculo præſto eſſe. Quumque magnis itineribus Romam ad Anthemium contendiſſet, facilem & propenſum in vota habuit Imperatorem adeo, ut Ticinum ad Paſchalem Solemnitatem reverſus Paſtor proſpera omnia Italiæ denunciaret ab Anthemio, & redditam inter Generum & Socerum pacem univerſi gratularentur. Verumtamen * inſequens annus ſopita quidem odia, non autem penitus extincta nunciavit. Inſtauratis enim obtentu pacis viribus perfidus Patricius, quum ſe ferocius ad bellum ſine ulla Anthemii ſuſpicione comparaſſet, repente novas inimicitiæ cauſas commentus, violata pace, & fidei datæ oblitus, appetente vere ejuſdem anni citatis copiis improviſo Romanum in agrum excurrens, caſtris ad Anienem poſitis, Romæ ipſius agro minitabundus inſedit, & obſidionem acrius urgens Auguſtum civeſque ad ſummam deſperationem adduxit. Noverat Barbarus averſos ab Anthemio, utpote a Græcorum Imperatore Quiritibus dato Auguſto, Romanorum animos & dubiam in

*A.CDLXXII.

(17) De hujus Epiphanii legationis tempore conſule Murator. *Annal.* ad h. ann. 471. Vide & Tillem. T. 16. p. 483. Sirmondus vero rejicit ad ann. 468. vide Opp. T. 1. col. 1660. nota *a*.

eum fidem: quare veluti ſignum elaturus civibus ad defectionem Ricimer militari, qua pollebat, auctoritate, & ſuæ nunquam oblitus audaciæ, qua Auguſtos Purpura induere æque, ac ſpoliare conſueverat, Anthemium militibus omni Imperii jure excidiſſe denuntiat, eodemque tempore Exconſulem Olybrium ex nobiliſſima Aniciorum Familia Ricimeri gratiſſima natum, & Placidiæ, minoris Valentiniani III. filiæ, maritum, purpura digniſſimum, Auguſtum, militum concione advocata, deſignat atque pronunciat; hac ratione Romanorum fidem labefactaturus, neque Leonis Imperatoris incurſurus offenſionem. Interim obſeſſo Auguſto in ordinem redacto, quatere arietibus muros validius inſtitit, & bello pejorem famem, interceptis commeatibus, civibus intentare. Imparati igitur Romani utrinque oppreſſi, adhuc invicti præter Tyranni exſpectationem obſtitere. Certa quippe ſpes eos ſuſtentabat ſuperventuri a Galliarum Præfecto auxilii (*Bilimeris* huic erat nomen) qui reapſe feſtinato agmine tranſcenſis Alpibus Liguriam & Thuſciam emenſus, quum tandem ad Romana mœnia conſtitiſſet, protinus commiſſo ad Ælium Pontem prælio cæſus occubuit, copiis etiam magna internecione deletis. Quapropter tot malis tandem victi, & ſpe omni depulſi Romani iratum victorem intra mœnia excepere, qui jura ſanguinis conculcans & conſueti furoris impetum in Socerum effundens, primum omnium Anthemii cæde imperata atque perfecta, mox avidos prædæ milites laxavit in Urbis depopulationem, direptionemque civicarum opum, Baſilicis ipſis non exceptis, quibus Alaricus pepercerat, & a quibus Attila non manus dumtaxat, ſed etiam oculos abſtinuerat. Sic verſa vice, quum Leo Orientem Aſparis Patricii cæde a ſervitute liberaſſet, in Occidente Ricimer Patricius Romanam libertatem, Auguſti ipſius præcepta nece, oppreſſit.

Digitized by Google

Ricimeris Tyranni, Olybrii Occid. Aug., & Benigni Med. Epiſc. obitus.

VI. Hæc pluſquam crudeliter Romæ acta ab utriuſque Romanæ Militiæ Duce ac Patricio Ricimere Augusti genero die XI. Quinctilis hujus anni CDLXXII. Et paulo poſt, die ſcilicet XVIII. Sextilis, tot malorum auctor Ricimer inter moleſtiſſimi morbi acerbiſſimos cruciatus impiam animam exhalavit atque Romanam Urbem diuturna tyrannide exemit, ut adnotavit Chronographus (18) a Cuſpiniano editus. Quæ Romanorum pars ſuperſtes famem ac ferrum evaſerat, reſpiratura aliquantulum ac liberius jam credebatur, Auguſto Anicio Olybrio, Romano genere nato, & Auguſtæ Placidiæ marito. Attamen in ipſo gaudii limine Quirites turbavit *Gundibalus* Ricimeris nepos, ab novo Imperatore Patricius ſtatim electus; quum hic injucundam patrui memoriam in eorum animis renovaret, & Quiritibus indignum videretur ab Olybrio pro accepta Purpura veluti gratias Tyranno defuncto referri. Maxime autem communem oneravit dolorem Auguſti ipſius Olybrii mors, quæ conceptas de Illo ſpes atque exſpectationem repente intercepit. Romanum Ejus genus, Stirpis dignitas, Nuptiæ Auguſtæ, & Purpura recenter delata Occidentis totius vota erexerant; conjectique in Hunc omnium oculi aſſertorem libertatis, & Barbarorum jugi vindicem fore ominabantur: cum ecce XXIII. Octobris fatali die omnia Populorum gaudia in veterem luctum & lacrymas reciderunt. Qui Romanorum ſenſus de Olybrii morte fuit, idem erat plane Mediolanenſium dolor & luctus, qui tamen eo ſtatim acerbior fuit, quo triſtius & celerius, ſiccis nondum Imperatoris morte oculis, novas ab iis lacrymas inexſpectata ſanctiſſimi Paſtoris Benigni mors expreſſit, qui adhuc incompleto Pontificatus

(18) Ap. Pag. in nota IV. ad Baron. an. 472. & Baron. ipſum n. IX. Vide & Caſſiodor. in *Chron.*, Opp. T. 1. p. 394. col. 2. Ed. Rotomagi 1679. *Hiſt. Miſcell.* p. 99. col. 1. B.

Digitized by Google

anno VIII.°, ut *Catalogi* (19) conſentiunt, orbam Eccleſiam & ſine Gubernatore reliquit, ad Deum, unde venerat, regreſſurus. Hinc de illius morte jure optimo cecinit Ennodius (20)

Spes, decus, & genius de foribus cecidit.

Poſita enim erat Eccleſia noſtra in quodam veluti tranquillitatis limine, duriſſimo ſcilicet Ricimeris jugo liberata, qui alias ex aliis cum Auguſtis contentiones ferebat; dumque affulgere ſibi ſub Olybrio aliquam felicitatis lucem ſperabat, ſedente ad clavum præſertim Moderatore Benigno, intra menſis unius ſpatium utrumque amiſerat. Civium omnium lacrymis & ingenti mœrore parentatum Sancto Antiſtiti fuit, delatæque mortales ejus exuviæ ac depoſitæ die XXII. Novembris in S. Simpliciani Baſilica, ibique poſterorum veneratione ſemper eximio in cultu habitæ; quamvis hujus Sancti commemoratio in vetuſtis Calendariis MSS. & hodienum ad diem XX. celebretur.

Senator Benigno ſuccedit. Ejus merita, & res in Pontificatu geſtæ, ex Ennodio.

VII. Habitis rite poſt Benigni deceſſum Cleri Nobiliumque comitiis datus ei Succeſſor inſignis Presbyter Eccleſiæ noſtræ *Senator*, olim, duobus ſcilicet ſupra viginti ante annis, S. Leoni Pontifici Romano probatiſſimus; quum Illius opera in legatione Conſtantinopolitana ſimul cum Epiſcopo Comenſi *Abundantio* uſus eſſet pro catholicæ Fidei profeſſione ab ejus Urbis Epiſcopo Anatolio referenda, uti (21) ſuperius innuimus. Singulari etiam Pontificio præconio Ille fuerat in litteris ornatus, quas ea de cauſa Leo ipſe ad Theodoſium & Pulcheriam Augg. per eundem obtulerat. Magnifi-

(19) In *Catal.* noſtro ſæpe cit., & al. ap. Murator. R. *I. Scr.* T. 1. P. 2. p. 229. ſic: *Benignus ſedit annos VIII. Depoſ.* X. *Kal. Dec. ad Sanctum Simpl.* In alio vero, ibid. T. 4. p. 141. *Ob. V. Kal. Decemb.*, ex errato fortaſſe Amanuenſium. (20) *Epigr.* 86. col. 1881. cit. (21) V. *Epiſt.* 69. 70. 71. de quibus ſup. p. 92. nota (14).

ce & Ennodius ſenſit de hoc Senatoris noſtri ſuſcepto munere, dum in Epigrammate de Ejus laudibus concinnato ſic (22) caneret:

Orbis ad extremi miſſus ſecreta verendis
Curavit ſtudiis, quod fuerat lacerum.
Tunc Oriens victum peregrino lumine faſſus,
Hæſit ad aſpectum lampadis alterius.

Scilicet Eutychianorum errores ea in legatione detegens in ſui admirationem totum Orientem pertraxit. Sero nimium fortaſſe quis credet tanto Viro Ambroſianæ Cathedræ honorem delatum; verumtamen, mea ſententia, hoc gemini Deceſſoris Geruntii & Benigni majori commendationi vertitur, atque uberiori Eccleſiæ noſtræ laudi, quod tot egregiis Viris ea ætate floreret, qui in Ambroſianæ Sedis honore Pontificio etiam legato anteferri poſſe crederentur. Delatam itaque ſibi dignitatem neque optavit, neque recuſavit novus Antiſtes alieni magis meriti æſtimator, quam ſui; quod ipſum ſuæ virtutis certum præferebat indicium atque præclarum teſtimonium. Quanquam ampliora alia Paſtoralem Illius virtutem ornabant adminicula. Sic enim de Ipſo præfatus eſt Ennodius:

Ingenium velox, ſermonis (*) *cura rotundi,*
Virtutum pretium, forma pudicitiæ.

Mira, ſcilicet in Senatore inerat ingenii acies, qua celeriter profunda quæque aſſequeretur: efficax in dicendo vis ſermonis: verborum ordo ſonorus, & elegantia diſpoſitionis aures permulcens, adeo Illius eloquentiæ pondus & gratiam adjungebant, ut, quod olim de claris Oratoribus dictum legimus, ex ore Ipſius melle dulcior flueret oratio, imo interdum fulgurare ac tonare aliquoties videretur. Etenim facundiæ Senatoris noſtri vim quamdam ac majeſtatem

---

(22) *Epigr.* 97. inſcript. *De Beatiſſimo Viro Senatore Epiſcopo*, col. 1881. cit. (*) Relege, quæ nos animadvertimus ſup. p. 43. nota (*).

addebat præconcepta *virtutis* ſuæ opinio, ſancti mores ac caſtigatiſſimi, ut geſtu & habitu ſanctimoniam ſpiraret, & toto, ut ita dicam, corpore expreſſam *pudicitiæ* imaginem præ ſe ferret. Paſtorales vero Illius virtutes gemina quidem ſententia complexus eſt Ennodius; ſed quum multiplices fuiſſe affirmet, certe univerſas in Eo mirum in modum adfuiſſe teſtatus eſt, quæ Antiſtitem decerent numeris omnibus abſolutiſſimum. Una in Ejus Pontificatu deſiderata eſt temporum & publicæ tranquillitatis felicitas. Etenim labante jam & prona in ruinam mole Romani in Occidente Imperii, Africa amiſſa, Hiſpania Gothis Regibus conceſſa, Illyrici parte detracta, Gallis undique dilaceratis, una reſtabat Italia Barbaris patens atque expoſita, inteſtinis inſuper factionibus convulſa, & defenſoribus etiam ſuis, Militiæ ſcilicet Ducibus, ſæpius ad prædam propoſita, ut nuper Ricimeris furore acciderat.

Glycerius Rom. Imperium invadit. Ob illatam ab aliquibus Auguſti Matri injuriam S. Epiphanius veniam ab eodem deprecatur.

VIII. Ricimere itaque atque Auguſto Olybrio extinctis, Glycerius nullius famæ & nominis homo, Leone Imperatore & Senatu Romano in Succeſſore eligendo cunctantibus, Relp. Romanæ Imperium ſibi vindicans, Ravennæ Palatio occupato, Auguſti dignitatem & fines invadit III. Non. Majas, ſexto poſt Olybrii mortem menſe elapſo. Non deſunt, qui ſcribant, illum favore Militiæ ad Purpuram evectum, & *Gundibali* præſertim, qui Patricii Ricimeris ſecutus veſtigia, cuncta pro arbitrio adminiſtrabat. Perculit inexſpectata Glycerii electio aliquos in Liguria incolas, qui, quum paulo antea Glycerii matrem, privatæ conditionis feminam injuriis ac contumeliis affeciſſent, filio renuntiato Auguſto, repente metu exanimati, ſe læſæ Majeſtatis reos intelligentes, ad S. Epiphanii Epiſcopi patrocinium (23) confugerunt. Recepit in

(23) Ennod. in *Vita B. Epiph.* cit. col. 1665.

ſe amantiſſimus & miſericors Antiſtes veniæ illius impetrandæ onus; & benigne ab Auguſto acceptus, quum multa præclare de remittendis injuriis apud Glycerium gravi verborum dignitate diſſeruiſſet, victus Pontificis ſermone Imperator reos metu ſtatim ac crimine liberavit, venia omnibus ſplendide conceſſa. * Initio Imperii ſui Widemirus Alpium Gallicarum oppoſitum a natura vallum reſcindens, ſuadente Theodemiro fratre, ut (24) Jordanes narrat, ſive inopia Suorum urgente, cum copiis Gothorum in Italiam penetraverat, ubi inimicum aerem nactus & morbo ultimo correptus diem clauſerat extremum. Patre mortuo, ſynonymus filius ulterius progredi, & bellum atque incendia Liguriæ inferre minitabatur. Caute ac prudenter illi Glycerius arma muneribus atque auro oblato excuſſit e manibus, pervicitque conſiliis ſuis, ut in Gallia cum affinibus ſuis Oſtrogothis conſociaret gladios, & liberam impendente clade Italiam relinqueret. Indignum quidem Romano nomine, ſed ſalubre admodum in eo Reip. ſtatu conſilium, cujus exemplum eomet anno etiam Orientis Imperator Leo vel dedit, vel imitatus eſt (difficile enim eſt ſtatuere, utrum prior Leo, an Glycerius Gothos auro exarmaverit; certum quippe habemus facti hujus annum CDLXXIII., non item diem) cum Gothos Thraciam vaſtantes offerens annuam auri ſummam ita delinivit, ut ab Hæmo copias ſtatim averterent. Etenim neceſſitas eo Leonem repente compulerat, quum proximum ſe morti præſentiens firmandæ Auguſtæ ſucceſſionis cura a bello avocaretur. Generum Zenonem habebat, qui ex Ariadna Leonis Filia ſuſceperat filium nomine item Avi nuncupatum. Hunc licet impuberem, Cæſarem

* Anno CDLXXIII. Widemiri cum Gothis in Italiam irruptio. Leo Or. Aug. Leonem II. nepotem ſuum moriens Imperatorem deſignat; qui cum Patre Zenone regnat.

(24) Iornandes, ſeu Iordanes, *De Rebus Geticis* Cap. 56. inſ. in *Rer. Ital. Scrip.* T. I. pag. 219.

atque hæredem Imperii deſignavit ſub matris tutela relictum. Sic conſtitutis Familiæ & Reip. rebus, * ineunte anno CDLXXIV. ſupremam quum obiiſſet diem, inauguratus eſt Orientis Imperator Leo Junior, qui ſive matris hortatu, ſive propter ætatis imbecillitatem conſortem Imperii Zenonem patrem declaravit.

* A. CDLXXIV.

Leo & Zeno Or. Augg., Glycerio in Occid. depoſito, Julium Nepot. purpura exornant. Bellum contra Euricum. Altera S. Epiphanii legatio, ſcilicet ad eundem Euricum. Hujus Ariani Regis in Catholicam Relig. perſecutio.

IX. Leo igitur ac Zeno in Orientali Solio Collegæ neglectam ægre ferentes a Leone Avo & Socero Occidentalis Imperii curam, & Glycerium impune Ravennæ dominantem, onerata copiis auxiliaribus claſſe, Julium Nepotem Marcellini olim Patricii filium Occidentis Imperatorem deſignant, qui ad Ravennatem Portum exſcenſione cum exercitu facta ipſam, Imperii Sedem primo impetu capiens, & feſtinato itinere Romam contendens, felici conatu fugientem Glycerium cepit, captumque ſacris Ordinibus initiari juſſit Purpura exutum & Solio exturbatum. Hinc inauguratus Romæ a Senatu Auguſtus Nepos rite renuntiatur die XXIV. Junii, qui tamen Imperium a clementia auſpicatus æmulum ſuum Glycerium curavit (25) Epiſcopali Sede Salonitana in Dalmatia tum forte vacua ornandum. Deinde ad Galliarum neceſſitatem ac pericula intendens animum, Ecdicium Aviti olim Auguſti Filium Romanæ Militiæ Ducem creavit, ut ejus bellica virtute Eurici Oſtrogothorum Regis Toloſæ dominantis furorem infringeret, atque arma ab ea Provincia repelleret. Admoverat ſiquidem Claromontanæ Arvernorum Urbi, Romanæ ditionis, arietes & bellica tormenta Rex ille amplificandi Regni cupidiſſimus. Ex adverſo Ecdicius in fide conſtantiſſimus fortiſſime ſuſtinebat Barbari impetus, & providus in omnem partem obſeſſorum fidem & patientiam virtute ſuſten-

(25) *Hiſt. Miſcella* p. 99. col. 1. C. vide & pag. 101. col. 1. C.

Digitized by Google

ſuſtentabat, & obſidentium impatientiam torquebat. Interea furentis Oſtrogothi Regis animum tentabat legatus ad eum a Nepote miſſus Licinianus, ut ad pacis conſilia reduceret. Hoc tamen cum triſti reſponſione dimiſſo, nova ab Auguſto per Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum legatio (*) deſtinatur, ut ab armis abſtineret. Felicius porro hac legatione uſus eſt Sanctus Antiſtes, qui auctoritate ac dignitate Regem permovit, ut vetuſtum cum Romanis fœdus renovaret quidem; ſed ut Claromontanæ Urbis obſidionem ſolveret, æque impetrare non potuit. Atque hunc fuiſſe legationis exitum, docuit ipſe Ecdicius Romanorum Dux, qui etiam * anno inſequente, tolerata obſidione poſt Epiphanii diſceſſum, tandem in tutum copiis reductis, incolas compulit voluntaria deditione Urbem Regis poteſtati (26) permittere. Quæ quidem deditio nedum fines Gothorum in Romanam ditionem promovit; ſed in catholicam Religionem belli claſſicum cecinit. Siquidem odium Regi Ariano inſitum in Chriſti cultores eo furoris victorem im- *A. CDLXXV.

S

(*) Obſervandum hoc loco, quod Epiphanius delectus eſt legatus ad Euricum in Concilio Mediolani habito Epiſcoporum & Primorum totius Liguriæ, quod congregaverat ibi Nepos Auguſtus, ut teſtatur Ennodius in *Vita B. Epiphanii* (col. 1665. & ſeq.) qui, licet ſuppreſſo loci nomine, indicat, eos in Urbe principe convenire potius debuiſſe: *Attigeret jam*, ſic ille inquit, *beatiſſimus Vir octavum in Sacerdotio annum, cum repente Nepotis animum ſummovendæ diſſenſionis amor infudit: ut, repulſo ſimultatis veneno, ſervaret inter Reges caritas, quod tueri arma vix poterant. Evocantur ad conſilium Liguriæ lumina, Viri maturitatis, quorum poſſit deliberatione labans Reip. ſtatus reviviſcere, & in antiquum columen ſoliditas deſperata reſtitui: tantique ad tractatum coire juſſu Principis, quanti poterant eſſe Rectores. Seritur de ordinanda legatione ſermo: in beatiſſimum Virum Epiphanium mentes omnium & oculi diriguntur; ſiunt cunctorum ſententiæ, quaſi unius & ore proferrentur & pectore*. Credendum igitur, *Senatorem* tum noſtrum Antiſtitem huic Concilio interfuiſſe circiter menſem Februarii anni 474.; quum dicat Ennodius, eo tempore Epiphanium attigiſſe *octavum* Pontificatus *annum*; & ipſe creatus ſit Epiſcopus ſtatim poſt Criſpini mortem, qui ex Martyrologio Romano deceſſit menſe Januario anni 467.
(26) Vide Murator. in *Annal.* ad ann. 474.

pulerat, ut Epiſcopos multaret exilio, vetitaque Clericorum ac Sacerdotum Ordinatione ultimam Fidei Chriſtianæ ſecurim infigeret, percuſſiſque Paſtoribus gregis oves diſſiparentur. Hinc illæ Sidonii Apollinaris (27) lacrymæ conquerentis, ſacras Ædes, cardinibus avulſis, profano uſui expoſitas, baſilicarum aditus virgultis vepribuſque obſitos, Aras ipſas a depaſcentibus belluis violatas.

Proni in ruinam Rom. Imperii viciſſitudines. Oreſtes Patricius in Nepotem Aug. armatus Ravenna & Imperio potitur. Romulum ejus filium Auguſtum renunciat.

X. Luctuoſum hunc in Galliis Eccleſiæ & Imperii ſtatum miſerabatur quidem Italia; ſed lacrymabili ſpectaculo pares ferme calamitates in ipſis Imperii viſceribus exhibebat. Ex quo uni Duci devota fuit militia, ſenſim in Romana Rep. jacta ſunt a L. Sylla & C. Julio Cæſare Imperii fundamenta. Sed, qua ætate Imperium ad ruinam vergebat, ipſi Militiæ Duces ejus fundamenta ſubruere toto impetu conabantur. Obſervavimus ſuperioribus annis tyrannicam Ricimeris & effrænatam impotentiam, qui Purpura Auguſtos impertiret & Solio exturbaret. Pari audacia ejus nepos Gundibalus Glycerium evexit, inſcio Leone Orientis Imperatore, Romanoque Senatu non aſſentiente. Pari fato, ineunte anno CDLXXV. vix Oreſtem Julius Nepos Auguſtus Patricium creaverat ac Militiæ Ducem pro Galliæ motibus compeſcendis; quum is pari perfidia traditam ſibi poteſtatem, & gladium adverſus hoſtes diſtringendum, in ipſius Auguſti perniciem & caput ſtatim convertit. Siquidem exercitum ſibi commiſſum, atque contra Gothos trans Alpes deſtinatum repente Ravennatis Urbis Re-

(27) Lib. 7. *Epiſt.* 6. ap. Sirm. Opp. T. 1. col. 1025. *Nulla in deſolatis cura Diœceſibus, Parochiiſque. Videas in Eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valvarum cardinibus avulſis, baſilicarum aditus hiſpidorum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa, proh dolor! videas armenta non modo ſemipatentibus jacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci. Sed jam nec per ruſticas ſolum ſolitudo Parochias: ipſa inſuper urbanarum Eccleſiarum conventicula rareſcunt. Quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando Clericalis non modo diſciplina, verum etiam memoria perit?* &c.

Digitized by Google

giæ mœnibus admovit, ibique imparatum Auguſtum tam arcta obſidione preſſit, ut deſperatis auxiliis ſatius duxerit clanculum noctu Ravennæ portu elabi & Salonam navigare; ubi feliciter e navi deſcendens, miro humanæ varietatis joco, exul Auguſtus Nepos apud Auguſtum item a Se depoſitum & tum Salonitanum Epiſcopum Glycerium apprime hoſpitium eſt nactus; deinde ibidem in patria Dalmatia reliquum vitæ felicior privatus, quam Imperator exegit. Oreſtes interim perfide Ravenna & Imperio potitus, maluit Militibus præeſſe, quam Romanis, quibus infeliciſſimo auſpicio Romulum filium ſuum, Auguſti titulo ornatum & Purpura, præfecit; ut ſcilicet, quemadmodum rerum eventus docuit, ſub altero Romulo e veteri dignitate excideret Roma, quæ a primo condita Romulo Imperii magnitudinem majeſtatemque ſortita fuerat Orbi terrarum parem.

In hoc miſerrimo Italiæ ſtatu quæ fuerint Senatoris Antiſt. noſtri cogitationes ac curæ. Ejus ſcripta deperdita.

XI. In hoc turbulentiſſimo Reip. ſtatu, & ſenſim collabentis Imperii inexſpectata & continenti viciſſitudine quales eſſent noſtri Senatoris Antiſtitis cogitationes ac curæ, Ennodius non tam in nomine Ipſius ludens, quam rem ipſam exprimens, videtur initio exponere. Tectam Ille ſcilicet ſartamque Paſtoralem dignitatem retinebat adeo, ut tutior, Eo ſedente, Ambroſii Cathedra, quam Romanum Solium videretur:

Qui vincit trabeas, ſolium, cinctumque Gabinum,
Conſulibus præſtans ecce Senator adeſt (28).

Habent porro *Sacerdotes*, ut de ſe ipſo loquebatur (29) Ambroſius, ſuam *nobilitatem Præfecturis & Conſulatibus præferendam, habent fidei dignitates, quæ perire non norunt*. Quare felicior Au-

(28) *Epigr.* 87. cit. col. 1881. cit.

(29) *Exhort. Virg.* c. 12. n. 82. Opp. T. 2. col. 299.

guſtis, duobus ſcilicet ejectis Glycerio & Nepote, imo & ipſo Romulo Romæ ſedente, totus in ſacrarum litterarum ſtudia abditus, & ſua ſemet virtute involvens elucubrabat Opus pulcherrimum, Gregi ſuo & poſteritati profuturum; niſi miſerrime illud nobis invidum fatum intercepiſſet. Porro Ennodius, qui illud legit (natus enim eſt hujus noſtri Antiſtitis Pontificatus initio, circa annum (30) ſcilicet CDLXXIII., & *Mediolani certe a puero larem habuit*, ut aſſerit Sirmondus (31) in ejus Vita) nobis teſtatum reliquit, datas ab Eo in lucem ſive in *Pſalmos* Enarrationes, qualiter Ambroſius & Auguſtinus fecere, ſive in aliquem ex Prophetis Commentaria, quæ myſteria Fidei noſtræ evolvebant pulcherrime, & abditiores ſententias mirifice explicabant:

Abdita Librorum myſteria clauſa Prophetæ
Qui dedit in lucem ſchemate, quo voluit (32).

Quæ verba interpretari placet in hunc ſenſum, quod ſcilicet, ſive *litteralem* verborum Prophetiæ ſenſum exponeret; ſive *allegoricum* potius confectaretur; aut *tropologicum*; aut *anagogicum*; quælibet congruenter numeroſa, qua pollebat, oratione complecteretur. In hoc nimirum ea ætate verſabantur Epiſcoporum curæ, ut diſerta ſacrarum litterarum explanatione gregem ſibi commiſſum alerent, & divino pabulo ſaginarent, prout in Homiliis Brixiani Epiſcopi Gaudentii videmus *Exodum* explicatum. Porro in eam ſententiam propenſius feror, ut credam, Davidicos a Senatore *Pſalmos* uberi ſermone evolutos, ut in ſacra & quotidiana Pſalmodia, cui ea ætate frequentior etiam Populus intererat, tam Cleri, quam plebis mentes in divina contemplanda myſteria efferrentur, quibus

(30) Vide ipſius Ennodii *Eucharisticum*, ap. Sirm. Opp. T. 1. col. 1706., & Nota *a* ibid.
(31) Ennodii Operibus præfixa T. 1. cit. (32) *Epigr.* 87. cit. col. 1891. cit.

Digitized by Google

divinus Regii Prophetæ Liber redundat. Oneravit ſane tot noſtræ Urbis per elapſa Sæcula calamitates egregii hujus Operis jactura; quod ſi ad nos uſque perveniſſet, elegantiam tanti Scriptoris, pondus ſententiarum, & *velocis ingenii*, quod Ennodius laudat, conatus adniraremur. Nam, quum ſummo in pretio Senatorem, ut diximus, S. Leo habuerit, profecto illius Antiſtitis noſtri lucubrationem amiſſam legentes, aut ipſius Leonis, aut Petri Chryſologi coævorum Oratorum Sermones auribus eleganter blandientes audire nobis videremur. Verumtamen periit malo fato Senatoris noſtri Opus, quod, quum, teſte Ennodio, editum in lucem eſſet, ideoque omnium manibus ſuo tempore tereretur, eo dolentius amiſimus, quo luculentius laudatum audimus.

S. Senatoris mors: ſupremæ ejus tabulæ. Theodorus I. illi ſuccedit. De integro hujus Præſulis Pontificatu Chronologia emendata.

XII. Inter haſce Antiſtite digniſſimas curas importuna mors Senatorem nobis eripuit, qui, quum integros nondum tres ſediſſet annos, exornatam ſuis ſcriptis Eccleſiam, Urbem autem novo a ſe ædificato Templo (*) *S. Euphemiæ* ſacro auctam ſummo cum omnium dolore reliquit, in qua etiam depoſitum fuiſſe IV. Kal. Junias teſtantur (33) *Catalogi*, Ambroſianus ſcilicet noſter, & Metropolitanus; quamvis Ejus natalis memoria die præcedenti celebretur. Paſtor autem ſanctiſſimus, quum mundum relinqueret, pauperes unice ſuos deſerere omnino non potuit, quos ſua præſentia & vita deſtitutos opibus adhuc ſuis, pecuniarum certa ſumma in eorum ſubſidium quotannis legata, ſuſtentandos curavit, & poſt mille & trecentos amplius annos hodie etiam alendos curat. Succeſſit igitur Senatoris extincti loco inauguratus, & in

(*) Huic Sanctæ V. & M. nuncupatam Eccleſiam ſuam fortaſſe voluit Senator, ut ſingularem erga eam cultum declararet, memoriamque ſervaret Chalcedonenſis Concilii in ſacra ejus Baſilica coacti.

(33) Ibid. *Senator ſed. an. III. Dep. IIII. Kal. Jun. ad S. Euſemiam*. In altero vero (*R. I. Scr.* T. 4.) *ſed. ann. III. m. VIII. dies XV.* &c.

Ambroſii Cathedra rite conſtitutus, patria Mediolanenſis Theodorus, *Virtutum omnium*, ut eum (34) Ennodius appellat, *Epiſcopus*, anno verius CDLXXV. Summa quidem Italicarum rerum perturbatio, quem ſane Antiſtitem poſtulabat, obtinuit, qui nec præſentibus frangi calamitatibus poſſet, nec futuris ſupervenientibus animum deſponderet. Video hoc loco bellum mihi a noſtrorum Epiſcoporum Chronologis indici in ea, quam nuper ſtatui, Theodori inaugurationis anni ſupputatione; quos breviter rogo, ut eum mihi nodum ſolvant, qui me in hos ineundos calculos impegit. Etenim video duo hæc mihi veriſſima occurrere, ſcilicet epochas, unam (35) Concilii Romani ſub Hilaro anno CDLXV., cui Benignus ex Ennodio interfuit, alteram (36) Laurentii I., qui Theodoro ſucceſſit, inaugurati Epiſcopi anno CDXC. Intermedio harum tempore tres omnino ſederunt Antiſtites, Benignus, qui ex *Catalogo* octo annos Eccleſiam noſtram rexit, atque, ut (37) vidimus, obiit ſub finem anni CDLXXII., Senator per triennium Antiſtes, defunctus anno CDLXXV.; Theodorus denique. Quidni igitur reliquos uſque ad Laurentii Conſecrationem annos Theodoro noſtro tribuamus? præſertim quum dicat Ennodius, Illum in afflictis ac deſperatis Italiæ rebus veluti quoddam ſidus affulſiſſe, de quibus nullam mentionem in Benigno & Senatore injecit. Protrahendi igitur in Theodoro Pontificatus anni, aut aperienda aliqua Interpontificii lacuna Scriptoribus noſtris hactenus ignota. Quanquam non deſunt etiam ex noſtratibus, qui meæ ſententiæ adſtipulentur, Auctores; Donatus enim Boſſius in ſuis (38) *Chro-*

(34) In tit. *Epigr.* 88. col. 1881. (35) V. ſup. p. 110. & 120. (36) Infra Lib. II. Cap. I. Sect. V. (37) Sup. p. 131. (38) Sic Boſſius: *Theodorus ſedit annis 14. & menſibus octo. Jacet in Templo S. Ypoliti*. Vide & Puricell. *Vita S. Laurentii Epiſc. Mediol.* p. 295. & 296.

nicis, quamvis ſerius Theodori Pontificatum differat, diſerte tamen Illum *quatuordecim* ſediſſe annos affirmat. Latet itaque in numero annorum, quos *Catalogi* noſtri (39) huic Epiſcopo tribuunt, error aliquis manifeſtus, facili, ut Papebrochius alibi ait, librarii lapſu, qui pro denario numero littera X. expreſſo, V., ſeu quinarium ſubſtituerit. Quod ſi dicamus accidiſſe, facile chronotaxis ſtatuitur, & Boſſius verius omnibus annos Ejus *quatuordecim* deſignavit. Nimirum excedente e vivis, vel depoſito Senatore die XXIX. Maji anni CDLXXV., Theodoro autem die XXVIII. Martii anno CDXC., ecce nobis poſtremi Hujus Sedis anni XIV., menſes VIII., dies XVII., & reliqui adhuc dies circiter XIII. ſupra unum menſem; quo intervallo perfici rite poterat Illius electio, & Conſecratio, quæ fortaſſe acciderit die Dominica XIII. menſis Quinctilis ejuſdem anni CDLXXV.

Theodori præconia ex Ennodio.

XIII. Sane divinis auſpiciis peractam hanc electionem cenſuerim, quum talem nobis obtigiſſe Antiſtitem fateri fas ſit, qualem turbulentiſſima ea tempora poſtulabant. Porro Ennodius, qui ſub Theodori tempora Mediolanum venit, atque exſtantia adhuc Illius ſanctitatis & virtutis veſtigia perſequi poterat & admirari, Præſulem hunc appellat *lucem* quandam (40) veluti inter procellarum caliginem intermicantem, & tutiſſimum quaſi portum, in quo Mediolanenſes conquieſcerent. Sic enim in Ejus laudes erumpit in ipſo limine Epigrammatis, quod Theodori præconium continet:

Tu lux certa tuis, Tu ſpes fidiſſima rerum.

Vix quippe ad clavum Ambroſianæ Eccleſiæ ſederat Theodorus, cum erupere ex improviſo Oreſtis Militiæ Ducis electi in ipſum

(39) Sic in Ambroſ. *Theodorus ſedit an. VIIII.* (corrige XIIII.) *m. VIII. dies XVII.* (in *Catal.* Metrop. *dieb.* XVI.) *Dep. V. Kal. Apr. ad ſcm. ipolitum*. Vide infra Lib. II. Cap. I. Sect. V.

(40) *Epigr.* 88. ap. Sirm. T. 1. col. 1881. citt.

Julium Nepotem Auguſtum. contentiones & odia, quorum finis fuit Nepotis in Dalmatiam fuga ad diem XXVIII. Auguſti, & impotens Oreſtis dominatio, qui Romulum filium vix puberem die ultimo octobris Purpura indutum Romanis præfecit, atque Auguſtum declaravit, uti jam ſupra (41) innuimus. Non tamen obrui tot adverſis, neque etiam infringi invicta Theodori virtus potuit. Vigebat enim par Apoſtolico, quod ſuſceperat, muneri, & inſuperabilis in Illius pectore conſtantia, quam Ennodius uno pentametro proſequitur enucleare, ſubjungens:

Vatis Apoſtolici Tu, Theodore, vigor.

Singulæ, quæ Paſtorem decent, miro nexu Ejus animum ornabant virtutes. Mens autem humanæ ſapientiæ lumine illuſtrata, atque divinæ ſcientiæ radiis perfuſa, ſtudiis (*) inſuper ſacrarum litterarum, omniumque nobilium diſciplinarum conſtanter exculta, adeo Dei myſteria & naturæ abſcondita pervadebat, ut nihil latere Illum poſſet, & in ipſa veritatis arcana certiſſima penetraret. Ita enim nos interpretamur Ennodium ſic de Theodoro loquentem:

Virtutum cumulus, ſubſtantia lucida veri,
Monſtrat acervatis quam labor in ſtudiis.

Quare ſolida pollens virtute, & ſapientia clarus futuros mente occupabat eventus, & mala antevertens ingenii acie ſolertiſſima, ingruentia poſtmodum aut præcavebat, aut prompte retundebat fortitudine, ut æquam ſemper in rebus quibuſcunque arduis ſervaret mentem, & caritatis ſuæ fervorem pace cordis temperaret. Compoſitis moribus & caſtigatiſſimis ad virtutis amuſſim ſimplicitatem quan-

(41) pag. 139. (*) Recole, quæ ſupra animadvertimus pag. 43. nota (*).

quandam oris & corporis habitu præferebat, quæ tamen Ejus bonitatem & ſapientiam teſtaretur:

Præſcius, accinctus, fortis, tranquillus, amicus,
Compoſitus, ſimplex, Tu bonus, & ſapiens.

Quod autem de Theodoro ſubjungit Ennodius, ſane omnium opinionem ſuperat, atque admirandum omnino videtur, Eum ſcilicet ſuperno veluti afflatum Numine futuros eventus quodammodo ante oculos habuiſſe, neque ſuæ mentis aciem quidquam ſubterfugiſſe ex iis, quæ ſuperventura præſcius Ipſe prædixiſſet. Quid enim ſibi vult, quidve nobis declarat Poeta noſter canens:

Fatidicus ſemper Tu conſcia corda futuri?

Fateor quidem, multa quamplurimos in turbulentiſſimo illo rerum ſtatu præconcipere animo atque ominari facile potuiſſe; verumtamen divinum aliquid ſapit, quod non ſolum animo fatidico Theodorus futura mala præſagiret, verum etiam provide præcaveret, ut innuere videtur Ennodius ſubdens ſtatim:

Deprenſum fluxit, Te reſerante, malum.

Rom. Imperii interitus. Odoacar totius barbariæ princeps in Liguriam irrumpit. Ravenna & Roma potitur. Romulum Auguſtum ſive Auguſtulum in Campaniam ablegat.
* A. CDLXXVI

XIV. Sed antea hoc loco congruum eſt earum calamitatum Iliadem exponere, quæ primum Liguriam hoſtibus patentem, deinde Heſperiam univerſam Theodori ætate affixere. Dominabatur in hac infeliciſſima regione Oreſtes, cujus filius Romulus renuntiatus fuerat nomine tenus Imperator, nunquam Auguſtus; cum repente in utrumque * ab Odoacre Herulorum & omnigenæ gentis Barbarorum Rege tanta concitata fuit tempeſtas, quæ reliquum, quod erat, Occidentis Imperium non ſolum obruit, ſed penitus oppreſſit. Progenitus a barbaro patre Edicone olim Regis Attilæ Adminiſtro Odoacar Scythia oriundus, &, ut Jordanus (42) ſcri-

(42) *De Regnorum ſucceſſ.* ap. Murat. *Rer. Ital. Ser.* T. 1. p. 239. col. 2. D.

bit, *genere Rugus*, licet in Italia educatus, ſtipendiarius erat Romani Imperii miles, manu promptus, & elato animo: quumque videret Italorum virtutem frigeſcere & a militari exercitatione abhorrere, imo dignitatem Imperii ſola Barbarorum ſtipendia facientium ſpe atque fortitudine ſuſtentari; exoſus patrii ſoli horrorem atque inopiam, quam cum Italiæ ſpecie ac fecunditate comparabat, hujuſque commodis ac deliciis delinitus, conſiliis ſuis Barbarorum, qui in Italia militabant, animos inflammavit, ſi Procopio (43) credimus, ut ſibi tertiam Italici agri partem depoſcerent. Superbam, nec ſine minis factam poſtulationem indignatus eſt Oreſtes; quumque conſtantiſſime abnuentem milites, defectione facta, bello aggredi conarentur, Odoacrem inter eos Procerum protectorem, ſibi multa pollicentem & petitionis eorum adjutorem futurum, rebellis Militiæ Ducem elegere, qui ocyus meditatam jamdiu perduellionem ad exitum feliciſſime perduxit. Nam immenſis trans Alpes contractis Herulorum & Turcilingorum copiis Italicæ prædæ inhiantium, juſtum demum exercitum ex tota barbaria conflatum per Venetiam primum evocavit; tantoque belli apparatu Oreſtis conſternavit animum, ut, quum, militiis omnibus propere collectis, is ad Adduam fluvium Odoacri occurrere ſtatuiſſet, ibique Martis aleam experiri, repente mutato conſilio liberam Tyranno viam aperuerit in Liguriam, motiſque ſtatim caſtris fugientis in morem in Ticini mœnia ſe receperit, tutius conſilium ratus inter ejus Urbis munitiones verſari, quam inter hoſtium tela juſto prælio decertare. Incluſum mœnibus Oreſtem perſequutus Odoacar Adduam nullo obſiſtente mox (*) trajecit, citatoque agmine Mediolanum deditione ultro facta quum recepiſſet, Ticinum conten-

(43) *De Bello Goth.* L. 1. c. 1. inſ. in *Rer. Ital. Script.* T. 1. p. 247. col. 2. (*) Trajectum ab Odoacre Adduam flumen prope Laudem Pompejam ſuſpicatur Murator. ad hunc ann. 476. p. 225. init., ego veroſimilius crediderim, ad *Aureoli Pontem* ea ætate celebrem.

dit, admotiſque machinis viriliter oppugnavit, expugnatamque demum crudeliter vaſtavit diripuitque incenſis tectis geminiſque in Urbe exſtantibus Templis, ac civibus captivis abductis. Singularis in tanta calamitate S. Epiphanii caritas, teſte (44) Ennodio, multis præſidio & ſaluti fuit. Mortem tamen declinare non potuit, qui maxime omnium ad necem petebatur, in vincula conjectus Oreſtes; qui Placentiam cum cuſtodia miſſus, imperante Tyranno, ne triſti ſpectaculo Ticinenſium miſeriam oneraret, die demum XXVIII. Auguſti gladio mactatus Imperium & vitam amiſit. Æmulo ſublato, Odoacar Ravennam ocyus profectus, Paulo Oreſtis fratre ad Pineta Claſſi proxima item interempto, Urbe potitus, Romam feſtinato itinere petens, in Urbem receptus, Senatu aſſentiente, pacifice demum in ipſa Arce Imperii Reip. clavum regendum ſumpſit, recuſato tamen honore Purpuræ, & Auguſti titulo repudiato. Quare Romani Regium antiquitus nomen exoſi atque exſecrati, duriſſimo urgente neceſſitatis telo, Regium iterum nomen anno CDLXXVI. ab Orbe redempto ſubire compulſi ſunt, Senatu ipſo approbante, qui, ut Malchus Rhetor Philadelphienſis (45) refert, legatione ſua ad Zenonem tum in Orientis Solium Baſiliſco expulſo reſtitutum miſſa, Odoacrem Italici

---

(44) Ennod. in *Vita B. Epiph.* cit. col. 1670.: *Oh dolor! Utraque Eccleſiæ flammis hoſtilibus concremantur: tota Civitas quaſi unus rogus effulgurat. Cunctorum voces Sacerdotem requirentium audiuntur; nemo periculi ſui meminerat, dum major ab illis ſalutis portio divideretur. Cui, quamvis confuſa in ſingulorum exitium turba fremeret, honor tamen & inter gladios impendebatur. Nam illico non fuerunt, quos potuit videre captivos..... Plurimos etiam civium abſolvit precatu ſuo antequam duriſſimæ conditionis vincula ſentirent: matresfamilias præcipue, quas immanior hac neceſſitate poterat mauere commoratio. Poſtremo ſtatus civitatis, quem multitudo barbarica ſuccidebat, unius fortiſſimæ columnæ ſuſtentatus reſurgebat auxilio: nec tamen ad delendum ſufficiebat exercitus, quantum ad reparandum unius perſona Pontificis. Sublato tamen Oreſte, & propter Placentinam Urbem extincto, deprædationis impetus conquievit.* (45) *Corp. Hiſt. Byzant; Excerpta de Legationib.* T. 1. p. 93. c. Edit. Pariſ. 1648.

Regni defenſorem ſibi dari poſtulavit *Patricii* unice titulo contentum, Zenoni ſoli Imperatori utriuſque Imperii dignitate reſervata. Laudanda tamen in Barbaro pietas inter tot cædes & vaſtationes triumphavit, & uſurpati Regni ferme obliteravit injuriam. Etenim captum Auguſtulum ſibique oblatum non modò liberum dimiſit, ſed ad privatam conditionem redactum in Lucullanum in agro Campaniæ ablegatum annno ſexies mille ſolidorum aureorum ſubſidio ad vitæ commodioris ſolatium donavit; quo contentus exinde vixit, opulentiore certe cenſu, quam primus Romæ Conditor & Rex Romulus, quem patrio more *convectare prædas & rapto vivere* delectabat.

Odoacar nonnihil Catholicæ Religioni infenſus. Theodori Epiſc. in hunc Tyrannum conſtantia.

XV. Quoniam vero Odoacris Regnum in Theodori noſtri Pontificatum incidit, reliquum eſt, ut videamus, qua noſter Antiſtes conſtántia pectus ſuum illius Tyranni minis objecerit. Equidem non ignoro communem Scriptorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſententiam, inter quos (46) Baronius, qui docent, nullum Odoacrem Catholicæ Religioni faceſſere negotium voluiſſe. Quod tamen (pace dixerim Eminentiſſimi & doctiſſimi Scriptoris) Baronius idem (47) negat, docens, hunc Regem conatum eſſe Arianam hæreſim in Romanam Urbem inducere. Imo ſi *Palmaris* Concilii Rege Theuderico (48) congregati ſcripta legimus, videbimus ejus Edictum, quo Rex Arianus, dum vacua eſſet per Simplicii obitum Petri Cathedra, Romani Pontificis electionem moderari & approbare præſumpſit. Hoc ipſum, mea quidem ſententia, non admodum obſcure nos docet Ennodius de Theodoro Mediolanenſi Antiſtite ſcribens, dum Illius laudes in ſuo Epigrammate complectitur:

(46) Ad ann. 476. n. II. (47) Ibid., item ad ann. 483. n. VIII. (48) *Concil.* T. IV. col. 1334. E., & Baron. ad ann. 483. n. X. & XI. Vide infra Lib. II. Cap. III. Sect. V.

Quem timuere feri calcantes culmina mundi.

Qui porro ſunt *feri* iſti, qui Romana jura proterebant, niſi Odoacar, cujus Regni tempora integram Theodori Cathedram tenuerunt? Quæ autem eſſe potuit cauſa, ut timendum ſe faceret Odoacri Theodorus, niſi ea, quæ cogeret Antiſtitem Eccleſiæ ſuæ jura conſtanter tueri? Quod ſi mordicus ea defendere coactus eſt, hoc certe ſequitur, illum Regem ea violare atque intervertere voluiſſe. Sane lex ipſa (49) ab Odoacre pro Herulis ſuis promulgata, qua Itali omnes de tertiæ agrorum partis poſſeſſione decedere jubebantur, quantam Eccleſiarum etiam Patrimoniis cladem intulerit, facile perſpici poteſt: qua de re Antiſtites omnes de grege ſuo ſollicitos legi truculentæ obſiſtere ac refragari neceſſe fuit, ne pauperum & viduarum patrimonium impune Heruli obligurirent. Ea ætate ſitum in Sicilia jam fuiſſe credimus Mediolanenſis Eccleſiæ Patrimonium; quum poſt annos vix circiter XXX. Theuderici tempore ibi exſtitiſſe nobis liqueat ex Caſſiodorii (50) Epiſtolis, & adhuc exſtaret S. Gregorio M. (51) vivente, ad annum Chr. DCI., uti alibi (52) ſuo loco dicemus. Odoacar itaque, quum, lege edita, poſſeſſionem Eccleſiarum violaſſet, præſertim in Sicilia, quam emphyteutico titulo, ut Victor Vitenſis (53) ſcripſit, a Genſerico Vandalorum Rege obtinuerat, pactus pro ea annuum tributum; quis miretur, Theodorum patrimonii pauperum defenſorem toto conatu Regi obſtitiſſe, & Tyranno formidabili, uti diximus cum Ennodio, novam legem exſecratum ita

(49) Procop. *De Bello Goth.* L. 1. c. 1. Vide & Murator. ad h. ann. 476. T. 3. p. 226. (50) *Varior.* L. 2. *Ep.* 19. *Theodorici Regis Adila Viro Senatori Comiti* inſcripta. (51) *Ep.* IV. Lib. XI. Indict. IV. Opp. T. 2. col. 1095. Edit. Pariſ. 1705. (52) Vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. II. & Cap. III. Sect. I. (53) *Vandal. Perſecut.* Lib. 1. Vide & Murator. ad h. ann. 476. T. 3. p. 226. cit.

Digitized by Google

parere recuſaſſe, ut a propoſito Rex abſtineret? Attamen frons illa Theodori in Tyrannum caperata atque aſpera, bonis civibus objecta eorum ſibi affectum atque reverentiam conciliabat, ut optime idem Ennodius concludit ſcribens:

Dilexit ſpernens dura ſupercilii;

ſcilicet, qui aſperum Præſulis ſupercilium intuebatur, ſi nullius culpæ conſcius eſſet, non poterat, quin ex toto animo ac corde in Ejus amorem commoveretur. Itaque, ſi nihil moliri contra Orthodoxam Religionem auſus eſt Odoacar, ut plerique ſenſere, id Eccleſia debet Theodoro noſtro, qui Paſtorali firmitate fortiter obluctando, & divina judicia interminando, liberius id a Rege impetravit, ut ea damna ac vulnera, quæ a noſtra Eccleſia abſtinuerat, a ceteris etiam per Italiam Eccleſiis averteret. Quare, ſi laudem hanc Mediolanenſi Antiſtiti tribuamus, hunc unum Odoacar timuiſſe juxta Ennodium dicendus eſt, qui Romanam dignitatem audaciſſime violaverat atque indigniſſime, imo Imperii totius majeſtatem, ſive *Mundi Culmina*, interritus *conculcaverat*.

Odoacris bella in Rugos, quorum Regem Feliteum ſive Feham captivum in Italiam abducit. Fridericus Felitei filius ab Onoulpho Odoacris fratre ſuperatur.

XVI. Ceterum hæc Theodori pro tuendis Eccleſiæ ſuæ agris ſive miſerorum patrimonio ſollicitudo ad primos Herulæ Tyrannidis annos videtur ſpectaſſe; quandoquidem Odoacris Regno ad exitum vergente, Rex iſte bellicis potius extra Italiam diſtentus eſt curis, quam de Italici Regni adminiſtratione, ſive everſione ſollicitus. Quum enim Is audiſſet, ut Eugipius Abbas (54) narrat, Feliteum, ſive Febam cum Giſa ejus uxore crudeliter Rugis imperitantem (uti quinquennio ante eiſdem (55) prædixerat S. Severinus) Herulorum res in Norico turbaſſe, ei bellum indixerat * anno CDLXXXVII., cum valido exercitu ad Suos a Rugorum injuriis

* Anno CDLXXXVII.

(54) *In Vita S. Severini* ap. Baron. ad ann. 487. n. IX. (55) Ib. ann. 482. n. LVIII.

vindicandos profectus; &, poſtquam, commiſſo certamine, eorum copias profligaſſet, ut radicitus belli cauſas evelleret, ac diſcordiarum futurarum ſemina præſocaret, captos denique Feliteum ipſum & Giſam uxorem ejus immaniſſimam cum ingenti illius nationis multitudine XVII. Kal. Decembris redux a bello Odoacar in Italiam abduxerat. Cui triumpho id unum defuit, quod Regis filius Fridericus feliciter fuga elapſus incolumis in Mœſiam a Theuderico Gothorum Rege auxilium & perfugium popoſcit ac ſplendide impetravit; quæ omnia fuſe apud ſupradictum Eugipium deſcribuntur. Verum * anno inſequente CDLXXXVIII. (56) Fridericus, qui apud Gothos ſe recipiens viderat, Odoacre in Italiam recedente, nudatam omni præſidio Rugorum ditionem ab eo Rege anno ante depopulatam, in ſpem venit paternæ Provinciæ recuperandæ. Collectis itaque diſperſorum Odoacris metu Rugorum reliquiis, eorum Regnum pene extinctum, niſi in priſtinum ſtatum, ad antiquum ſaltem nomen, crudeliter imperans revocavit. Hoc intellecto infremuit Odoacar; quumque jam ex fama inſonaret, quod paulo poſt conſequutum fuit, Gothicum bellum, atque aliorſum cogeretur curas convertere; ne contemptum ſe talibus diſſimularet, valido comparato iterum exercitu, fratri ſuo, cui nomen Onoulphus, in mandatis dedit, ut copias in Noricum ad Danubii ripas, ubi ea ætate (57) domicilium ac Regnum Rugi renovaverant, educeret, ſuiſque auſpiciis Rugicum bellum conficeret, & reliquiis ejus nationis poſt bellum confectum in Italiam tranſmigrare juſſis, Rugorum Regnum penitus exterminaret e Norico, gentiſque nomen deleret. Progreſſus igitur cum exercitu Onoulphus & regionem ingreſſus, feliciter bello & mandatis defun-

* Anno CDLXXXVIII

(56) Ibid. ad ann. 488. n. IX.

(57) Paul. Diac. L. 1. c. 19., item Cluver. *Germ. Antiq.* L. 3. c. 35. p. 639. & AA. ab eo citt.

ctus (58) *univerſos juſſit ad Italiam migrare* (*) *Romanos* (ſcilicet, qui ibidem erant) *Tunc omnes incolæ tanquam de domo ſervitutis Ægyptiæ, ita de quotidianæ barbaricæ frequentiſſimæ deprædationis educti S. Severini oracula cognoverunt*. Prædixerat nempe ſex ante annis idem Sanctus, omnes regionis illius accolas fore in Italiam transferendos. Narrat hæc omnia Abbas Eugipius, qui addit, Fridericum tantæ tempeſtatis fluctus feliciter iterum evaſiſſe; & ſolitum perfugium apud Gothorum Regem in Mœſia nactum paulo poſt videbimus Theuderici ſtipendiarium militem contra Odoacrem arma ſumpſiſſe. Rugos autem ſcribit Eugipius in Italiam tranſmigrantes veluti *de domo ſervitutis*, notans immite Friderici in Suos jugum atque crudelitatem, cujus expreſſa veſtigia habebimus infra, quando Ticinenſem Urbem invaſit poſt captam Ravennam, & Rugis ſuis perduellionis ſignum ſuſtulit, atque in protectorem ſuum Theudericum indigniſſime arma diſtrinxit. Hac plane ratione de exteris hoſtibus triumphans Odoacar, novis ſemper calamitatibus Heſperiæ Regnum onerabat, quod tanta efferatorum hominum multitudine auctum e ſuis moribus degenerare atque ad barbariem erudiri ſtudebat. Quare ex eo tempore (59) *Turcilingorum* & *Rugorum* Regis etiam nomen aſſumpſit; imo, uno verbo utar, totius *Barbariæ* Princeps, qua miſerrime eo tempore tota Italia redundavit, merito potuit appellari.

LI-

(58) Idem Eugip. ap. Baron. ad ann. 468. n. X. (*) *Romanorum* nomen hoc tempore *Rugis* etiam aptari poterat, quippe uni Orientis Imperatori obtemperantibus. (59) *Hiſt. Miſcella* inſ. *Rer. Ital. Script.* T. 1. p. 100. col. 1. D. Item Jordan. *De Reb. Geticis* Cap. 46. inſert. T. 1. cit. p. 214.



Theudericus, Odoacre inter epulas occiso, Gothicum Regnum confirmat

LIBER SECUNDUS

Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoria LIGUSTICA GOTHICA a poſtremis Theodori I. Pontificatus annis uſque ad Honorati inaugurationem: ſimul & ab Theuderici, primi poſtea Gothorum in Italia Regis, in hanc Provinciam adventu, atque Odoacris cæde, uſque ad Tejæ ultimi Gothorum Regis Regnique Gothici interitum, & Narſetis Patricii in Italia Ducis adminiſtrationem. Ab Æra Vulg. Anno CDLXXXVIII. ad DLXVIII.

CAPUT PRIMUM.

Theuderici Oſtrogoth. Regis conſilium de Odoacre ab Italica ditione depellendo.

Oppreſſa igitur duriſſimæ ſervitutis jugo ſub Rege Odoacre hæc Provincia, deſtituta conſilio & viribus, dum triſtiſſimum famulatum animo ominabatur æternum, ab alio item Barbaro Rege, unde minus exſpectabat, ſpem atque ſubſidium ſin minus recuperandæ libertatis, ſaltem teterrimæ conditionis ſublevandæ invenit. Auguſti Zenonis per hæc tempora in Oriente

Digitized by Google

merebatur ſtipendia Theudericus Theudemiri filius, II.[us] Oſtrogothorum, ſeu Gothorum Orientalium, in Illyrico Rex, militari ſcientia inſignis; quem belli ac militiæ clarum ſummo Imperator proſequebatur amore, ut etiam ſibi tanquam filium adoptaret. Hic ſuopte ingenio ferox, ac ad ſumma omnia natus, invidens obſcuri olim inter Barbaros Odoacris fortunæ, & prædam Italiæ illi caſu objectam e faucibus excutere meditatus; atque indignum cenſens, Gothorum fidem atque operam pro ſalute Imperii jamdiu collocatam præmii expertem eſſe; ex adverſo ignoti nominis gentem ex *Herulorum*, *Turcilingorum*, ſive *Scirorum* (1) genere, & ex omni barbaria conflatam immerito tanta Provincia potiri, abjectamque inſuper injuſte vexare; Zenonem Auguſtum adiit, atque in hanc ſententiam generoſe alloquutus (2) ſcribitur: *Italiam Imperii Tui partem pulcherrimam, Imperator Auguſte, Odoacar iniuſſus occupat, imo premit ac fœde dilaniat. Eam ſi mihi Gothiſque meis poſſidendam regendamque permittas, Odoacre deiecto, ſive victor, ſive victus fuero, alterutra ratione ſemper Tibi ſum profuturus. Etenim aut victorem me, utpote filium Tuum ſingulari beneficio ornabis, Tibique obſtringes; ſin autem victus exſtitero, Te Dominum meum meis Gothorumque meorum ſtipendiis liberabo, nullumque ex Tuis amittes. Porro præ Odoacre barbaro ſocius, cliens, & filius dignior eſt, qui Italiam habeat.* Perculit excordem Auguſtum audax ſermo & ſermone audacius conſilium. Quare reputans animo, poſſe hac ratione infeſtam atque a Valentis uſque ac Theodoſii temporibus irrequietam ac nullis contentam regionibus Populi Gothici multitudinem longe a Thracia & Illyrico honeſte & ſine periculo amoveri; haud gravate Theuderico aſſenſus, *Italiam* (3) *ei per prag-*

(1) *Hiſt. Miſcella* pag. 99. col. 1. B. (2) Ibid. (3) Ib. & Iornand. C. 57. in fine.

Digitized by Google

maticum tribuens, ſacri etiam velaminis dono confirmavit, & Senatum illi Populumque Romanum commendans, abire permiſit. Quare Romana Urbs infeliciſſimo hoc Sæculo venalis propoſita eſt Theuderici ferro, quam olim duriſſima a Gallis obſidione preſſam venalem auro proponi Camillus vetuerat; venumdatique Gothis Quirites, ut Barbarorum jugum depellerent.

II. At Theudericus data Italiæ invadendæ poteſtate ſtrenue uſus, illico gentis ſuæ & Gothicæ nationis animos in ſpem melioris fortunæ certiſſimam erexit, propoſita ante oculos ubertate & conceſſæ regionis pulchritudine: aſſenſique univerſi, ut ſolum ocyus verterent, & Mœſia, in qua degebant, deſerta, in Italiam commigrarent. Monebat Theudericus, feliciſſime Auſtrales Gothos in Hiſpania & Galliarum parte verſari; quidni igitur etiam Orientales, tot annis a Valentis & Theodoſii uſque ætate incertam ſemper & precariam ſedem habentes & nihilo minori virtute milites, ad certum & proprium Regnum aſpirarent? Virtute dumtaxat opus eſſe ad repellendum inde ſuum & Italiæ Hoſtem Odoacrem improbamque ejus omnigenam multitudinem, quæ fortitudine & gloria ſibi inferior, Gothici ferri aciem nunquam experta, non eſſet certiſſime evaſura. His ſe viciſſim ſermonibus excitantes ad iter ferme ſe accingebant. Verum finitimo repente impliciti bello, quum tandem proſtrato hoſte victores extitiſſent, ad intermiſſam Italiæ potiundæ cogitationem reverſi, inſtare Theuderico, ut ocyus moveret exercitum, & Italiam ſæpius conclamantes ad optatæ Provinciæ fines admoverentur. * Sed dum ſe Italicæ expeditioni accingeret Theudericus, confugerat (4) in Mœſiam iterum Fridericus Felithei Rugorum Regis filius; qui victus ab Onoulpho

Theudericus, Friderico Felitei Rugorum Regis filio ſibi conſociato, Italiæ limites ingreditur.

* Anno CDLXXXIX.

(4) Vide Eugip. cit. ap. Baron. ad ann. 488. n. X.

Odoacris fratre, ut ſuperius (5) vidimus, non ſolum Regno & paterna ditione, ſed Subditis omnibus in Italiam migrare juſſis ſpoliatus, opportunitatem Italici belli amplexus, & operam ſuam navare Gothis pollicitus, comitem & militem ſe Theuderico adjunxit. Spes ulciſcendæ ſui utriuſque parentis captivitatis, qui ab Odoacre tunc abducti fuerant, & nationis item ſuæ reſtituendæ, aut etiam melioris fortunæ juxta futurum Gothici belli eventum ſollicitabat Fridericum, ut manu promptus, & militari ingenio ferox ſe Gothorum Regi ſocium atque expeditioni opportuniſſimum præberet. Hoc igitur ſibi confœderato, appetente vere hujus anni CDLXXXIX. Theudericus univerſam nationem migrare ex Mœſia juſſit, & immenſam feminarum calonum lixarumque multitudinem præmiſſo exercitu ſecum trahens, ad capeſſendum conceſſum Regnum iter conſtituit. Subſequebantur præcedentes militum copias onuſta neceſſaria ſupellectile plauſtra, quibus etiam erant impoſitæ Getarum more Regis Mater & Sorores. Iſtro tranſmiſſo, in Sirmium primum, patenteſque inferioris Pannoniæ campos pedibus inſtituerant iter; unde per planitiem effuſi, tandem Savo trajecto, atque ad Alpium Carnicarum culmina impavide reſpicientes, appropinquare jam Italiæ limites, ac proxime votorum ſummam ſe attingere geſtientes gratulabantur.

Gemino bello Odoacrem ſuperat, primò ad Flumen Sontium, deinde ad Atheſim.

III. Ex adverſo Odoacar tota contentione Theuderici conatibus obſtiturus adventurum hoſtium exercitum opportuniore loco aggredi meditatus, quum videret, nullam ſpem fore in obſidendis Alpium jugis aſcenſu deſcenſuque facile perviis (ut jam quater iterato Theodoſii, Alarici, Rhadagayſi, recentique etiam Attilæ conſtabat exemplo) atque in Hiſtria præſtolari venientes Gothos

(5) Pag. 151.

Digitized by Google

vellet; nullum ibi munitum oppidum, aut urbem, vel tutiora exſiſtere loca conſpicatus, quibus tegere exercitum poſſet, everſa jamdiu, diruta, ne dicam deleta prorſus, per Attilam univerſa regione, quæ neque hoſtibus eſſet opportuna; infelici, ut exitus probavit, conſilio, ad amnem Sontium (6), qui prope Aquilejam in Tergeſtinum Sinum defluit, cum magnis Herulorum Italorumque militum copiis ſubſiſtere & ſtativa collocare decrevit, ut prætento Fluminis obice aut moram venientibus faceret, aut tranantes facile opprimeret. Verum Gothi tranſcenſis, nemine obſiſtente, Alpibus, atque in Italico ſolo pedem figentes, celeriter prætergreſſi Hiſtriæ fines, quæ, Paulo Diacono (7) & Auſonio (8) teſtibus, Italiæ pars erat, quum ad Sontium perveniſſent, e regione Odoacris caſtra conſpicati ſubſiſtere coacti ſunt. Interim in referta pabulis regione confidens Theudericus, copiis refectis jumentiſque recreatis, ita Suorum animos longi itineris tædio ac labore fatigatos percommode confirmavit, ut novi periculi onus in Flumine trajiciendo non detrectarent. Itaque in Italiæ limine conſtitutus Gothorum Rex confirmatos jam milites regio animo inflammans ad majora ſuſcipienda hortatur; & Gothorum virtutem propoſita ante oculos pulcherrimæ regionis futura mox poſſeſſione exacuens, ſi Flumen viriliter tranſmiſiſſent, paratiſſimis ad pugnæ aleam militibus trajiciendi ſignum dedit. Æquiore & jam explorato Amnis vado feliciter uſi, qui præceſſerant fortiores contra aquarum vim eluctari animos ſubſequentibus addidere; qui mox citeriore ripa potiti juſtam explicuere aciem contra hoſtilium vim telorum; donec & multitudine, & virtute Gothorum obruti ac exa-

(6) Caſſiod. in *Chron.* ad ann. 489., Jorn. C. 57., *Miſcell.* L. 15. c. 100. C., Blond. Dec. 1. L. 3., Putean. vero, & Calch., apud *Natiſonem* vulgo *Sontium*. (7) L. 2. c. 14. (8) *Ep.* 6.

Digitized by Google

nimati hoſtes pedem ſenſim referentes ad caſtrorum propugnacula confugerunt, quum aperto campo Gothorum arma non ſuſtinerent. Felicem impetum ſequens Theudericus totam prælii vim ocyus in oppugnanda hoſtium caſtra ipſa convertit; quare oppugnationis jam impendentis uno militari apparatu perterrefactus Odoacar, patenti circumquaque ſine munitionibus regione diffiſus, deſertis caſtris, cauta, ſed aperta fuga Veronam contendens ſperavit, felicius ſe ad Atheſim, quam ad Sontium (9) pugnaturum. Illuc igitur copiis contractis, noviſque confirmatus auxiliis, ſpem melioris fortunæ in munimentis fortiſſimæ Urbis præceperat. Theudericus autem captis hoſtium caſtris, & militi in prædam conceſſis, tum primum ſe Regem Italiæ præſenſit. Auſpicatiſſimum quippe diem, quo caſtra cepit, V. Kal. (10) Octobris, exinde ſemper habuit, & veluti initium Regni ſui appellat in Epiſtola (11) apud Caſſiodorium. Intellecto igitur Odoacris Veronæ ſubſiſtentis conſilio, & rebus ad Sontium compoſitis, novus Italiæ Rex ingentem recenti victoria animum gerens inſiſtere, quamprimum potuit, fugientium Herulorum veſtigiis ſtatuit, ratus victoriæ ſpem in celeritate ſola & hoſtium terrore conſiſtere. Toto collecto & reparato exercitu, inſtructaque acie Veronam quum appropinquaſſet, diu opportunitatem confligendi cum Hoſte præſtolatus eſt: & quum munitiorem ampliorenque urbis ambitum circumſidere incongruum videret; quumque tandem Odoacrem cum ſuis copiis ex Urbe egredientem & novam prælii aleam ſubiturum ſibi obvium habuiſſet ultro la-

---

(9) Caſſiodor. *Chron.* l. cit. Vide ſis Ennod. de infelici utraque pugna diſſerentem in *Panegyr. Theoderici* col. 1602. C. & ſeqq. (10) Sic Anonym. Valeſianus; non vero *V. Kal. Sept.* ut in *Chron.* Cuſpin., neque *V. Kal. Apr.* ut ap. Sigon. *De Occid. Imp.* L. 15. an. 490. Opp. T. 1. P. II. col. 575. A. & nota 53. ibid. (11) Epiſt. 18. L. 1. *Ex quo, Deo propitio, Sontii Flumina transmiſimus, ubi primum Italiæ nos ſuſcepit Imperium.*

ceſſentem; repente infeſtis ſignis concurſum eſt, pugnaque accenſa, tanto impetu Gothi & tam firmo veſtigio venientes hoſtes excepere, ut ſenſim illi remiſſis viribus cederent. Quare renovata aggreſſione ita in Herulos irrupere, ut fracta diſſipataque acie pars hoſtium in Atheſim pulſa fuerit fluminis gurgitibus haurienda; pars autem, quæ in Mœnia confugerat cum Odoacre, præcipiti fuga per averſam Urbis partem elaberetur. Sic fuſo Hoſte victor Theudericus Veronam præſidio deſtitutam intravit, dedentibus ſe ultro civibus; ibique loci amœnitate & regionis ubertate delectatus, quum nullam Venetiæ partem infeſtam haberet, in ea autumni reliquum, totamque hiemem placide ſubſedit.

IV. Etenim profugus ab Atheſi & fractus Odoacar, quamvis infeliciter jam gemino bello defunctus, & jam ſemel atque iterum ſe ſuumque exercitum fruſtra defendi fluminibus poſſe certum exploratumque haberet; pertinaci tamen conſilio denuo ſe Adduæ objectu muniendum exiſtimans, citra hunc amnem recollectis ſubſequenti anno * CDXC. fugitivorum copiis, munitionibus ſubitariis excitatis, diſpoſitiſque circum excubitoribus ac vigiliis, tertium ſe tueri Fluminis præſidio meditabatur: quod quidem conſilium, quandiu Theudericus in Venetia hiemavit, feliciter ceſſit. Gothorum enim Rex belli diuturnioris pertæſus, & immenſæ, quam ſecum habebat, multitudini conſultum volens, geminum, quem retulerat, victoriæ fructum ſedendo militibuſque ad novum bellum comparandis cepit ad æſtatem uſque; inducias bello præferens, ut deguſtatis Italiæ deliciis Sui diſcerent ad reliquas viriliter aſpirare. Sed interim quieſcente Venetia ſub Theuderico, contra omni belli apparatu Liguria laborabat, ubi contractis Italicorum militum ſubſidiis arma undique ad futurum prælium circumſonabant. Obverſabatur Mediolanenſium oculis belli ocyus in Pro-

Odoacar novum prælium parans ad Adduam caſtrametatur.

* An. CDXC.

Digitized by Google

vincia ſua exarſuri imago: recolebant animo, nullum eſſe expertem injuriarum Martem; dumque jugo ſe Herulorum ſublevandos præſentirent, futuri conflictus antecapto periculo præſentem calamitatem onerabant. Obnoxii cives militum ultro citroque tranſmeantium & graviſſime imperitantium contumeliis, bellum contra ſe prius geri, quam in hoſtes Gothos lamentabantur, ſolatium vicibus ſuis ab inimico ſuperventuro dumtaxat exſpectantes.

Theodori I. Epiſc. obitus. Huic ſufficitur magni nominis Paſtor Laurentius I. Sub Hujus clientela Ennodius ſuſcipitur. Ennodii merita & laudes.

V. Verumtamen duriſſimo jam XIV. annorum jugo aſſuetis Mediolanenſibus hæc, quæcunque eſſent, ferenda utcunque videbantur mala, quamdiu terror Barbarorum, & Suorum amor ac deliciæ Præſul Theodorus ſuperfuiſſet. Sed acerbiſſima ſane Ligurum rebus ſecuris fuit inflicta, cum in maxima Reip. deſperatione, impendentibus hinc Herulis, inde Gothis, afflictæ Urbi ac perditæ ereptus miſerando fato eſt tantus ille Antiſtes, unicum miſerorum ſolamen, *Virtutum omnium Epiſcopus*, turbulentiſſimorum temporum unicum ſidus, exagitatis perſugium, omnium Parens. Publico Illi luctu parentatum eſt V. Kal. Apr. hujus anni CDXC., uti jam ſupra (12) probavimus; depoſituſque ad S. Hippolyti Ædem Laurentianæ Baſilicæ conterminam inter civium ſuſpiria & lacrymas, manſura æternum Ejus memoria nominis; quod licet inter Sanctorum Præſulum faſtos non ſit relatum, privatus tamen Ipſius cultus in ea Baſilica viguit, ſubſequenti tempore probatus, nec Fidelium venerationem deſiderari unquam ad Ejus ſepulcrum paſſa eſt Mediolanenſium (13) religio. Mitigavit communem dolorem ex Præſulis jactura, & lacrymas ferme abſterſit properata Succeſſoris

(12) Pag. 142. Conſule *Catalog*. p. 143. nota (39).

(13) Vide Puricell. in *Vita S. Laurentii* Cap. 26.

Digitized by Google

ris electio, omniumque approbata ſuffragio. Qui porro electus viduam noſtram Eccleſiam ſolaretur, Laurentius hujus nominis primus fuit, ex nobiliſſimo, ut (14) traditur, genere ortus, & in ea temporis perturbatione divinitus certe datus. Vir mente eximius, & Paſtorali munere digniſſimus, Cujus laudes ſcriptis commendavit Magnus Felix Ennodius. Porro hic in noſtra Urbe tum gratia multum & opibus florebat, cui vixdum *deſtituto amitæ ſuæ* ipſum alentis præſidio, repente *ex mendico in Regem mutato* cauſa nuptiarum ditiſſimæ & *nobiliſſimæ filiolæ*, *pene ante agnitionem deſolationis ſuæ cœperunt largienda ſuppetere*, ut ipſe teſtatur in *Euchariſtico* (15) ſuo. Vere in media barbaria, quæ tum vigebat, ea erat facundia & latinitate diſertus, quæ potiſſime ſub Auguſto *Aurea*; I.ª vero Chriſtianæ Æræ ætate, Annæis & Quintiliano florentibus, *Argentea*; poſtmodum in *Æneam*; ac demum V.°, quo Ennodius vixit, Sæculo jam in *Ferream* ac *Luteam* defluxerat. Venientem e Gallia hoſpitio exceperat Theodorus, qui, *Virtutum omnium* quum eſſet *Epiſcopus*, principem virtutem hoſpitalitatem cenſebat eſſe. Carum exinde ſemper ſibique probatum, ac ſocium habuit ſucceſſor Ejus Laurentius, participemque conſiliorum ſuorum, ut preſſo pede obſervabimus. Hujus Præſulis patrocinio fultus Ennodius ſeſe ad Urbis Primorum, ac Theuderici Regis, & Symmachi Romani Pontificis amicitiam applicuit; ac demum ſcriptis, rerum uſu, & Laurentii clientela clarus famam ſibi immortalem, & Ticinenſem Infulam ſuis in Eccleſiam meritis comparavit.

VI. Igitur tanti ſemper fecit Patronum ſuum Ennodius, ut grati animi monumentum in omnium oculis defixerit in ipſo Hujus

Nondum conſecratus Laurentius ad Honoratum Novarienſ. Epiſc. proficiſcitur. Dilatæ Conſecrationis cauſæ.

X

(14) Vide Puricell. ibid., & quid de *Litta* Familiæ addito Cognomine animadvertant Papebrochius in *Exegeſi* cit., & Saxius in *Vita* hujus Antiſtitis T. 1. pag. 137. (15) Ap. Sirmond. cit. T. 1. col. 1706.

electionis exordio. Quum enim Honoratus Novarienſium Antiſtes Idolorum Templum in uſum ſacrum hoc anno vellet convertere, ejuſque Dedicationi optaret intereſſe Laurentium; Ennodium rogavit Ille, ut ſibi Homiliam ipſo Dedicationis die recitandam concinnaret, quæ II.ª inter Ennodianas *Dictiones* (16) legitur. In ea Orator appoſite admodum Epiſcopi noſtri electi, ſed nondum inaugurati, laudes contexuit; quas proferre in medium placet, ut Ejuſdem merita bono in lumine collocata teſtatum omnibus faciant, quibus Laurentius ad Pontificatum gradibus aſcenderit. Invocato enim Orator Deo Opt. Max. ſic ad exitum Sermonis delabitur; *Veni ergo* (17) *Piiſſime Domine, & ad Conſecrationem operis Tui plenius illabere: vice humani per baptiſma pectoris purgentur hæc Templa, turpi hactenus dedicata patrocinio. Inſtitue, Domine, vertendo Sacrificia: & dum puris cumulamus altaria ſancta donariis, præſentiam Tuæ Maieſtatis interſere, evocatus ſanctorum merito Sacerdotum*, electi *ſeorſum præſentis* (*) *Patris noſtri* Laurentii *conſcientia, qui tot plenus dotibus ad Eccleſiæ faſtigia crevit, quot feciſſent Summum ſingula quæque Pontificem. In quo vernat princeps boni operis & mater honeſtatis Verecundia, religionis ſanctæ nutrix Patientia, Deum ſemper placatura Pietas: qui eccleſiaſticis membris non ſermone, vitæ inſtituta * tribuit, ſed exemplis: qui omnem callem, quo ad Deum itur, dum prævius incedit, oſtendit; adiuvante ſe Domino noſtro* &c. Verno igitur tempore (18)

* MS. Ambr. D. 117. P. Sup., & al. Edit. *tribuet*.

(16) *Dictio miſſa Honorato Epiſcopo Novarienſi in Dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum, ubi Templum fuit Idolorum*. Ap. Sirm. T. I. cit. col. 1734. (17) Ibid. col. 1736. (*) Laurentius quum nondum conſecratus eſſet, non ſedebat in Epiſcoporum præſentium hemicyclo. (18) Ennod. in *Dictione* I. *In Natali Laurentii Mediol. Epiſcopi* col. 1729. B. ſic inquit: *Libet tamen dicendi principia Conſecrationis tuæ derivare de tempore, & cum anni renaſcentis infantia florulenta, ſi valeo, dictione vernare. Nam cum terræ ſuccus per venas arentium virgultorum currit in germina, & alvus ſicci fomitis humore maritata turgeſcit* &c.

qnum rite facta eſſet anno CDXC. Laurentii electio, inaugurationem Ipſius per Aquilejenſem Pontificem ex more vetere (19) faciendam differri diutius oportuit. Hærebat ſiquidem fortaſſe adhuc ad Atheſim cum Gothis ſuis Theudericus bona Zenonis venia Odoacris Regnum invaſurus; aut ſi ultra jam penetraverat, obſtabat ad Adduam cum copiis Odoacar. Quare obſeſſis bello circumſtrepente viis, tutum Aquilejenſi Mediolanum iter eſſe non poterat; quod certe patere non potuit, niſi Odoacre ab Addua repulſo, & Romam prius, mox Ravennam, ut videbimus, confugiente. Sic, quæ Paſtoralis muneris erant, etiam inter armorum fragorem fremitumque militum interritus Laurentius exſequebatur, Deo reddens, quæ Dei ſunt, & ex adverſo, quæ Cæſaris erant, Theuderico curante.

Tertio Odoacar a Theuderico ad Adduam vincitur: qui Romam, deinde Ravennam fugit. Victor Theudericus Mediolanum tandem ingreditur. Laurentius conſecratur.

VII. Itaque invictus iſte Gothorum Rex, captis in Venetia felicibus Italiæ totius poſſidendæ, auſpiciis, opportunum poſt hiemem hujus anni tempus ad movenda ulterius caſtra nactus, intellecto Adduam, ſibi progreſſuro oppoſitum, non obſcuri nominis Flumen, munitionibus excitatis ab Hoſte bis anno ſuperiore profligato teneri, quominus aditus ad interiora Provinciæ Gothis pateret; ſtrenue in Liguriam procedere conſtituit cum electis & præterito labore recreatis copiis, & nova ſubire pugnæ diſcrimina non reformidavit. Initæ igitur ad Adduam pugnæ idem porro, qui ad Sontium atque Atheſim exitus fuit, teſte (20) Caſſiodorio. Victi namque fuſique hoſtes aut Gothorum ferro cecidere in æſtu prælii; aut, qui victoris gladio ſuperfuere, vel in fuga præſidium habue-

(19) De hoc infra Cap. VI. Sect. V. & ſeqq. (20) In Chron. p. 395. col. 1. *Hoc Cōſ.* (Fauſto Jun.) ideſt anno 490., *Ad Ducam* (al. *ad Adduam*) *fluvium Odoacrem D. N. Theudericus Rex tertio certamine ſuperavit, qui Ravennam fugiens obſidetur incluſus.*

runt, vel palabundi ac diſſipati partim oppreſſi, partim ſe dedentes in Theuderici poteſtatem venerunt. Odoacar ipſe ſemiuſtulatus vix effugit victoris manus, & citatiſſimo curſu primum Romam, ut in fide Cives ac Senatum teneret, contendit: ſed mœnibus ejus Urbis excluſus, pari contentione Ravennam (*) aſſequutus, ibi ſe fortiſſimæ Urbis munimentis incluſit. Interea iterum victor Gothorum exercitus properato in Liguriam itinere prima Regionis loca ingreſſus, anno CDXC. Kal. Apr. (21) Primariam Urbem Mediolanum affectans ingredi, quo ſe Italici Milites receperant, cum ſe mœnibus excluſum videt, oppugnare aggreſſus, & militari apparatu circumſidens minabatur extrema, niſi deditione facta cladis damna anteverterent. Metu conſternati cives Italicorum militum ſub Odoacre ſtipendia merentium furorem mitigare aggreſſi, Odoacris accifas res, Gothorumque impendentes gladios proponentes ante oculos, minis precibuſque intermixtis demum impetravere, ut, Laurentio, electo Epiſcopo, pacis ſequeſtre apud Theudericum uterentur. Legatus ad Regem Laurentius ſeſe Urbemque ultro victori dedidit (22) publicæ voluntatis interpres. Quare ſoluta obſidione Rex ipſe perhonorifice in Urbem ſumma civium acclamatione deductus eorum felicitati cumulum impoſuit. Italici enim milites quum fide data ſeſe tradidiſſent, ad Ejus ſtipendia & caſtra confugientes, ſacramento militari ſe ob-

(*) Odoacar Ravennam ſe recepit, *VI. Id. Jul.* an. 490. poſt Mediolanum a Theuderico in poteſtatem redactam, juxta Sigon. Op. cit. T. 2. P. 2. ad h. ann. col. 576. A. & Murator. ad ann. 489., qui videntur ſecuti Caſſiodorium in *Chron.* cit. (21) *Cron. Cuſpin.* in Notis ad Sigon. col. 575. nota (54). (22) Sigon. col. 576. B. ſic habet. *Interim Theudericus, Abdua relicto, Mediolanum proceſſit, idque per dies aliquot oppugnavit: ac demum vi, non ſine magno Urbis detrimento, in poteſtatem adduxit, inprimis Laurentii Epiſcopi beneficio uſus.* Vide & Puricell. Sigonii ad hæc verba interpretem in *Vita Laurentii* Cap. VI. n. XII. p. 42. Vide & huj. Op. pag. ſeq. nota (*).

ſtrinxere victori Regi, Hujus virtute ac felicitate perterriti, atque adverſæ Herulorum fortunæ diffiſi. Mediolano in poteſtatem redacta, certatim omnes Liguriæ urbes atque oppida ſe victoris permiſerunt arbitrio. Quædam nova infelici Provinciæ lux libertatis affulgere Populis videbatur nactis legitimum Regem miti ingenio, mira ornatum prudentia, bellica virtute præclarum, qui Hoſte in Flaminiam compulſo, liberam cuique fecerat poteſtatem a Sontio ad Padum uſque, ſilentibus armis, ultro citroque commeandi. Tum noſter Laurentius, ineunte vere electus, *proximo veris tempore* (*) *ſeu menſe Aprili* ab Aquilejenſi Præſule ex vetere inſtituto eſt conſecratus. Civitas noſtra admirata, imo exoſculata eſt novum hunc Antiſtitem, novo item Regi, licet Religione diffidenti, percarum, quem recenti beneficio (23) ſibi obſtrictum Theudericus exinde ſemper cumprimis dilexit ac coluit. Tum miſſæ ex tota Liguria ad Regem perhonorificæ legationes: tum audita Populorum vota pro Regni diuturnitate: tum SS. Ticinenſis Epiſcopus Epiphanius Mediolanum (24) Theuderico gratulaturus advenit, ubi ſummo cum honore ab Ariano Rege ſuſcipitur, & mirifico præconio (25) ornatur: tum demum reſpirare viſa Chriſtiana Religio; tum Italiæ libertas reviviſcere.

(*) Sic Puricell. Cap. VI. §. XI. p. 42. Ergo nonniſi poſt Theuderici Mediolanum adventum, quidquid ipſe diſſentiat; quum Ille *Kal. Apr.* hanc Urbem jam eſſet ingreſſus, ut nuper obſervavimus. (23) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1677. C. ſic Theudericum loquentem inducit: *Quamvis Te, Venerabilis Epiſcope, pro meritorum Tuorum luce ſuſcipiam, & multa apud me confuſionis tempore repoſuiſſes beneficia* &c. (24) Ennod. ibid. col. 1672. D. (25) Ibid. col. 1673. A. idem Theudericus ſic Epiphanium præſentem commendat: *Ecce hominem, cui totus Oriens ſimilem non habet; quem vidiſſe præmium eſt, cum quo habitare ſecuritas. Fortiſſimo muro Ticinenſis Civitas, incolumi Iſto, vallatur, quot impugnantum nulla vis poſſit obruere .... Si qua neceſſitas inter undas certaminum acceſſerit, tutum eſt apud ipſum Matremfamilias deponere, & expeditum excurſibus militare bellorum.*

Italicorum militum defectioni a Tufa excitatæ Laurentius fortiter obſiſtit.

VIII. Serenitatem iſtam verumtamen nova ſtatim tempeſtas excepit. Dum Mediolanum præſentia ſua bearet Theudericus, atque inſtar Theodoſii aditu facilis omnium ſibi obſequium atque amorem demereretur; Italici illi milites, qui nuper ab Odoacre ad ipſum defecerant & transfugerant, ſeu duram Gothicam diſciplinam peroſi, ſeu intercepta prædandi libertate ad ſuos reverſi mores, & ſuapte natura ab juſta militia abhorrentes, ſeu demum collatis inter ſe capitibus, & occultis Odoacris promiſſis ad melioris ſpem fortunæ erecti ac blande deliniti, clandeſtinum agitavere conſilium Theuderici prodendi, quumque aggredi aperto Marte non poſſent, per inſidias circumvenientium opprimendi. Tuba atque incentor occulti belli erat Tufa quidam, quem *Conſularem Virum* appellat (26) Sigonius, licet nullibi in Faſtis ejus legatur nomen; verius autem Blondus (27) *Flaminiæ & Æmiliæ Præfectum*; veriſſime demum Ennodius, tum hic degens, *hominem in perfugarum infamio* * *notitia veteri pollutum* fuiſſe (28) teſtatur. Iſte ſuppoſitum doloſo cineri proditionis ignem eructans, blande ſuadere primum Laurentio aggreſſus, fallacem in Theuderici Regno ſpem Italiæ niti, & majora ab Odoacre ſperari poſſe: inſidioſo tandem Præſulem ſermone pertentavit, ut ipſe Theudericum alliceret, ne Mediolano egreſſus copias explicaret; ſuumque per ambages opprimendi Regis conſilium illi tantum non aperuit. Ad hæc verborum blandimenta fraudem præſentiens aſpero ſupercilio Præſul ſe in Regis ſui obſequio non in conſiliis eſſe profeſſus, interritus fregit perduellis audaciam; nec futuram invidiam reformidans, fraudis tela conſtantiſſime obtudit, legitimo Regi novo,

* *Infamium* tunc temporis pro *infamia* uſitabatur. Puricell. p. 49.

(26) Op. & T. cit. col. 576. cit. C. Dec. I. L. 3. p. 32. G. Ed. Baſil. 1559.

(27) *Hiſtoriar. ab inclinata Rom. Imperio*

(28) In *Vita B. Epiph.* col. 1673.

Italiæ libertati, gregis ſui periculo conſulturus. Sed præſtat Ennodii verbis facti totius ſeriem recitare, qui tum præſens in Urbe viſa & teſtatiſſima omnibus in publica Laurentii laudatione (29) hæc exponebat: *Novellis Te adhuc impoſitæ dignitatis labantem veſtigiis ineluctati temporis ſuſcepit adverſitas: & tyronem Pontificii exercitatiſſimum militem adverſus libertatem impacta bella reddiderunt. Tu Prædonis neſciſti timere ſævitiam: Tu blandimentorum (quod in malitioſis nocentius telum eſt) ſcuto conſtantiæ venena reſpuiſti. Quotiens Te, qui certamine non potuit, inſidioſa honorificentia laceſſivit? Quotiens in damno bonæ opinionis ſervitii ſui Te credidit figmenta ſuſcipere? hoc a Te poſtulans, ut adhibito Hoſtem colludio * intra Urbis muros concluderes, & ovium Tuarum diſſipanda Lupis membra præſtares: paris facti, quod dictu nefas eſt, multorum exempla ſuggerens. Quæ quidem Tu vitanda deſpiciens; & ad vindictam ſereni temporis ſervans, memoriæ commiſiſti: deteſtabilia retinens, ne per oblivionem impune tranſirent: & maiorem horrorem exceſſibus debens, dum ruinam metuis aliorum.*

* De hac voce vide Puricell. p. 52.

IX. Dum hæc molirentur perduelles Italici Milites, Duce Tufa; explorato eorum conſilio Theudericus Mediolani munitionibus diffiſus, ocyus motis hinc caſtris, cum univerſis copiis & impedimentis XI. Kal. Sept. Ticinenſem ad urbem properans magna ex parte Fluvio protectam, aliunde vallo, foſſa, & mœnibus opportune defenſam, tantam ibi Gothorum multitudinem repente contraxit, cui capiendæ vix Urbs illa (30) ſufficeret. Tufa, Duceſque cum ſeditioſis feſtinato itinere ab Oſtilienſi Oppido, ubi a deſertoribus conſilium defectionis agitabatur, ut Blondus (31)

Theudericus Ticinum confugit. Tufa Mediolanum diripit: Laurentium Epiſc. & cives captivos abducit. Theudericum obſidet.

(29) Dictio I. *In Natali Laurentii* cit. col. 1730. ſub finem. (30) Ennod. *Vita B. Epiph.* col. 1673. C. (31) Dec. 1. Lib. 3. p. 32. citt.

Digitized by Google

ſcribit, Mediolanum verſus infeſtis ſignis properantes, ubi ſe opprimendi Theuderici ſpe dejectos vident, qui Ticinenſem in urbem receptus eorum furorem eluſerat, in rabiem converſi in noſtram irrumpunt; & Populum cum Paſtore Laurentio captivum vexantes, indigniſſimis injuriis laceſſitos e tectis ac muris ejiciunt omnibus vitæ præſidiis deſtitutos. Mox prædæ inhiantes per domos diſcurrunt, populantur, diripiunt, deſæviunt tandem in pulcherrima Urbis opera, XXX. vix ante annis poſt Attilæ excidium ab Euſebio ac civibus reſtituta. Qui tum in ſua & Populi miſeranda calamitate eſſet Laurentii noſtri animus, operæ pretium eſt ex Ennodio ipſo (32) ediſcere: *Sed, remotis dicendi obſtaculis, veniamus ad illa, quæ religioſo ſunt digna memoratu. Cum hoſtilis irruptio more pecorum Chriſtianum Populum per diverſa diſtraheret, Tu variorum generibus cruciatuum capiebaris in omnibus; Tu paterna conventus pietate ſuſtinebas tormenta multorum, ut ait Apoſtolus:* * Quis veſtrum cruciatur & non ego? *Inter iſta tamen fractum Te non vidit adverſitas. Hoc triumphis ſuis decerpi ſenſit inimicus, quod capti Sacerdotis* (Laurentii) *animum non ſubegit. Pugnabas adhuc pro abſolutione plurimorum: & Tibi nihil metuens, de Plebis Tuæ anxietate pendebas . . . . Taceo inediam, frigus, & injurias, & illa, quæ Tibi inimici animus providit, augmenta morborum* &c.

* II. Cor. 11. 29.

Furore ſatiato, & præda onuſto rebellium Italicorum exercitu, *Tuſa* (neque enim *Odoacrem* nominat (33) Ennodius, ex cujus fonte haurire debuiſſent recentiores Hiſtorici, qui tamen *Tuſæ* loco *Odoacrem* (34) ſubſtituunt, Ravennæ eo tempore degentem atque

(32) *Dictione* I. cit. illico poſt nuper recitata verba c. 1731. B. (33) Ibid. (34) Sigon. ibid. col. 576. C. *Quo facto Odoacer* (verius Tuſa) *acceſſit, atque Urbem* (Ticinum) *circumfuſo milite obſidere, hoſtemque præliis atque oppugnationibus creberrimis fatigare contendit.*

atque in Urbem validius muniendam intentum) intelligens, ipſo Theuderico ſuperato rei totius cardinem verſari, eoque incolumi nihil agi prorſus, aut actum hactenus, Ticinenſem ad Urbem oppugnandam ſero nimis animum convertit totamque belli molem.

Rebelles in fugam Theudericus conjicit. Ravennam properat. Gundobadi Burgund. Regis in Ciſalpinas regiones irruptio.

X. Etenim Rex inibi, Suorum animis ex improviſo defectionis terrore confirmatis, ſtrenue intentus in mœnium munitiones, & vigilum ſtationes opportunas diſponendas, præſidium Sibi ex hoſtium mora captabat, quibus Mediolani bacchantibus, Ipſe futuræ oppugnationis pericula antevertebat. Favebat, Epiphanio (35) teſte, Gothorum Regi ipſa cæli tempeſtas. Nam, quum raptim Theudericus ſe in Urbem Ticinum, ſalvis omnibus, receppiſſet, & furori ſuo indulgentes rebelles fruſtra Autumnum inter rapinas, cædes, & incendia Urbis noſtræ elabi improvidi ſinerent ea ſpe, quod per brumalis aeris inclementiam forent arma e manibus Gothorum excutienda; contra ipſorum votum mitiore & diuturna cæli clementia uſi Gothi perſtare tuti in excubiis videbantur, loca obeuntes ad defenſionem opportuna, imo & Hoſtem crebris eruptionibus identidem fatigantes. Victi demum inanis oppugnationis tædio & exitio, deſperare de felici obſidionis exitu, & paucitatem Suorum formidare; quum alii ſemper ex aliis Gothi ſuccedentes firmiores pertinacius invadentibus obſiſterent. Quare infelicibus ſæpe præliis uſi, ad extremum obſidionem ſolvere coacti longe a mœnibus receſſere. Tum Theudericus, collectis Suorum turmis ultro hoſtes laceſſere aggreſſus & juſto exercitu

Vide Blond. loc. cit., Sirm. ad Ennod. *Diſſ.* 1. col. 1729. nota *a*; Puricell. Op. cit. Cap. VIII. p. 48 & ſeqq. Sed Frycius Puteanus *Hiſt. Inſubr.* L. 1. p. 64., Murator. *Annal.*, & alii de *Tuſa* ſilent omnino.

(35) Ap. Ennod. in *Vita* ejuſd. *B. Epiph.* col. 1676., E. Sigon. col. 576. D.

Digitized by Google

aperto Marte configere, palabundis inſtare, obvios obtruncare, recedentibus pede preſſo inſiſtere, urgere ordines, turbatos propellere, donec pleriſque per agros mutilatis vel diſperſis victor in Urbem regrediens Suos æque ac Ligures metu omni liberavit; quum hoſtes inter & Gothos Padus, quem præcipites Itali trajecerant, intereſſet. Mox funditus everſurus Theudericus æmuli Regis conſilia, qui, ſuppeditatis identidem auxiliis elanculum ſpem fovens perduellium, incertam ſemper jam partæ Liguriæ poſſeſſionem eſſet facturus, trajiciendi Padi conſilium iniit cum ſelectiſſimis Gothorum, Odoacrem veluti feram immanem intra ipſa cubilia oppreſſurus. Quare (36) Uxore ac Sororibus Epiphanio commendatis, & calonum lixarumque multitudine ceteriſque belli impedimentis Ticini ſub ejuſdem S. Epiſcopi tutela relictis, ocyus tota Gothici belli moles in Flaminiam incubuit ſub exitum Conſulatus Fauſti Junioris; quo Conſule, ſeu anno CDXC., quum ver appeteret, feliciter pugnatum a Theuderico ſecus Adduam, & Rex victor Mediolani potitus ſubſedit, ac Ligurum legationes excepit, itemque deficientes Italicos milites ſibi ſacramento obſtrictos fideles habuit uſque ad XI. Kal. Sept.; qua die propter eorundem Italicorum perduellionem ſe Ticinum recepit, &, direpta a *Tufa* ſeditionis auctore Mediolanenſi Urbe, rebellium oppugnationem ab ipſo tentatam viriliter ſuſtinuit, eorumque impetum glorioſe repreſſit, & juſto tandem prælio fugatos trans Padum compulit hieme ingruente. Sed nondum e Ticinenſibus munimentis diſceſſerat Theudericus, quum novus belli turbo exitialis maxime intonuit, imo erupit. * Diſtractis nimirum ancipiti contentione

* An. CDXC. vel CDXCI.

(36) Ennod. col. 1673. A. Item *Hiſt. Miſcella* inſ. *Rer. Ital. Script.* T. 1. p. 100. col. 1. E.

Gothis Heruliſque, & de Regni poſſeſſione dimicantibus, *Gundobadus* (*) Burgundionum Rex, qui Lugdunenſem Galliam uſque ad Alpes occupaverat, in omnem Regni augendi occaſionem intentus, pervia atque omni nudata præſidio Alpium clauſtra, nemine obſiſtente, perrumpens, atque in proximam montibus planitiem longe effuſus, magna cum armatorum multitudine Cottiis Alpibus & circumjacenti late regioni fœdam ac miſerandam non ſolum intulit vaſtitatem, ſed ſpem ipſam reſtituendæ in meliorem ſtatum, & cladis reparandæ intercepit. Etenim cultores agrorum quoſque, familiaſque integras metu armorum conſternatas, ſeſeque ultro dedentes quum in vincula conjeciſſet, abduxiſſetque in Gallias, veſtigia crudelitatis ſuæ in futurum tempus non leviter impreſſa reliquit. Atque hæc Taurinatium & finitimarum regionum improviſa & ſæva vaſtitas magnam quadriennio poſt laudis & gloriæ ſegetem Theuderico Regi atque Epiphanio Ticinenſi peperit, ut inferius (37) videbimus; quorum Ille Ærario Regio, Hic legatione, tam miſerandæ injuriæ & cladis memoriam deleverunt.

Theudericus Ravennam obſidet. Laurentii e Tuſana captivitate reducis, & Epiphanii Ticinenſ. per hæc tempora Paſtoralis ſollicitudo.

XI. Hic porro erat in Liguria rerum ſtatus, quum poſtea Theudericus anno CDXC. exeunte in Flaminiam progreſſus ſtrenue urgere Odoacrem cœpit, & totis viribus de Regno Italiæ cum Herulis Ravennæ decertare. Tribus jam itaque præliis infelicibus edoctus Odoacar adverſam belli fortunam vereri; neque ultra ancipiti pugnæ aleæ committendam ratus pulcherrimæ Provinciæ poſſeſſionem, Ravennæ urbis fortiſſimæ monumentis, cujus

(*) De Gundobadi irruptionis tempore diſcrepant inter ſe Hiſtorici; quippe Auctor *Hiſt. Miſcellæ* (p. 100. col. 1. E) quem nos hic ſequimur, Blond. loc. cit., & Triſt. Calch. ad ann. 489., de hac mentionem injiciunt antequam Theudericus Ticino diſcederet Ravennam progreſſurus. Eryc. Puteanus loc. cit., Sigonius ad an. 490. col. 575. B. præpropere eam collocant poſt Theuderici pugnam ad Sontium. Muratorius demum (ad an. 490.) ſuſpicatur, accidiſſe potius anno 491. Quis verius dixerit, Eruditi viderint. (37) Cap. II. Sect. II. ad ann. 494.

difficillima, aut ſaltem diuturnior futura videretur oppugnatio, ſe continere conſtituit. Eo progreſſus nullo obſiſtente Gothorum Rex caſtra contra Urbem triſariam diſtribuit; primo ad *Pineta* tertium ad lapidem diſtantia; mox ad *Palatiolum* Ravennæ ſuburbanum; demum ad *Candidii* ſive *Candidiani* Pontem, tribus amplius poſt Sæculis ab Agnello (38) *Candiani* appellatum, unde amnis in Mare Adriacum influebat, ac etiamnum *Candiani* nomen (39) retinet; nequid ad obſeſſos annonæ aut auxilii poſſet induci. Antequam vero diuturnam Ravennæ obſidionem (ea enim triennium (40) tenuit) & belli in Flaminia ſuſcepti vices evolvam, dolor me prius in patriam revocat, unde fuerat a Tuſa exturbatus noſter Antiſtes Laurentius, qui (41) poſt *inediam*, *frigus*, & *iniurias*, quas in ea perſecutione pertulerat, metu tandem hoſtium ſolutus, & captivitate (*) redux, diſperſum recolligens gregem in ovile revocabat. Verum, proh dolor! exclamare jam libet, & Ennodii verbis (42) ipſum Laurentium alloqui: *Lætitiam ceteris Tuo dediſti de reditu, Tu regreſſus ad lacrymas. Tunc more avium, quibus, dum terra nivibus veſtitur, & alicuius loci in ſpem cibi ſpoliatur anguſtia, videres, quæ remanere potuerunt, plebis reliquias confluxiſſe, & ad boni Paſtoris præſentiam undique fatigatis balatu nemoribus greges accurrere. Alios tunc multiplici ſuſtentandi genere mulcebas affatu, alios reficiebas impendio, alios hortaba-*

(38) *Lib. Pontifical*, L. 1. Cap. 3. in *Rer. Ital. Scr.* T. 2. P. 1. p. 66. col. 1. (39) Vide Magini Tab. Geogr. *Romagna olim Flaminia*. (40) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1674. E *Sub tali cruce triennium duxit* Epiphanius, Gothorum ſcilicet inſolentiam Ticini ſuſtinuit, donec Ravennæ obſidio perduravit. Item Procop. *De Bello Goth.* Lib. 1. Cap. 1. *Jam annos tres Theodericus & Gothi Ravennam circumſederant fruſtra* &c. Item *Hiſt. Miſcella* p. 100. col. 1. E. *Theodoricus Ravennam perrexit .... per continuum pene triennium Odoacrem obſedit*. (41) Ennod. *Dict.* I. col. 1731. D. (*) Puricell. Cap. IX. n. XII. p. 59. ſerius differt *Laurentii* reditum ad annum ſcilicet 493., poſt captam a Theuderico Ravennam. (42) Ibid. col. 1732. B.

Digitized by Google

ris exemplo. Interim dum diſſipata Mediolani reficit, & hoſtilium injuriarum memoriam delet Laurentius, Ticini Epiphanius novas ſibi a Gothis contumelias patitur. Ibi, dum otioſa & ſine hoſtium metu Gothica fæx ac turba depoſita quieſceret, impune hoſtium more barbari hoſpites verſabantur. Quare, dum Laurentius gregem in ovile reduceret; Epiphanius, ne diſpergeretur, laborabat: Ille reficere eſurientes; Hic repellere conabatur injurias: Ille damna illata ſarcire; Hic autem, ne inferrentur, ſtudebat: Ille liberalitate Suos; Hic patientia ſuſtentabat: Ille demum felicior, quod ſollicitudine ſua Civitatem ſolaretur; Hic vero, quod omni Paſtorali officio vix impetrare poſſet, ne periret. Hinc diverſa admiratus utriuſque Antiſtitis ſtudia Ennodius ſic Laurentio (43) gratulatur: *Brevi poſt in antiquum ſtatum, quæ Tibi poſt Deum debetur, Urbs iam ſepulta revaluit; & quæ non credebat in ſe reparari poſſe, quod fuerat, cœperat iam meliora æmulari. Tunc, qui vitæ uſus eſt, iam cernere erat omnia ad latiorem profectum bonis ſucceſſibus invitari*. Ex adverſo, Epiphanii in tanta calamitate vicem miſerans, ſic (44) exclamat: *Jam ſi illa retexam, quas inimicorum ſuſtinuit inſolentias, quibus laboravit immiſſionibus, quali procellas peſſimorum virtute contempſit, ad hæc enarranda lingua non ſufficiet . . . . Sub tali cruce triennium duxit, ſoli Deo dolorum ſuorum ſecreta manifeſtans, a quo miniſtrari ſibi clandeſtinum poſcebat auxilium*.

XII. * Sed jam victorem Regem in Ravennatis urbis obſidionem intentum proſequamur. Se terra marique circumſeſſum videns Odoacar, diſſimulato certaminis, a quo certe abhorrebat, me- Theuderici geſta primo Ravennatis obſidionis biennio. * A. CDXCII.

(43) Ibid. col. 1732. cit. C. (44) In *Vita B. Epiph.* col. 1674. E.

tu, ingentes præ ſe animos ferens, cum maximo apparatu eruptionem ex Urbe in obſidentes ſtrenue aggreſſus, ubi ſe validius urgeri ac premi a Gothis ſenſit, dato ocyus receptui ſigno, vincendi ſpem amiſit, & dimicandi conſilium abjecit. Quare Theudericus, ne tempus tereret, hoſte neglecto, obſidione tamen non intermiſſa, cum ſelectis copiis in proximas Civitates bello appetendas digreſſus, Arimino potitus, tempus, quod erat, reliquum in prohibendis maritimis Ravennæ ſubſidiis ac commeatibus inſumpſit. Hinc munitas caſtellis naves (*dromones* Græci vocant) Fluvio crebras impoſuit ſolertiſſimis inſuper munito excubiis, maritimos quoſque obſedit aditus, ne impune quidquam in obſeſſam Urbem influeret. Hieme deinde appetente, diſpoſita item in proximis pagis atque deditis oppidis ſtativa militum opportuna eruptionibus hoſtium reprimendis obſtruendiſque callibus, per quos neceſſaria incluſis ſuppeditari poſſent. Hiberno igitur tempore per otium elapſo, mox per levia prælia militiæ utrinque exerceri cœptæ, neutro ſemper inclinante victoria. Quapropter proficiendum ratus Theudericus, neque per deſidiam hoſtium abutendum Suorum virtute, cum ſelecto Gothorum agmine obire Flaminiæ & Æmiliæ munitiora loca atque ad deditionem compellere ſtatuit. Hiſque etiam ſumma felicitate in poteſtatem redactis, Cæſena excepta utpote firmiſſimo munita præſidio, quum tuta circum videret omnia, Matrem ac Sorores Ticini in fide Epiphanii depoſitas exeunte Sextili menſe (uno auctore (45) Sigonio, ſynchronis, quod ſciam, Hiſtoricis de hoc ſilentibus) ad ſe revocavit in caſtra; quarum adventu Rex quidem recreatus eſt; haud ita Epipha-

(45) Op. cit. ad ann. 491. col. 579. B.

nius, quem, quo magis invaleſcere debebat propter Regiæ Familiæ abſentiam Gothorum ibi jampridem debacchantium licentia, eo vehementius conflictatum fuiſſe crediderim.

Dedita tandem Ravenna, pacis conditiones inter Odoacrem & Theudericum initæ. *A. CDXCIII.

XIII. Frigeſcente itaque apud Ravennam bello, quod vix ab induciis diſtare videbatur; * initio tamen anni tertii ſupra nonageſimum & quadringenteſimum ſopitum belli hujus incendium exarſit, tabeſcentibus primo præ fame Ravennatibus civibus, militibuſque annonæ præſidio laborantibus. Periculo communi excitatus Odoacar, ab armis tandem petere præſidium deliberavit, omniumque ſalutem ſupremo prælio committere. Igitur ſilenti nocte, univerſo educto ex Urbe exercitu Hoſtem aggreſſus tanto impetu in aciem irruit, ut Gothi ſenſim pedem referre cogerentur (46) & Theudericus ipſe turbatis ordinibus fruſtra obſiſtens, ad caſtra fugiens ſe reciperet. Cui irata ſeſe objiciens Mater (47) virili voce & animo, Quo fugis, inquit, fili? num in maternum redire uterum putas? Quo probro irritatus Rex tanto ocyus eſt rubore perfuſus atque ſuccenſus, ut repreſſo ilicet gradu, qui civium aderant, iterum in aciem & ordinem collectis, gladium & vultum in Hoſtem converterit; & ferocior deliberata aut morte, aut victoria, Suorum fortiſſimis adjunctis & ad pugnam revocatis, prælium virilius inſtauraverit, & præcoce exſultantes victoria hoſtes magna edita ſtrage proſtraverit, inque mœnia compulſos docuerit famem bello præferre. Hoc excedentem prælio, & ſanguine hoſtili perfuſum læta excipiens & amplexa Mater, filium ſuum confeſſa recognovit, quem antea uti degenerem a ſe repulſum in media hoſtis arma conjecerat. Interim repulſi in Urbem Heruli

(46) Sigon. ad ann. 493. col. 579. (47) Sigon. ibid. col. 580.

extorta e manibus palma verecundiores, neque novam ſubire prælii aleam parati, urgente exterius Theuderico, interius rei cibariæ penuria præ Gothis infeſtiore, cives obſeſſos reformidabant; qui in ſummam rerum omnium egeſtatem atque hinc in deſperationem acti, acciſa ſpe melioris fortunæ, extrema omnia iis, quorum cauſa patiebantur extrema, identidem minitabantur. Sed ad mitiora conſilia reverſi, interveniente (48) Joanne Ravennæ Epiſcopo, Cives aſſenſi ſunt demum, ut, legatione ad Theudericum miſſa, Urbis deditio honeſtis conditionibus tranſigeretur. Imo legatis ſæpe ultro citroque miſſis, conditiones tandem impetratæ ſunt honeſtiſſimæ, ſi promiſſis fides ſtetiſſet. Conventum itaque ictumque hoc pacto inter utrumque Regem fœdus, ut pari jure & æquato Imperio in Urbe atque Italiæ Regno uterque dominaretur. Igitur III. Kal. Martias, Albino Conſule, ſeu anno CDXCIII., laxata a Theuderico obſidione, Claſſem, ſive munitum Ravennæ Portum, pacifice ingreſſus; deinde III. ejuſdem menſis Nonas, procedente obviam Epiſcopo Cleroque cum ingenti Sacrorum pompa Ravennam intravit; & mox in Palatium ad Odoacrem digreſſus, Regem honorifice habitum ſumma etiam familiaritate ac benigno colloquio excepit.

Theudericus imperata Odoacris & Primorum Herulorum nece ſolus in Italia regnat. Gothi, Ticino relicta, Ravennam contendunt.

XIV. Brevi tamen patuit, inſidam eſſe Regni ſocietatem, & duos capere Aulam non poſſe. Paucos enim poſt dies ſplendido adhibitum convivio Odoacrem ſibi certam petentem attribui Regni partem Theudericus, non hoſpitii fidem reveritus, pactorum immemor (neque enim ſemper ſibi conſtat Barbarorum ingenium)

(48) Procop. L. 1. c. 1. in *Rer. Ital. Scr.* T. 1. p. 248. col. 1.

genium) ad Gothicos mores ſuamque indolem reverſus, repente ſtructas ſibi a Rege inſidias cauſatus, immiſſis ex improviſo ſatellitibus, obtruncandum una cum Herulorum Primoribus (49) imperavit, vel ipſe ſua manu obtruncavit. Sic pollutis Regio ſanguine cœpti (*) jam Regni auſpiciis, Odoacris metu verius, quam inſidiis liber Theudericus Imperium proditione acceptum, virtute exinde confirmatum, more tandem vere Romano viſus eſt adminiſtrare. Etenim Regio prorſus animo ad Reip. ſtatum componendum converſus, primum barbarico Gothorum cultu depoſito, Regiaque purpura (50) indutus, coaleſcere in unum Regnum ſingulis Provinciis juſſis, Dalmatiam ac Rhætiam ab Odoacre poſſeſſas Italiæ adjunxit, futuram utramque ab Oriente ac Borea firmiſſimum in Barbaros propugnaculum; quum Hiſtria munitionibus olim ab Attila Rege nudata & incolis deſtituta jaceret. Ad Siciliam item Italiæ horreum, quam pridem Odoacar (**) precario nomine annuum tributum parans a Genſerico Vandalorum Rege impetraverat, redigendam in obſequium Præfecti illic Caſſiodorii opera ſollicitus curavit. S. P. Q. R.um habuit ſemper commendatiſſimum, Anaſtaſii in Oriente Auguſti, qui biennio ante Zenoni ſucceſſerat, litteris ac monitis (51) ad eorum amicitiam religioſe colendam ſollicitatus atque impulſus. Ravenna tandem propter loci opportunitatem in Regiam Sedem electa, perſequi belli reliquias in Liguria hærentes conſtituit. Etenim, quum primum Ticini diſſeminatus invaluiſſet rumor apud ſedentes ibidem Gothos relatæ a Theuderico victoriæ Herulique Regni ferme deleti; excitata in ſpem

(49) *Hiſt. Miſcell.* L. 15. *Rer. It. Scr.* T. 1. p. 100. col. 1. E. It. Procop. L. 1. c. 1. p. 248. D. It. Jorn. *De Reb. Get.* c. 57. p. 220. B. & al. ap. Murator. *Annal.* ad ann. 493. (*) V. p. 158. nota (11). (50) Jorn. c. 57. cit. in fine. (**) Vide ſup. pag. 149. (51) Ap. Caſſiod. L. 1. Ep. 1.

melioris fortunæ multitudo Gothorum ibi a novo Rege depoſita, ſibi magis, quam Theuderico, gratulatura, vacua, in qua hoſpitabatur, Urbe relicta ocyus Ravennam, triumphans gaudio, contendit, domicilium (52) in Sede Regia tutius atque opulentius habitura.

Friderici Rugorum Regis ab Theuderico defectio. Rugi rebelles Ticinum Gothis vacuam occupant.

XV. Infeliciori conditione & rerum ſtatu Ticinenſis Urbs, digreſſis Gothis poſt captam Ravennam atque Odoacris cædem, præſidiariis ac defenſoribus vacua, *Rugis eſt tradita*, ut ſcribit (53) Ennodius. Equidem maluiſſem, Ennodium hoc loco clarius ſeriem hujus facti explicaſſe, ut facilius in ipſius cubilia ingrederemur. Sirmondus ipſe (54) nihil ad rem profert, vixque indicat, Rugis traditam Ticinenſem Urbem anno CDXCIII., quod nemo non videt; quum aperte dicat Ennodius, Gothos poſt captam Ravennam Ticino digreſſos, & poſt horum digreſſionem Rugos eam Urbem invaſiſſe; quorum utrumque eo ipſo anno eveniſſe, cunctis eſt teſtatiſſimum. Inquirendus igitur eſt modus, & cauſa, quibus *Rugis tradita* fuerit Urbs Ticinenſis. Quanquam minus vere *traditam* dixit Ennodius, & verius dixiſſet a Rugis occupatam. Nullum, quod ſciam, Scriptorem habemus coævum, qui de Rugico hoc bello meminerit. Feliciter factum eſt, ut alibi Ennodius ipſe, qui tenebras haſce in Vita Epiphanii offudit, lucem deinde aliquam ad eas diſſipandas obtulerit. Is igitur in Theuderici Panegyrica Oratione, quam, teſte (55) Sirmondo, Mediolani, aut Ravennæ Rege ipſo præſente recitavit, nos docet, Fridericum, Rugorum Regis Felithei ſeu Febæ filium, auxiliariam manum dediſſe Theuderico ad invadendam Italiæ partem, deinde

(52) Sigon. init. Lib. XVI. ad ann. 493. col. 581. B. (53) In *Vita B. Epiph.* col. 1674. E. (54) Ibid. nota *c*. (55) T. 1. col. 1594. Nota *a*.

arma contra Ipſum (56) ſumpſiſſe. Proxime igitur ad veritatem me putem accedere, ſi dixerim, defectionem hanc Friderici eo tempore initium habuiſſe, quo depoſita illa Ticini imbellis Gothorum multitudo, audita Herulorum Regis cæde, Ravennam properavit victoriæ Gothicæ fructum perceptura. Eo tempore Fridericus fructum ſibi ejuſdem victoriæ, in cujus partem venerat, antecapere Rege inconſulto deliberavit; Ticinumque cum Rugis ſuis omni præſidio vacuam ingreſſus hoſtiliter more Barbarorum invaſit, ibique crudeliter cum Suis verſatus eſt ferme biennium, ſcilicet a capta Ravenna, ſive ab ineunte vere anni CDXCIII. uſque ad finem anni inſequentis. Hoc ipſum affirmat Ennodius (57) in *Vita B. Epiphanii*, qui quotidiana Barbarorum ſcelera & crudelitatem non interruptam deſcribit.

Rugos tandem Theudericus per Duces ſuos profligat, & ab Italia pellit, Friderico Ipſo interempto.

XVI. Certe perditiſſimos quoſque Rugorum Fridericus in conſortium defectionis adſciverat; nam ceteri Rugorum fidiſſimi fuere Theuderico, qui, eo regnante, in unum córpus coaleſcentes fidem invicem coluere, atque ex eo rem bellicam in commune ſemper tractarunt, teſte (58) Procopio; adeo ut, *Ildibado* Gothorum Rege interfecto, Gothi ipſi Regem *Eraricum* natione Rugum ſubſtituerint. Fridericus itaque perduellis cum perditiſſimorum Rugorum manu feliciter in perduellione perſiſtens Epiphanii patientiam ferme biennium exercuit, donec Theudericus novi Regni diſponendi atque muniendi curis implicitus aut hujus proditionem diſſimulare, aut negligere potuit. * Ubi primum a Regni adminiſtra- *An. CDXCIV.

(56) Col. 1606. B. Vide, quæ infra recitabimus p. ſeq. (57) Col. 1674. & ſeq. *Poſt hinc digreſſis Gothis Civitas Ticinenſis Rugis eſt tradita, hominibus omni feritate immanibus: quos atrox & acerba vis animorum ad quotidiana ſcelera ſollicitabat; diem putabant periiſſe, qui illos ſine facinore, caſu aliquo interveniente, fugiſſet .... Cum quibus tamen integrum pene biennium exegit* (Epiphanius) *taliter, ut ab Eo flentes diſcederent, etiam ad parentes & familias regreſſuri.* (58) L. 3. c. 2.

tione remiſit animum, oculoſque in tot Provinciis ordinandis defixos uſque ad extremas Italiæ oras in Liguriam, & Ticini præſertim miſerandum ſtatum, deflexit; fremens atque indignans, ſe ab hoſte vexari indigniſſimo proditore, qui olim patrocinium ac tutelam a ſe implorans fuerat ſervatus; rebellem in Regni ſui initio Sibi adverſantem compeſcere armis conſtituit atque per Duces ſuos aut in officio continere, aut proſternete deliberavit. Theuderici igitur alibi agentis juſſu per Duces Ipſius comparata eſt Gothorum prompta & expedita acies Ticinum verſus ad elidendam perduellis Friderici Rugorumque hoſtium conjurationem. Videntes autem Rugi Ticinenſes ſe bello appeti, orta inter eos diſcordia, aliis Theuderico, aliis Friderico faventibus, certare, imo pugnare inter ſe viſi ſunt Rugi; quare ſecum ipſi digladiantes & arma diſtringentes Theuderico uni (59) vicerunt. Fridericus enim in hac Rugorum ſuorum diſcordia eo bello interemptus eſt, & felicitati Gothorum Regis vertendum fuit; quod, qui Theuderico toties vicerat Fridericus, quum fidem Ei datam violaſſet, *hoſtes ſuos interitu comitatus eſt*: ſcilicet, qui Odoacris, idem Friderici interitus fuit. Hic mihi videtur Ennodii ſenſus, dum factum hoc narrat in Theuderici Panegyrica oratione: quod ſi quis ex ipſius verbis

(59) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1675. B. *Poſtquam vero perfuncto ces eſt miſero fatalique bello, & vicit Is, cujus poſt triumphum ſpoliorum vagina gladium nullus adſpicit: qui præſumptionem exercitus ſui cum prælio terminavit* &c. Ibid. col. 1676. in fine, ſic ad Theudericum converſus profatur: *Quoties inimici Tui ceciderunt mucronibus ſodalium ſuorum?* Item in *Panegyr. Theuderici*, col. 1606. A. *Illud quoque quis patiatur notitiæ perire, quod bono felicitatis Tuæ concurrentia inter ſe vidimus tela perfidorum, & inimicas acies Te occupatum in aliis, pia congreſſione cecidiſſe? Quotiens Tibi vicit, qui contra Te ſumpſerat vota pugnandi? Dicat Fridericus, qui poſtquam fidem læſit, hoſtes Tuos interitu comitatus eſt; contra illos arma concutiens, quibus fuerat errore ſociatus: quando nata eſt inter ſceleratos de hoc, quod intelligebant, ſe unum velle diſcordia .... Nam Fridericus, poſtquam Tibi de adverſariis Tuis peregit triumphum, de ſe præbuit.*

Digitized by Google

aliam conficiat hiſtoriam, in ea ſtili Ennodiani Sphinge meliorem Œdipum exſpecto, qui felicius hiſce Scriptoris ambagibus lumen afferat. Quod tamen ex Ennodio dilucide liquet, illud profecto eſt, per interitum Friderici perduellione feliciter oppreſſa, Ticinenſes Rugos, qui hujus partibus ſtuduerant, juſſos a Theuderico remeare ad patrios lares, & Italiam deſerere; qui ægre admodum inde cum lacrymis divulſi teſtati ſunt, lenitate potius Epiphanii, quam Theuderici imperio, victos Ticino (60) abſcedere.

CAPUT SECUNDUM.

Nova Theuderici ſtudia pro Rom. Rep. & Italiæ Regno firmando. Singularis Ejus in rebelles Italicos humanitas, Laurentio & Epiphanio ad Regem legatis exorantibus.

Sic compoſito Reip. ſtatu, & metu inteſtini belli liber Theudericus quum non Herulos dumtaxat, qui in Odoacris partibus fuerant, Sibique poſtea ſacramento fidem obligaverant, verum etiam Rugos quoſque ſibi fidos, qui a Friderici perduellione alieni fuerant, in unum Gothicæ nationis corpus juſſiſſet coaleſcere; utriuſque gentis opera fideliter exinde atque feliciter eſt uſus, ut pluribus in locis nos docet Procopius in *Belli Gothici* Libris: atque ad pacis & Regni moderandi ſtudia converſus, repoſitum tandem in vagina ſemel gladium, Ennodio (1) teſte, toto diuturni Regni ſui

(60) In *Vita B. Epiph.* col. 1675. init. ſic ait: *Quos tamen beatiſſimus Antiſtes* (Epiphanius) *ſermonum ſuorum melle delinibat* (ſcilicet Rugos) *ut effera corda auctoritati ſubmitterent Sacerdotis, amare diſcerent, quorum pectora adiis ſemper fuiſſe dedicata cognovimus. Mutata eſt per meritum Illius perverſitas naturalis, dum in honoris mentibus radix peregrina apud illos affectionis inſeritur. Quis ſine grandi ſtupore credat dilexiſſe & timuiſſe Rugos Epiſcopum, & Catholicum, & Romanum, qui parcere Regibus vix dignantur? Cum quibus tamen integrum pene biennium exegit taliter, ut ab Eo flentes diſcederent, etiam ad parentes & familias regreſſuri.*

(1) In *Vita B. Epiph.* col. 1675. B. cit.

tempore nunquam eduxit. Quare ſapienti Decreto, ut Barbarorum eam colluvionem in officio contineret, præcaveretque novæ defectionis diſcrimina, ſevero Edicto in eos animadverſurus, qui vel Tufæ, vel Friderici tempore defeciſſent, ſanxit, ut (2) quotquot ex Italicis in eorum conjunctionis ſocietatem aut partem veniſſent, omni jure teſtandi atque legandi Romanorum more exciderent. Acerba hæc quidem, ſed juſta, Regis ſanctio percellebat Italicos præſertim & Ligures, qui in Tufæ & Friderici motibus notati perduellionis nomine tenebantur. Nam, ſi Regio Decreto *iis tantum Romanæ libertatis ius tribuebatur, quos partibus Ipſius* (Regis) *fides examinata* (3) *iunxiſſet*; Ciſpadanorum ferme omnium Romana libertas periclitabatur, quorum fides aut certe violata, aut dubia ſaltem apparere debuiſſet, adeoque duro examini ſubjicienda. Hinc undique in Liguria pavor & luctus. Quare primo a Ticinenſibus hoc præſertim crimine recenter per Rugorum defectionem implicitis cum clamore & ejulatu concurſum eſt ad Epiphanium Theuderico gratiſſimum propter Regiæ Familiæ hoſpitium; rogatuſque, ut Patriæ ac Suis in tanto periculo apud Regem præſto eſſet: qui confeſſus imparem ſe tanto oneri ſuſtinendo, impulit rogantes, ut adjuncto ſibi legationis principe Laurentio Mediolanenſis Eccleſiæ & Italicæ Diœceſeos Protomyſta ipſa legatio plus ponderis ac dignitatis habitura corroboraretur. Probatiſſimæ apud Regem fidei erat Laurentius, atque aptiſſimus pro Rebellibus veniæ deprecator, utpote qui, ne Illi data fides violaretur, vincula & exilium toleraverat. Totius itaque Italiæ rogantis

(2) Ibid. ſub fin. ſic ait: *Illos vero, quos aliqua neceſſitas diviſerat, ab omni juſſu & teſtandi, & ordinationum ſuarum ac voluntatum licentia ſubmoveri.* (3) Ibidem ante mox recitata verba.

precibus commotus Laurentius cum Epiphanio Ravennam profeċtus legationis ſuæ ſummam, collatis capitibus, in hanc ferme ſententiam conceptis verbis digeſſere, ut Regi primum (4) exponerent: Quibus & quantis Dei beneficiis adjutus Rex ipſe Italicum Solium aſcendiſſet: Odoacrem a Deo ab eodem Solio deturbatum propter crudelitatem: Videret proinde Theudericus, ne Rex vix factus ejus Se criminis reum faceret, cujus cauſa Odoacar fuerat ejectus: Regium plane eſſe divinumque in parcendo ſubjectis Dei clementiam ac bonitatem imitari; Ulciſci autem prorſus inhumanum. Patrocinio itaque perduellium ſuſcepto Nobiles Legati cauſam Italicorum apud Regem precibus, non rationibus, acturi benigne tandem a Rege admittuntur: Epiphanio data (5) a Laurentio dicendi copia, patienter audiuntur; mitiſſime etiam cum ſpe veniæ dimittuntur. Mox Urbico Sacri Palatii Quæſtore ad ſe accito (6) Rex jubet, *generaliter indulgentiæ pragmaticum promulgari, quod ille ad omnem benignitatem paratiſſimus illico tanta brevitate & luce contexuit, ut & illa culparum genera cognoſcerentur abolita, quæ putabantur fuiſſe reſervata*. Sapiens itaque Rex, quum rebelles armis viciſſet, & Decreto ſuo iiſdem criminis pœnam irrogaſſet, faciie a Legatis exoratus, & venia conceſſa ſe ipſum vincens, glorioſius viſus eſt de perduellibus triumphaſſe, dum illorum, licet averſis animis eſſent, amorem ſibi conciliaret.

II. Splendide conceſſa Italicis perduellibus venia, quum interiores Regni turbas ſedaſſet, animum ſtatim cogitationemque con-

Regis liberalitas pro redimendis a Gundobado captivis. Quarta Epiphanii legatio, Lugdunum ſcilicet ad eund. Gundobadum, comite Victore Taurinenſi Epiſcopo.

(4) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1676. & ſeqq. (5) Ibid. col. 1676. cit. *Qui* (Epiphanius) *dum ſe diceret ſolum ad tantam ſarcinam ſuſtinendam non poſſe ſufficere, rogatur pariter venerabilis Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, qui profecti una Ravennam etiam pariter pervenerunt, ſuſcepti reverenter. Poſtquam illis agendi aditus recluſus eſt, beatus Laurentius neceſſarium duxit, Illi potiſſimum perorandi copiam dari, cujus veſtigia frequentium legationum laborioſus callis attriverat*. (6) Ibid. col. 1678.

venit ad Italicos colonos injuſtæ captivitatis jugo laborantes, quos vi armorum oppreſſos Gundobadus in Gallias annis ſuperioribus (7) abduxerat. Anxium habebat prudentiſſimum Regem intercepta jamdudum Liguriæ fertilitas; dolebat redactas in ſolitudinem viduas cultoribus regiones: quare opportunum tot malis remedium parans ſatius habuit Ærarium Regium divitiis, quam hominibus agros ſpoliare; probe gnarus, nervos Regiæ poteſtatis exſecari, niſi Subditis Regnum abundet. Hinc Epiphanio Ticinenſi ex Legatis altero ſanctiſſime in colloquium ſtatim adhibito deplorare primum viſus miſerrimam Liguriæ conditionem propter barbaram Gundobadi irruptionem, effuſe enumerans conſequuta damna; eó tandem orationem deflexit, atque ſuum conſilium Eidem aperuit, ut, quandoquidem Rebellium defenſionem in hac legatione ſuſceperat; ſic ipſius Theuderici nomine alteram in ſe reciperet ad Gundobadum pro captivis Liguribus Regia pecunia redimendis. Hæc nobis teſtata reliquit Ennodius, qui Theuderici verba (8) fuſe, Liviano more, non autem ſtilo, perſequitur. Ex ipſa Theuderici ad Epiphanium oratione conſtat, quanto Liguriam damno affeciſſet ea Gundobadi irruptio. Quum enim doleat (9) Rex, feraciſſimos vini agros vaſtatos; clare patet, eam vitium & cultorum vaſtitatem uſque ad Statiellos & Vagiennos perveniſſe, eamque regionem,

(7) Vide ſup. pag. 171. (8) In *Vita B. Epiph.* col. 1678. & ſeqq. (9) Ibid. ſub fin. ſic ab Ennodio inducitur Theudericus alloquens Epiphanium: *Vides univerſa Italiæ loca originariis viduata cultoribus. In triſtitiam meam ſegetum forax ſpinas atque injuſſa plantaria campus apportat: & illa mater humanæ meſſis Liguria, cui numeroſa agricolarum ſolebat conſtare progenies, orbata atque ſterilis jejunum ceſpitem noſtris monſtrat obtutibus. Interpellat me terra quocunque reſpicio uberem vinetis faciem, cum aratris impexa contriſtat. O dolor! nullus humor illorum labris infunditur, quos a vini copia* Oenotrios *vocavit antiquitas* &c.

nem, quæ a Taurinis uſque ad Tanarum ſuperiore Pado alluitur. Legatione itaque pro Italicis perfuncti Laurentius atque Epiphanius quum univerſam Italiam reſponſo Regis beaſſent, in Jus Romanum integre reſtituram; Ille quidem Mediolanum redux reſtaurare Urbem ſuam Tuſæ perfidia everſam, quieſcentibus undique armis, perſeveravit, cœptumque jam poſt Tuſanam captivitatem opus (10) perficere; Alter vero juxta Regis votum, aſſumpto itineris comite (11) Victore Taurinenſi Epiſcopo, trans Alpes iter inſtituens ad Gundobadum pro Liguriæ captivis redimendis ſtrenue (*) laboravit. Martio igitur menſe (12) juxta Ennodium, cum Victore progreſſus

A a

(10) V. ſup. p. 173. (11) Ap. Enood. col. 1680. B. *Precor tamen* (ſic Epiphanius) *ut indultu Clementiæ Tuæ Victor Taurinatis urbis Epiſcopus comes mihi & particeps hujus itineris adjungatur* &c. (*) Hæ ſancti Epiſcopi quarta Legatio, ſi fidem Ennodiano verborum contextui habere velimus, referenda eſſet ad annum CDXCV. (Revera Sigonius utramque hanc legationem refert ad hunc annum. Ughellus *Ital. Sacr.* T. 4. col. 1622. n. III., ubi de Victore Taurinenſi Epiſcopo, ſic habet: *Victor . . . . . Epiphanii Ticinenſis Antiſtitis collega fuit in legatione ad Gundobaldum Burgundiæ Regem, apud Baronium anno 495. ex Ennodio*. Neſcio vero, utrum Ughelli, an Typographi errato; Baronius enim geminas haſce legationes refert ad eund. ann. 494. n. XXXIII. & XXXIV.) Etenim, ſi ex communi Scriptorum conſenſu Theudericus exeunte anno CDXC., vel ineunte ſubſequenti, Ravennam profectus, imbellem Gothorum turbam cum Regia Familia Ticini depoſuit; *ſub* qua *cruce*, ut ſupra citatis Ennodii verbis (pag. 173.) utar, *triennium duxit* Epiphanius; qua deinde poſt captam Ravennam liberatus cum *Rugis* verſari (pag. 179.) *integrum pene biennium* eſt coactus; pronum credere eſſet, legationem hanc ad Gundobadum non potuiſſe niſi exacto ſaltem integro & ſolido quadriennio committi, ideoque nonniſi anno, ut diximus, CDXCV. Secus aut hæc ad Gundobadum legatio una cum præcedenti ad Theudericum uno eodemque tempore incidiſſet, quo *Rugi* adhuc Ticini verſabantur, licet id diſtinguere videtur Ennodius; aut ipſe vel *Gothorum*, vel *Rugorum* moram plus æquo diſtuliſſet. Quod tamen certum eſt, hoc ipſo anno CDXCIV. Epiphanius ambas haſce legationes, priorem hiemali, verno tempore alteram ſuſcepit; quam ad hunc annum referunt Sirmondus, col. 1679. nota *a*, Baronius loc. cit. & demum Pagius in not. ibid. n. X., auctoritate fretus Gelaſii Papæ, qui in Epiſtola ſua (edita a Dacherio T. 5. *Spicileg.* & *Concil.* Tom. 4. col. 1259.) ad Ruſticum data VIII. Kal. Febr. *Aſterio & Præſidio VV. CC. Coſſ.*, ideſt anno CDXCIV., ſic ſcribit: *Ceterum frater noſter Epiphanius, qui ad gentis ſuæ relevandos & redimendos captivos ad partes veſtras deſtinatur* &c. (12) In *Vita B. Epiph.* col. 1680. C. *Ex tempore portandæ pro redemptione pecuniæ deſtinantur, ſuſcipiuntur, egreditur. Ticinum impiger*

Digitized by Google

Epiphanius, quum Regem Lugduni conveniſſet facilem ſuis precibus, imo & lacrymis habuit, pactuſque captivorum pretium, *pluſquam* (13) *ſex millia* in Liguriam, triumphali miſerorum comitatu reverſus, adduxit; inque tantæ multitudinis pretium conflandum conſpiravere non tantum regii Ærarii, ſed (14) nobiliſſimæ feminæ *Sygariæ* opes non minus, quam ſtudia S. Aviti Epiſcopi Viennenſis. Trimeſtre ſpatium (15) ea legatio tenuit; quare ineunte æſtate, ideſt menſe circiter (16) Junio, Ticini verſatus ad componenda *nobilium perſonarum* patrimonia incubuit, quæ diuturna captivitas interceperat; dum interim legationis exitum Regi per litteras denunciavit, ne præſentia ſua gratiam ac laudem regiam aucupari videretur.

Laurentius jam antea cœptum Urbis reficiendæ opus aggreditur. Geminas Intramuranas Baſilicas ſimul conjungit. Novum *Baptiſterium* ædificat.

III. Interea Laurentius, ut vix innuimus, poſtquam rebellibus Italicis veniam ab Theuderico impetraverat, Ravenna Mediolanum reverſus illico iterum in ſe recepit, ut illata ab iiſdem Urbi damna totis viribus reficeret. Miſeranada erat adhuc Me-

---

venit. Et quamvis adhuc hiemali tempore Martius menſis *glacioles fluminibus frenos imponeret, & cana nivibus juga alpium tranſituris minaretur exitium: ſed mortiferum frigus & concretas algore glebas fidei ardor exſuperat* &c.

(13) Teſtem ſe hujus rei profitetur Ennodius ibid. col. 1685. & ſeq. hiſce verbis: *Nam teſtis hujus rei ego ſum, per cujus manus pittacia* (ideſt breves ſchedulas) *ad clauſuras* (crediderim ego, hic intelligi Provinciæ fines. Ap Caſſiodor. L. 2. Ep. 5. legitur, *in Auguſtanis clauſuris*, ideſt forte in finibus Auguſtæ Prætoriæ, quæ eſt finis Italiæ ad Occidentem) *juſſio Sacerdotis* (Epiphanii) *elicuit, quadringentos homines die una de ſola Lugdunenſi civitate redituros ad Italiam fuiſſe dimiſſos. Identidem per ſingulas urbes Sapaudiæ, vel aliorum Provinciarum factum indubitanter agnovimus. Ita, ut iſtorum, quos ſola preces beatiſſimi Viri liberarunt*, pluſquam ſex millia animarum *terris propriis redderentur*. (14) Ibid col. 1686. B. *Poſtquam tamen pecuniarum ille cumulus effuſus eſt; continuo ad expenſas redemptionis ſuggeſſit neceſſaria illa, quæ ibi eſt theſaurus Eccleſiæ, Syagria; cujus prolixam quæris vitæ narrationem .... Dedit etiam præſtantiſſimus inter Gallos Avitus, Viennenſis Epiſcopus, in quo ſe peritia, velut in diverſorio lucidæ domus, incluſit*. (15) Ibid. col. 1687. In fine: *Dum ergo tertio menſe cum tali tropheo Ticinum renearet Antiſtes* &c. (16) Pagius in Not. ad Baron. ann. 494. n. X. cit. ſub fin.

diolani conditio; pluribus ſcilicet in locis deformata incendio, alibi ruinis obſita tecta; & diſperſus percuſſo Paſtore grex in ovile poſt eam calamitatem nondum integer confluxerat, aliis metu dilapſis, ceteris morte interceptis. Hinc veriſſime ex Ennodio (17) ſuperius retulimus, Sanctum Paſtorem noſtrum in patriam inter commune revertentium civium gaudium *regreſſum* dumtaxat *ad lacrymas*. Neque enim, capta jam Ravenna, tutius admovere manum Urbi reficiendæ potuerat, populantibus e proximo & Mediolanenſem agrum infeſtantibus rebellibus Rugis, qui Ticinum occupaverant. Hoc igitur tempore, poſt ſcilicet veniam Rebellibus impertitam, aliquid amplius moliri curavit Laurentius ex iis, quæ neceſſaria uſibus ſacris viderentur, poſtmodum in meliorem ſtatum omnia reſtituturus. Duo enim hæc obſervat (18) Ennodius a Laurentio præſtita, nimirum, Eo auctore, *brevi poſt in antiquum ſtatum Urbem jam ſepultam revaluiſſe*; deinde, *poſt reparationem cæpiſſe meliora æmulari*. Quare Epigramma illud Ennodianum CLI. haud temere a Sirmondo (19) hoc lemmate inſcriptum (*De duabus Domibus coniunctis*) liceat mihi in eam partem accipere, ut credam referri poſſe ad geminas Baſilicas ſimul conjunctas. Juvat hic primum recolere, quæ jam ſuperius conjectura aſſequebamur: *Baſilicæ* ſcilicet *Maiori Intramuranæ* & *Novæ*, ſic ab

(17) *Diſſ.* 1. *In Natali Laurentii Med. Epiſc.* col. 1732. B. Vide ſup. pag. 172. (18) *Diſſ.* 1. cit. col. 1732. C. Vide ſup. p. 173. cit. (19) Opp. T. 1. col. 1909.: ſed in Ed. Andr. Schott. p. 76. & in aliis poſtremum diſtichon priori loco collocatur.

„ In geminis ſimplex radiat pia gloria tectis,
„ Et de diviſis conſociatur honos.
„ Ne procul, aut ibidem ſacros confunderet uſus,
„ Conſtanti numerum ſors dedit ampla loco.
„ Una Domus duplici diſcreta jungitur Æde,
„ Partiturque ſuum, quod bene nectit, opus.

Ambroſio (20) nuncupatæ, *Baſilicam* etiam illam *Veterem*, de qua Ipſemet loquitur, proxime (*) adhæſiſſe; in quarum prima *S. Mariæ* ſacra *Hiemales* ritus, in altera *S. Theclæ* ritus *Æſtivi* vel jam tum, vel exinde celebrarentur. Suſpicor itaque, in Attilæ direptione (21) vaſtata Eccleſia *Maiore* atque adjacentibus Baſilicis, Eccleſia ſcilicet *Vetere*, ſeu *S. Theclæ*, & *Baptiſterii* prius ab Ambroſio (22) conditi, quum *Maiorem* tantum Euſebius (23) refecerit, ejus ſucceſſorem Geruntium in reſtitutione Urbis (24) *Baptiſterium* in eandem veluti tranſtuliſſe, ſeu locum in hac deſignaſſe, in quo proprii *Baptiſterii* ritus quoquomodo exercerentur; donec de integro novum excitaretur. *Vetere* igitur, ſeu *S. Theclæ* Baſilica deſtructa, novam reor excitaſſe Laurentium, eamque cum *Maiore* ita conſociaſſe, ut juxta Ennodium *gemina* ſimul & *ſimplex* Domus efficeretur. Neque mirum videri poteſt, quod tum geminas illas *Domos*, quas Ennodius ſimul conjunctas deſcribit, tum titulum Epigrammati X. (25) præfixum: *In Domo Mediolani:* vel plura alia (26) loca, ubi *Domus* ab ipſo nominatur, de ſacris Ædibus (**) quandoque interpretemur; *Domus* enim *Dei* primum

---

(20) Vide ſupr. pag. 67. (*) Utramque proximam ſimul, ac *Metropolitanam* fuiſſe, mihi facile perſuaſerim, illud ex Ambroſianæ Epiſt. contextu; hoc ex nonnullarum Civitatum exemplo, quæ geminas *Matrices*, ut ajunt, Eccleſias paulo ſaltem poſteriori ætate habere jam cœperant, uti *Bergomenſis*, teſte Mario Lupo (*Cod. Dipl. Prodr.* C. 14. n. 3. & 4. col. 307. & ſeqq., item in Op. *De Paroch.* &c. Diſſ. 3. C. 2. p. 287. Ed. Berg. 1785., ubi ſic legitur: *Binæ in nonnullis Civitatibus erant Cathedrales Eccleſiæ .... quemadmodum Mediolani & Bergomi* &c.) & *Ticinenſis*, teſte Paulo Diac. L. 4. C. 44. (21) Vide ſupr. pag. 97. 101. & ſeqq. (22) Vide ſup. pag. 113. (23) Vide ſup. pag. 103., & infra Cap. III. Sect. VIII. (24) Vide ſup. pag. 116. (25) col. 1843. (26) Vide *Epigr.* XII. col. 1845. *Epigr.* XV. ibid., de quibus infra Cap. III. Sect. VIII. citt. (**) Quicquid Sirmondus nota *b* ad cit. *Epigr.* X. aliter ſentiat de hoc vocabulo, non videtur intelligi poſſe, niſi de ipſa *Eccleſia*, ſeu *Baſilica*; non de *Eccleſiæ*, ſeu *Baſilicæ Domo* (Domo ſcilicet Epiſcopi) quam non *Domum* ſimpliciter, ſed *Eccleſiæ Domum* appellat ipſe Ennodius in *Vita B. Epiph.* col. 1669. D. Vide Du Cange *Gloſſar.* & Macr. *Lexic.* & alios Lexicograph., & Menoch. *Stuore* P. IV. C. 20., A Baſilica Petri *Novar.* L. 1. p. 211. &c.

vocatæ fuerunt *Baſilicæ* ad ſacra inſtitutæ; deinde ſimplici vocabulo *Domus*. Præterquamquod manifeſte duas illas *Domos coniunctas* demonſtrat Poeta fuiſſe ſacris uſibus deſtinatas, iis verbis:

Ne procul, aut ibidem ſacros confunderet uſus,
Conſtanti numerum ſors dedit ampla loco

aut poſtremo illo verſu:

Partiturque ſuum, quod bene nectit, opus.

Quæ porro carmina aperte etiam oſtendunt, diviſas antea illas Baſilicas in unam coaleſcere juſſas. Quum enim ſatis *ampla* eſſet Eccleſia *Maior*, ſacræ cæremoniæ, quæ juxta anni tempora in minore ſeu *S. Theclæ* exercebantur, commode peragi in *Maiore* ſine confuſione poterant, & multo melius, quam in alia diſtanti Eccleſia; quare *conſtanti*, ſeu eodem in *loco*, ſed in geminas partes diſpertito, rituum eccleſiaſticorum nexus optime poterat ſervari. Omnia hæc apprime ritibus Ambroſianis conſentiunt, qui inter Veſpertinas & Matutinas Preces in quibuſdam Solemnitatibus aut Feriis præſcribunt *Reſponſoria in Baptiſterio* canenda, ad quod e *Maiore* Templo procedebatur a Clero. Quouſque tandem ſimul coaluerint geminæ Eccleſiæ, quandoquidem ſubſequenti Sæculo iterum a Gothis devaſtatæ fuerunt, difficile admodum eſt ſtatuere. Attamen quum in *Dathei* (27) tabulis pro *Brephotrophii* inſtitutione datis anno DCCLXXXVII. de *Maiori* tantum *Eccleſia*, imo abſolute de *Eccleſia* mentio occurrat; propenſius feror, ut cum Julinio (28) credam, id temporis non exſtitiſſe Mediolani geminam Metropolitanam Baſilicam; ſeu forte utramque ita coaluiſſe, ut, quemadmodum Ennodius deſcribit a Laurentio conjunctam, pro *una* ac *ſimplici* haberetur. Quum autem *Theclæ* Eccleſia, ſeu hoc nomine, ſeu *Æſtivæ*, aut (29) *Minoris* vocabulo in *Liturgicis* ante IX.

(27) Ap. Murat. *Antiq.* T. 3. col. 557. (28) T. 1. p. 51. ad ann. 787. & p. 106. ad ann. 813. (29) In *Evangeliario* ad uſum Ambr. Eccl., charact., quem vocant *Uncia-*

Sæculum Libris; imo verius in *Triduanis Litaniis* ab Odelberto Epiſcopo noſtro (30) ſub ejuſdem Sæculi exordium inſtauratis recenſeatur; haud temere cum Julinio ipſo diverſis licet argumentis innixo conjicimus, nec ante annum DCCLXXXVII., nec poſt hujus Sæculi exitum, vel IX. initium, uti jam (31) diximus, referendum eſſe geminæ, ſaltem disjunctæ, Metropolitanæ exordium. Sed hiſce veluti conjecturis omiſſis, primum certiſſimæ ætatis monumentum *Æſtivæ* Baſilicæ habemus ex *Teſtamenti* tabulis ab Anſperto Antiſtite noſtro conditi (32) anno DCCCLXXIX. Quare ex iſtis aliiſve poſt *Datheum* teſtimoniis ſatis aperte perſpicitur, circa eam ætatem jam iterum excitatam eſſe novam *Theclæ* Baſilicam, *Æſtivæ* hanc, ſicuti *Hiemalis* alteram, vocabulo nuncupari ſolitam, & ab hac diſſitam. Arnulphus (33) utrumque Templum deſcribens flammis conſumptum anno MLXXV., quo ipſe florebat, clarius fortaſſe, quam ceteri, aliquo interpoſito viæ ſpatio diſjunctum (*) deſignare videtur. Ubinam vero hæc *Theclæ* Baſilica ſaltem Sæculi X. initio aſſurgeret, haud obſcure evincitur ex verbis *Teſtamenti* Andreæ Mediolanenſis Antiſtitis ad annum (34)

---

lem Romanum, Sæculi ſaltem VI., ubi plures marginales notæ charactere, ut ajunt, *Romano curſivo*, ſignat. C 39. P. Inf., ſic ad *Jo.* Cap. 3. v. 1. legitur: *in Sabato ſon&lo in eccl. minore*. De hoc MS., ejuſque annotationum vetuſtate conſule Cajet. Bugat. *Mem. di S. Celſo M.* §. CXXIII. p. 89. & not. (*) pag. 90.

(30) Vide eund. Cajet. Bugat. Op. cit. Capp. XIII. XIV. & XV., ubi hoc argumentum contra recentiores quoſdam mirifice diſſeruit & enucleavit. (31) Vide ſup. p. 114. (32) Giul. T. 1. cit. pag. 395. ad hunc ann. Vide exemplar *Teſtamenti* ibid. p. 472. in fine. In Charta Archivi Monaſt. S. Ambr. anni 1012. legitur titulus *S. Theclæ* in altera ibid. anni 1034. *S. Theclæ & Pelagiæ* &c. (33) *Hiſt. Mediol.* Lib. 4. Cap. 9. Calch. de hoc incendio loquens Lib. 6. ad ann. 1075., ſic habet: *Illuſtris Ædes Theclæ, quæ primaria habebatur, & ei propinqua Hiemalis*. (*) Cui ergo arrideat Joſephi Vicecom. ſententia (*Obſer. Eccleſ. de Miſſæ Ritib.* L. 5. Cap. XI. pag. 303. & ſeqq.) qui, plurima *Beroldi* loca de *Eccleſia Æſtiva & Hiemali* marte ſuo exponens, nimis fidenter aſſeruit, ipſius *Beroldi*, anno circiter 1130. ſcribentis, ætate vel *Eccleſiam Æſtivam in Hiemali, vel Hiemalem in Æſtiva contineri?* Quis item non improbabit ejus ingenioſam de *Hiemalis & Æſtivæ* vocabulo interpretationem? (34) Ap. Giul. T. 2. pag. 106., & 475.

CMIII. : *Sit Senodochium meum & infra caſam meam propriam, quam habeo in hac Mediol. Civit. non multum longe ab Eccleſia que dicitur* Eſtiva *& prope Monaſterium quod vocatur* Vigelinde *& . . . . . . ibi conſtitutas & capellam illam ibi edificatam & conſtructam in honore beati Jheſu Chriſti Arcangeli Rafaellis*. Porro *Æſtiva* tunc temporis *Vigelindæ* (poſtea S. Radegundæ) Monaſterio & *Raphaelis* Ædi propius adjacebat, ad Aquilonarem ſcilicet Majoris, quæ nunc eſt, Eccleſiæ (*) partem. Huic meæ ſententiæ

(*) Neque omittam hoc loco, hanc S. *Theclæ* Ædem, quum jam vetuſtate labantem inſtaurari juſſiſſet Jo. Galeatius Vicec. anno 1392. (V. Giul. *Contin.* P. 2. ad hunc ann. pag. 558.) aliquot tandem poſt annos ſolo æquatam fuiſſe, & denuo haud longe a priori exſtructam, ut teſtatur coævus Scriptor Stephanus Dulcinius (in Op. *De Nuptiis Ill. Jo. Gal. M. Sfortiæ Vicecom. Ducis Mediol. cum Ill. Iſabella de Aragonia*. Edit. Med. per Zarott. Parm. 1489.) ſic ſcribens: *Templi* (ſcilicet *Majoris*) *ædificationem incepit Jo. Galeacius Virtutum Comes, qui poſtea primus Mediolani Dux fuit, in regione Orientalis Portæ, anno poſt Chriſti Nativitatem milleſimo, treceteſimo octogeſimo ſeptimo, quinta Nonas Maji, ubi olim beati Blaſii vetus templum fuit. Sed, ut ſubjacens forum capacius eſſet*, vetuſtiſſimam & multa religione venerandam Teclæ virgini dicatam Ædem demoliti, eandem non longe a priore inſtaurant. *Vetera donaria, ſacræ imagines, Galdini Corpus, Chriſmi α & ω, Clavuſque, quem Deus Homo affixus Cruci ſalutifero cruore inſperſit, ex hoc veteri in novum Templum* (ideſt in Eccleſiam Majorem) *tranſportatur*. Hujus exportationis per Carolum Forolivienſ. Archiep. Mediol. factæ (anno nempe ejus Sedis poſtremo 1461. 20. Martii; vide A Baſil. Petri *Vite di S. Carlo* L. 4. C. 4. & *Chron.* ap. Sax. Op. cit. p. 589. & 930.) tum etiam demolitionis ac reædificationis cauſas fuſe docemur ex Apoſt. Pauli III. Litt. *Confirmat Tranſlat. Eccl. S. Theclæ* &c. datis anni 1549., 16. Aug., in Apographo Franc. Caſtelli MS. in B. A. ſign. A 112. P. Inf., ubi inter alia legitur, ex Placito Pii II. eidem Carolo conceſſo dirutam ſubinde fuiſſe *Theclæ Eccleſiam, duobus parietibus dumtaxat exceptis*; poſtea vero *in loco, ubi parietes Eccleſiæ antiquæ conſiſtebant, reædificari cœpiſſe*. Annum vero & diem noviſſimæ hujus erectionis aperte habemus ex item coævo Hiſtorico Donato Boſſio, in cujus *Chronico* ad ann. 1481. ſic legitur: *die quinto Septembris jacta ſunt fundamenta in Campo Arengi Mediolani Templi Dive Tegle*; ad Occidentem ſcilicet, ubi exſtitit (Vide ſup. p. 103.) uſque ad diem 9. Sept. 1548., quo anno, adveniente ad hanc Urbem Philippo, poſtea Hiſpaniarum Rege hujus nominis II., Caroli V. Filio (Vide P. Alex. Mariam Briant. *Riſtretto dell' Orig.* &c. *di S. M. della Neve* &c. pag. 17. Ed. Med. 1660. Vide & Ripam. *Rer. Hiſp.* L. 1. p. 36. Paraz. infra cit. ad h. a.) deſtructa fuit. De gemina hac demolitione vide & Puccinelli. *Zod. della Ch. Mil.* P. 3. C. 76. Attamen poſteriorem ad an. 1546. menſ. *Aug. & Sept.* refert Jo. Ambr. Parazoarus, natus anno 1537., in ſua Ephem. Mediol., a Jo. P. Puricell. ex autographo exſcripta, & inſ. in Cod. MS. Biblioth. Ambroſ. ſignat. S 89.

Digitized by Google

accedere videtur etiam Triſtanus Calchus: cur enim is, rogo, de his Tabulis (35) mentionem faciens, dum ſitam *Raſaelis* Ædem fuiſſe recitat *in confinio Eccleſiæ Æſtivæ*, illico marte ſuo ſubjicit: *quæ nunc Maioris pars eſt*; niſi, opinor, quod *pars* illa, ubi haud procul a *Vigelindæ* Cœnobio jacebat Ædes *Æſtiva*, obtigiſſet poſtea ampliſſimo Templi *Maioris* ædificio ab Jo. Galeatio Vicecomite (*) conſtructi? Sed ut ad Laurentium redeamus; reliquum adhuc erat *Baptiſterium*; quod reapſe hic Præſul nobiliori opere magnificumque ædificavit; in cujus frontem præfigendum concinnavit Ennodius Epigramma LVI. (36) quod inſcriptum legitur: *In Baptiſterio Mediolanenſi*: in quo quum aperte dicat, Laurentium ejus conditorem, antequam hanc Ædem conſtruerêt, fuiſſe tanquam aurum igne probatum ad inſtar S. Laurentii Martyris; plurimis ſcilicet antea obnoxium fuiſſe calamitatibus & animi angoribus; videtur denotare tempus etiam tranquilli & pacati ſui Pontificatus: quippe quum aliqua Illi quietis ſpes tunc affulgere cœpiſſet, ex quo Tuſanæ perduellionis injuriis & captivitate, ac Rugorum proxime debacchantium metu jam (37) evaſerat, rebus omnibus

(35) *Hiſt. Patr.* Lib. 5. ſub fin. (*) Interpretentur, per me licet, alii Triſtani verba non de *Æſtivæ* ædificio, ſed potius de *Æſtivis* ritibus, qui ſua jam ætate in *Majori*, uti nunc aſſolet, fortaſſe celebrarentur. Vertant alii vitio aut Notarii, qui forte *Æſtivæ* ſcripſerit pro *Hiemalis* (V. Latuad. T. 1. p. 145.) aut Calchi ipſius, qui ſub *Æſtivæ* nomine veterem S. Mariæ *Hiemalem* intellexerit. (36) Ap. Sirm. T. 1. col. 1865.

„ Mundior excocti fulgeſcat luce metalli,
„ Munera diſponit qui dare digna Deo.
„ Ante vaporatis Laurenti vita caminis
„ Conſtitit, ut blandum nobilitaret opus.
„ Marmora, picturas, tabulas, ſublime lacunar
„ Ipſe dedit Templo, qui probitate nitet.
„ Ædibus ad pretium ſic mores Conditor addit,
„ Vellera ceu Serum murice tincta feras.
„ Qualiter incluſas comit lux hoſpita gemmas,
„ Nix lapidis quotiens pulchrior arte rubet.

(37) Vide ſup. pagg. 166. 172. 178. & ſeqq.

bus cum Theuderico Rege compoſitis. Attamen non contendam, ſi quis opinetur, tam huic ædificio exſtruendo, quam *SS. Baſilicæ*, de qua mox diſſeremus, reficiendæ manum nondum appoſuiſſe Laurentium, niſi poſt innumeros pro Romano (38) Schiſmate ſtirpitus evellendo labores, quibus perfunctum nova adhuc moliri opera in Ædium reparatione (39) videbimus. Pleno autem ore laudat Poeta in hoc *Baptiſterio*

Marmora, picturas, tabulas, ſublime lacunar,

& ut operi pretium adjungat, concludit, *Conditoris moribus*, ſeu ſanctitate nobile Ædificium maxime commendari.

Baſilicam SS. flammis conſumptam inſtaurat. Quænam hæc fuerit.

IV. Paſtoralem Laurentii curam excitare hoc tempore poterant ac debebant etiam Ædificia, *quæ arſerant in Baſilica SS.*, ut probe colligitur ex ejuſdem Ennodii (40) Epigrammate IX.° Certe in confeſſo eſt, Laurentium hiſce incendii ruinis excitandis in veterem ſplendorem auxiliariam manum porrexiſſe; nam argute in ejus nomine ludens Ennodius Laurentium ipſum compellat veluti victorem incendii, ſcribens:

Laurenti, tua bella gerens, incendia vince.

(38) Infra Cap. III. Sect. II. & ſeqq. (39) Cap. III. Sect. VIII. & IX. (40) Col. 1843.

Item in Baſilica SS., quia arſerant ædificia,
quæ prius ibi fuerant, & ſic facta eſt.

„ Vilia tecta prius facibus ceſſere beatis.
„ Sic ſplendor per damna venit, ſic culmina flammis
„ Conſurgunt habitura Deum. * Si perdita creſcunt
„ Ignibus innocuis; ſi dant diſpendia cultum
„ Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
„ Laurenti, tua bella gerens, incendia vince.
„ Sordida marcenti latuiſſet terra receſſu,
„ * Si ſtatus faciem tenuiſſent antra vetuſta.
„ Sed poſtquam Superi flammas miſere fecundas,
„ Ad lumen cineres traxerunt iſta colendum.
„ Huc oculos converte pios, qui cuncta vapore
„ Prædicis mundanda, Pater, rebuſque docendos
„ Inſtrue, ne verbis titubet mens neſcia recti.

* MS. & al. Edd. citt. *Sic* &c.

* Andreas Schott. emendat *Sive ſtatus faciem tenuiſſent* &c. Al. Edd. *Si* &c. *tenuiſſent* &c.

Verumtamen quæſtio hic inter Scriptores exoritur, quænam iſta eſſet *SS. Baſilica*, cujus domus arſerant. Puricellus in *Vita Laurentii* (41) putavit, referri hanc Laurentii operam ac ſtudium in Nazarianam Baſilicam, quæ *SS. Apoſtolorum* fuerat nuncupata, nixus Andreæ Schotti auctoritate, qui in Indiee Opuſculorum Ennodii huic Epigrammati præmiſit epigraphen: *In Baſilica SS. Apoſtolorum* &c. Verum, bona ipſorum venia, hoc nomine tunc non deſignabatur ea Baſilica, ſed *S. Nazarii*. Quod vero ad Schottum attinet, hunc titulum is marte ſuo confinxit, teſte Sirmondo, qui genuinum titulum ex MSS. appoſuit vere & ſine fuco, ſicuti nos exhibemus. Facile igitur ſenſerim cum Cl. Comite Julinio (42) in Urbis Mediolani Memorabilibus, apud Ennodinm debere intelligi Baſilicam (*) *Concilii SS.*, quæ poſtea *S. Babylæ* fuit nuncupata: non quidem ea de cauſa, quod Scriptor Anonymus Vitæ priorum Mediolani Epiſcoporum aſſeruerit *Anatalonem* ſepultum fuiſſe (43) in Baſilica *Concilii SS.* (hoc enim verius dici poterat de *Concilio SS.* Brixiæ, de quo ſermo eſt in Homilia (44) Gaudentii; quum Anatalo ex aliis Catalogis ſepultus ſit Brixiæ, eo fortaſſe in loco, ubi poſtea Gaudentius *Concilium SS.* dedicavit) ſed potius ea ratione innixus, quod antiquitus S. Babylæ Baſilica noncupata ſit (45) *Concilia Sanctorum*, eo quod plurium Martyrum in ea reliquiæ reconderentur, ut in citato Gaudentii Sermone probat Cl. adnotator Galeardus. Quæ quidem mihi probatiſſima opinio ipſius Ennodii verbis veriſimilior

(41) Cap. XXVII. num. III. pag. 283. (42) T. 4. p. 341. ad ann. 1096. (*) De hac appellatione vide ſup. pag. 68. nota (*). (43) MS. in Bibl. Ambr. C 133 P. Inf. & H 56. P. Sup., & edit. in Opuſc. *De Situ Civit. Mediol.* inſ. in *Rer. Ital. Script.* T. 1. P. 2. ubi ſic legitur pag. 207. A: *Depoſitusque eſt* (Anatalo) *VIII. Kal. Octubris, quo etiam die venerabiliter colitur ſancta depoſitio ipſius, ad Concilia Sanctorum*. In *Catal. Metrop.* ibid. p. 228. *Jacet ap. Brixiam urbem in Monte S. Florani*. (44) *De Dedicat. Baſilicæ Concilii SS.* pag. 336. Edit. cit. (45) Landulph. Jun. *Hiſt. Mediol.* C. 28., inſ. *Rer. Ital. Scr.* T. V. pag. 497. col. 2.

Digitized by Google

probatur: quomodo enim vocaret Ennodius *Nazarianam* Baſilicam, *Vilia tecta prius?* Scimus enim illius Baſilicæ ædificium Ambroſii opus fuiſſe, ex cujus pulcherrimi operis aſpectu novæ cives noſtros Baſilicæ deſiderium inceſſit communibus eorum votis dedicandæ, conceptum atque expreſſum iis verbis (46) *Sicut Romanam Baſilicam dedices*. Atque eo proclivior ſum in hanc ſententiam, quod de *Concilio SS.* loquatur in citato Epigrammate Ennodius, cum ea verba recolo:

Sordida marcenti latuiſſet terra receſſu
Si ſtatus faciem tenniſſent antra vetuſta;

quæ quidem objiciunt oculis cryptam quandam & obſcurum locum, qualis erat quiſque, ubi Martyrum memoria colebatur antiquitus, & ſuperius (47) etiam innuimus, ubi locum *Ad Innocentes* dictum conjecimus a S. Martiniano fuiſſe Protomartyri Stephano dedicatum, Sic Laurentius reſtituebat Urbem, & polluta aut incenſa ſacra loca; quæ poſtmodum opportuniore tempore (*) ad ſplendorem, amplioremque magnificentiam revocavit. Quod ſi quis hoc Epigramma & Laurentii curam in *Baſilica SS.* reſtituenda detorquere vellet ad *Polyandrion Caii*, ſeu *Hortos Philippi*, poſtmodum Baſilicam *S. Naboris*, non admodum repugnarem; quoniam in vetuſtiſſimo noſtro Catalogo (48) Cajus dicitur ſepultus *ad Concilia SS.* Quanquam, ut verum fatear, locus ille tempore Laurentii in cultu erat ſplendido, imo jam a tempore S. Materni, qui in eodem Catalogo (49) dicitur ſepultus *ad S. Naborem*. Et revera locus ille memoriæ Martyrum conſecratus erat uſque a S. Ambroſii temporibus, quum hic S. Doctor aperte dicat in Epiſtola (50)

(46) Vide ſup. pag. 69. nota (34). (47) Pag. 71. (*) V. infra Cap. III. Sect VIII. & IX. (48) Vide ſup. pag. 68. nota (*). (49) Sic ibidem: *Maternus ſedit annos XII. Depoſ. XV. Kal. Aug. ad Sanctum Naborem*. (50) *Epiſt.* cit. Vide ſup. p. 69. nota (23).

ad Sororem, ubi agit de Inventione SS. Protaſii & Gervaſii: *Juſſi eruderari terram eo loci, qui eſt ante cancellos SS. Felicis atque Naboris*. Video enim ſæculo anteriore jam venerationi Fidelium & cultui expoſitum locum, in quo ii Sancti recondebantur; nec Ambroſii religio, qui Baſilicas Nazario *Romanam*, Protaſio & Gervaſio *Ambroſianam* dedicaverat, finit, ut credam, locum illum, in quo depoſiti *Nabor* & *Felix* fuerant, adeo cultu privatum fuiſſe, ut eorum Ædes ſacra poſſet Sæculo ſubſequenti *Vilia tecta*, & *ſordida terra* appellari. Verum hæc conjecturæ loco depromimus, liberam omnibus, quod voluerint, credendi poteſtatem facientes.

Ennodius ditiſſimæ feminæ nuptiis Mediolani clarus ab uxore ſejungitur. Hinc Ticinenſi Clero Diaconus adſcribitur: quo tempore id acciderit.

V. Sed revocant me hoc loco Ennodii vices, qui in Liguria (51) probabiliter Mediolani genitus, poſt Amitæ, ut (52) prædiximus, mortem ex Iro Crœſus (53) factus, ad Primorum Urbis Mediolanenſis amicitiam, imo & affinitatem (54) evectus ingenium ſuum liberalibus diſciplinis excultum in noſtræ Urbis lumine feliciter collocaverat. Laurentii noſtri Epiſcopi, & Fauſti Viri Conſularis clientela clarus cum multa noſtrarum rerum monumenta ſervavit, tum (55) patrocinio ſuo multorum fovit ingenia, ſtimuliſque additis ad rudis illius temporis eloquentiam excolendam ſcriptis & opera excitavit, non tamen venali, ut falſo quidam cenſuere. Ille (56) cum prædivite puella initis nuptiis ſeptennium circiter cum ea verſatus, repente a Sponſa in caſtitatis

(51) V. Sirm. in ejus Vita. Vide ſup. p. 140. & 143. (52) Sup. p. 161. (53) Ennod. ipſe in *Eucbariſtico* ſuo col. 1706. C. *Tunc primum ex mendico in Regem mutatus* &c. (54) Vide Ennod. ad Fauſtum *Epiſt*. 5. L. 1. col. 1373. init. & Sirm. ibid. nota *b* col. 1371. It. *Epiſt*. 1. L. 8. col. 1541. B. ubi ſic ad Boetium: *Par fuit propinquum laudare*. It. ad eundem L. 6. *Epiſt*. 6. ſub fin. col. 1499. *Quæſo, ut memoriam proximitatis vos habere faciant promulgata ſine intermiſſione colloquia*. V. ſup. p. 161. cit. (55) Vide *Diſſ*. VII. & ſeqq. inter *Scholaſticas* col. 1745. & ſeqq. V. ſup. pag. 161. cit. (56) In *Eucbariſtico* col. 1706. cit.

propoſito conſtantiſſima, & uni Deo militandi cupida divelli coactus, ſe in veterem inopiam compulſum doluit. * Quare in Eccleſiæ caſtra ſe recipere ſtatuit & in Levitarum numerum adſcribi, volenſne, an invitus, non auſim (57) aſſeverare. Ut certus Ennodii vitæ ordo aliquis conſtet, mihi fas ſit hoc loco inquirere, quo tandem tempore Eccleſiaſticæ militiæ ille nomen dederit. Siqua lux de hoc in ejus ſcriptorum caligine & perturbato ordine affulgere poteſt; eam mihi, ni fallor, erumpere aliquantulum video ex illius (58) *Dictione* IX.ª, quam Tricennalibus ineuntibus Cathedræ S. Epiphanii habuit, ut videtur, Ticini anno CDXCVI., ex quo ſequitur, nonniſi poſt (59) Ejus ad Gundobadum legationem, in cujus comitatu fuit (60) Ennodius, hunc fuiſſe Levitis adnumeratum ab Epiphanio ipſo; quum in Hujus Vita dilucide (61) affirmet, ſe ab eo ſancto Antiſtite *Religionis titulis inſignitum*, ut etiam inferre voluit (62) Cl. Tiraboſchius. Quum vero in prædictæ *Dictionis* initio (63) per prolepſim dicat, mirari poſſe fortaſſe Ticinenſes, quod ipſemet *alienæ profeſſionis homo* hujus laudationis provinciam in ſe recipiat; mea quidem ſententia indicare videtur, quod ſaltem paulo ante eſſet Sæculo addictus, & tum primum fortaſſe Levitico habitu in publicum prodiiſſe. Neque diſſentit ejuſdem laudationis finis ab *A. CDXCVI.

(57) Vide Ceillier, *Hiſt. des Auteurs Eccleſ.* T. 15. p. 419. verſus init. (58) Col. 1819. (59) In ejuſd. *Dict.* Poemate c. 1823. ſub fin. memorat Epiphanii ad Gundobadum legationem (de qua ſup. p. 184.) = „ Monſtrat ab Occidui revocatum partibus orbis
„ Quod ſupplex captum tranſmiſit Gallia vulgus,
„ Effera, Te viſo, didicerunt pectora flecti,
„ Armatum precibus ſuperaſti, maxime, Regem.
(60) Vide Ceillier T. 15. cit. p. cit. Tillem. T. 16. p. 488. Capſon. T. 3. n. LII. pag. 54. (61) Col. 1692. in fine. (62) *Storia della Letterat. Ital.* T. 3. p. 33. (63) Col. 1819. cit. *Quid ſibi alienæ profeſſionis homo quærat ex themate, quid inſignitus humilitatis titulis per crepantes ex more vulgi cuneos vocum plauſus exſpectat* &c.

hac mea ſententia: Optat enim Ennodius (64) *vota ſua*, *Ordine cœpto*, *ad centum annos* produci, ut loco Tricennalium Sæculare etiam Carmen in laudem Epiphanii iterum inſtituat. Quis porro eſt iſte *Ordo cœptus*, niſi nomen Levitico Ordini recenter a ſe datum? quæ ſua *vota*, niſi ſe Deo conſecrandi? Quum igitur ea ad Gundobadum legatio ad annum CDXCIV., ut ſupra vidimus, inciderit; colligere certo poſſumus, Ennodium nonniſi aliquanto poſt inauguratum fuiſſe Diaconum, ſeu paulo ante menſem Martium anni CDXCVI., quo menſe celebrari debebant Tricennalia Cathedræ S. Epiphanii, qui, S. Criſpino defuncto, ſub finem Januarii circiter anni CDLXVII. electus, & conſecratus Mediolani a S. Benigno Antiſtite fuerat, ut ſuperius (65) ex ipſo Ennodio narravimus. Sic novum *floſculum* (66) Ticinenſi Eccleſiæ comparavit Epiphanius, qui antea liberatus a Rugis *ex finitimis civitatibus ad ſuos hortos cultor diligenter plantaria iam probata portavit*.

Quinta Epiphanii legatio, Ravennam ſcilicet ad Theoder. pro Liguribus tributorum onere ſublevandis. Hujus ſancti Antiſtitis obitus; poſt quem iterum Ennodius Mediolanum ad Laurentium confugit.

VI. Dum Laurentius Urbem deformatam bellis reficit, & Epiphanius cultores Liguriæ agris legatione ſua reſtituit, *necdum biennio exacto* nova Italorum querimonia S. Epiphanii curam in Ticinenſi Eccleſia ornanda, atque tranquillitatem turbavit. Poſt veteres atque etiam recentes hujus Provinciæ tot bellis adpetitæ & convulſæ calamitates Ligures omnes ſe impares profitebantur perſolvendis Regio Ærario iiſdem tributis, quæ Publicani a reliquis diu pacatis & tranquille viventibus incolis exigebant. Sed hæc Ligu-

(64) In Carmine cit. col. 1825. in fine ſic Ennodius per apoſtrophen Epiphanium alloquitur:
„ Suſcipe nunc dexter, vitæ lux aurea noſtræ,
„ Gaudia, quæ faciunt modicum Tibi promere carmen.
„ Cum mea vota Deus produxerit, *Ordine cœpto*,
„ Fulſerit & docilis quem plantat dextera palmes;
„ Debita poſt centum reddam tibi fortius annos.

(65) Pag. 125. & not. (11) ibid. & infra not. (70). (66) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1675. D.

rum vota quum immitius a Regiis Exactoribus audirentur, opus erat conquerentibus potente atque Regi accepto deprecatore. Erat in oculis omnium (67) Epiphanii tot jam legationibus exercitati ſingularis apud Theudericum gratia atque exiſtimatio. Hinc conjecti ſtatim in Præſulem omnium oculi: univerſi Eum orare atque obteſtari cum lacrymis, ne totam nationem tot bellorum caſibus emunctam ulterius prægravari oneribus pateretur. Repudiare tot preces mitiſſimus Antiſtes non potuit, atque perdifficilem provinciam in ſe recipere non recuſavit, importuno licet tempore: quique Ravennam Gundobadi legatione feliciter perfunctus contendere (68) *ad Regem noluerat, ne gratias* ab Illo *exigere* crederetur, illuc ſtatim proficiſci ſtuduit, ut Suorum precibus obſecundaret. Perhonorifice fuit a Rege exceptus, voti etiam compos dimiſſus, ſummo cum Ligurum gaudio, qui tributis exempti brevi exſultavere lætitia. * Nam (69) intempeſta hieme reverſus ad Sedem ſuam, quum vix Parmam appuliſſet, ſe pertinaci pituitæ fluxu oppreſſum ſentiens, extremum ſibi diem impendere præſenſit; atque Ticinum ocyus reverſus communem lætitiam paulo poſt in * A.CDXCVII.

(67) Hanc Epiphanii legationem deſcribit Ennodius in Ejus *Vita* col. 1689. A. & ſeqq. Card. Baronius refert hanc legationem ad ann. 496. Vide ad hunc ann. num. LVII. (68) Ennod. ibid. col. 1688. B. *Ad Regem invictiſſimum Theodericum per ſe mox ire voluit: ne forte laboris ſui viciſſitudinem in relatione gratiarum, aut in exhibitione munerum coram poſitus videretur exigere.* (69) Ennod. ibid. col. 1690. E. & ſeqq. *Ninguido aere, & quali ſolent homines ad tecta confugere, Ravennam* * *egreſſus eſt, & per omnes Æmiliæ civitates celer venit, tanquam ad ſepulcri receptaculum properans ..... Ut Parmam tamen ejuſdem viæ ingreſſus eſt civitatem, continuo eum coagulatus in vitalibus humor infudit, quem catharrum Medici vocant, qui ſe medullitus inſerens, in ruinam publicam ferviebat ..... Ergo, dum ſe Oppido Ticinenſi, nunc miſera, propinquavit, quaſi alacer & ſanus apparuit. Quod licet eum* * *omnibus exſultationibus ob reditum ſuum intraſſet, illico gaudia vertit in lacrymas, ægrum ſe eſſe ipſa die ſignificans, altera gravatens .... quinquageſimum octavum ætatis annum duxit ad tumulum, triginta in hac Sacerdotali .... converſatione exemit.*

* Ravenna

* al. omnium

luctum ac lacrymas ſuo obitu commutavit, initis quidem, ſed non expletis Pontificatus ſui Tricennalibus. *Reddidit* igitur Epiphanio *Deus iuſtus Judex coronam iuſtitiæ*, poſt *bonum* certatum *certamen* (70) XII. Kal. Febr. magno omnium, ſed præcipue Ennodii Diaconi, dolore; qui tanto duce deſtitutus, quum nondum omni ex parte Sæculo valedixiſſet, licet Ticinenſi Eccleſiæ adſcriptus, rurſum ſe Laurentii amicitiæ applicare, in ejuſque clientelam ſe conferre atque abdere deliberavit.

Ennodium exinde moram Mediolani traxiſſe, probatur primo ex valetudine ope S. Victoris Mediol. Martyris ab ſe recuperata.

VII. Hujus rei mihi argumentum eſt apprime dilucidum, quod, quum parum caſtigare, ut ipſemet fatetur (71) in *Eucharistico*, in Levitarum Ordinem cooptatus viveret, & licentius *mentis* ſuæ *tumori* indulgeret, neminem præ ſe hominem putans, ſibique potius honorem, quam Ordini expoſceret; Deo ſic permittente, & per *admirabiles ſuas vias* ad ſe revocante, in eum morbum (72) Mediolani incidit, ut bimeſtri (73) ferme ſpatio animi angore & vitæ tædio contabeſcens, mortem veluti imminentem præſtolaretur. Accedebat mentis ægritudo, quum Mediolanenſium Civium ſibi quotidianam opem & ſubſidia miniſtrantium videret (74) *laſſari* patientiam. Quare toto animo ad Dei, & poſt

(70) Sirm. col. 1692. nota *a*. *Deceſſit B. Epiphanius XII. Kal. Febr. anni 497., anno ætatis 58. nondum expleto. Quare natus videtur an. 439., creatus Epiſcopus anno 467.* Ughell. refert ejus obitum ad ann. 498. (71) Col. 1702. C., *Elevatus inſanie ſucceſſibus, poetarum me gregi ignarus venerandæ profeſſionis* (ideſt Levitici Ordinis) *indideram . . . Ineptum diu volutavit vita mortalis, & certa miſeriarum cæcitas de falſa dicendi felicitate perextulit. Quotiens acclamantium flatibus propter religionem* (ideſt dictum Leviticum Ordinem) *vertex nudatus intumuit* &c. *Erat orandi faſtidium, dum perorandi tenebar cupiditate mereari.* (72) Morbum ſuum deſcribit Ennodius in *Euchar.* cit. col. 1703. B. *Nam ecce repente ad ſedem animæ formidantis dolor ingreſſus, & ſecreta cordis hoſtili pavit incendio.* (73) Ibid. col. 1704. A. *Jam duorum ferme menſium curriculis cladis hujus me ſibi preſſura ſubmiſerat. Jam remedii vice tranſitum præſtolabar &c.* (74) Ibid. col. cit. B. *Nam cum unus ex his, qui aſſidebant mihi, & per ſingulos dies ditabant ina-*

Digitized by Google

poſt Deum S. *Victoris* Mediolanenſis *Martyris*, cujus opem (75) ſæpe fuerat expertus, auxilium confugiens; quum reſipiſcere, & ad meliorem frugem ſe recipere ſpopondiſſet, luridum & tabe obrutum corpus lampadis, quæ ad Martyris ſepulcrum ardebat, oleo inungi juſſit; ex quo ocyus confirmatam valetudinem ſentiens, ad ejus ſepulcrum incolumis atque voti reus acturus gratias convolavit. Hæc omnia Mediolani manifeſtum eſt accidiſſe; quum ibi veteres amicitias haberet; ubi Fauſto deſerviebat antequam hic Ravennam ad Quæſturam Sacri Palatii evocaretur; ubi demum certiſſime S. Victoris Sepulcrum & Corpus colebatur. Certe apud Eruditos ſatis liquet, hic agi de S. Victore Mauritano, ad cujus lævam Satyri fratris mortales exuvias pie recondidit (76) S. Ambroſius; nec alibi ſanatum Ennodium fuiſſe, quam in hac Urbe: neque enim *ſæpius expertam* Martyris opem dixiſſet Ennodius, niſi & crebro ad ejus ſepulcrum ventitaſſet, quum ſæculo eſſet addictus; neque ſtuduiſſet curationis ſuæ ſeriem ſtatim (77) Fau-

qualitatem meam diſpendio faculcatum, laſſatum ſe fuiſſe téſtaretur, nec aliquid remanſiſſe, quod feret; illica mihi ſpem vitæ deculit deſperatio curatoris. Idem innuit L. 8. *Epiſt.* 24. ad Fauſtum col. 1554. *Venit ad me medicus, & dixit, ſe, quod faceret, non habere. Hinc mihi major ſpes, quando homo ceſſaverit.* It. *Epiſt.* 25. ad eund. col. cit. *Vere, ceſſantibus medicis, Illius, qui innocentia & lacrymis emitur, medicina non defuit. Credite, niſi mihi ſubvenisſet deſtitutio curantium, nil valerem.*

(75) In *Euchar.* cit. col. 1704. C: *Continua me ad B. Victoris Martyris præſidia ſæpe experta tranſtuli, & opem Fortiſſimi precatus, Deo per ipſum cum lacrymis allegando commiſi* &c. De hac ipſa curatione ſua, quam infuſo B. Victoris oleo conſecutus eſt, loquitur in cit. *Epiſt.* 24. L. 8. ad Fauſtum, col. 1554.: *Continuo me cum lacrymis ad cæleſtis Medici auxilia converti, & Domni Victoris oleo totum corpus, quod jam ſepulcro parabatur, contra febres armavi.* (76) Ap. Gruter. T. 2. p. 1167. n. 2. hoc Titulo = *Item Ambroſianum* =

„ Uranio Satyro ſupremum frater honorem
„ Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
„ Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
„ Finitimas penetrans adluat exuvias.

(77) Vide Lib. 8. *Epiſt.* 24. & 25. ſup. citt.

ſto Ravennæ degenti ſignificare, qui alium certe *Victorem* non noverat, niſi hunc Mediolani ſepultum; ad qnam Urbem (78) *ſuburbanum* rus habebat Fauſtus Vir Conſularis; cujus etiam domum (79) Ennodius ipſe tot carminibus per *Armaria* celebraverat. Illud igitur *ſuburbanum* (80) cur ſibi incolendum poſceret, imo etiam pecunia ſua redimendum, ut reapſe redemit, niſi Mediolani domicilium habuiſſet Ennodius?

Item ex jure Metrop. Epiſc. ad ſe revocandi, quos vellet ex ſibi ſubjectis Eccleſiis: deinde ex eo, quod geminas Ennodius *Dictiones* Ticinum tranſmiſerit.

VIII. Veruntamen hoc loco aliorſum evocari me ſentio, & tranſverſum agi ab Scriptoribus Ticinenſibus, qui jamdiu Ticini Ennodii *Auditorium* & ſedem fixere. Vetuſtam hanc pugnam dirimere jam conati fuerant Sirmondus, Saxius, & recentius in Litteraria Italiæ Hiſtoria Cl. Tiraboſchius. Sed quoniam noviter ferram Ticinenſis Hiſtoricus Cl. Capſonius (81) per eandem lineam reciprocat, & Diaconum Ennodium Maximo illius Urbis Epiſcopo ſemper adhæſiſſe contendit, eandem verſare molam aliqua ex parte cogor, atque a Sirmondo jam actum agere. Abhorret quidem animus ab omni partium ſtudio, meque a contentioſo fune ducendo alienum fateor. Itaque conſectandæ potius veritatis amore ductus exquirere mallem ex Ennodianis ſcriptis, qua in Urbe ſedem ille fixerit etiam poſtquam inter Levitas ab Epiphanio Ticinenſi fuit cooptatus. Opponit Capſonius *præſumptionem*, ut (82) ait, *legalem*, & a Ticinenſi Epiſcopo inauguratum cogit Ticinenſi dumtaxat Eccleſiæ militare; quare ſupponit potius, quam probat, illi unice fuiſſe

(78) Lib. 8. *Epiſt.* 12. *ad Florum: Iuſſiſte Domne* (Fauſto) *ut ſuburbanum illud, ſi dignatur, dato a me pretio comparari jubeat; quod, dum in Liguria fuero, feliciter habeam, & poſt obitum meum ipſi Suique poſſideant.* Vide & *Ep.* 19. *ad Fauſtum*. Voti compotem fuiſſe teſtantur L. 9. *Ep.* 21. *ad Elpidium*, & *Ep.* 22. *ad Fauſtum* & ibi nota *a*. (79) Vide *Carm.* Lib. 2. *Epigr.* 3. col. 1539. cui titulus: *De Epigrammatis per Armaria Domni Fauſti factis*. (80) Vide Ennodii *Epiſtolas* nuper citt. (81) *Memorie Iſtoriche della Regia Città di Pavia e ſuo Territorio antico, e moderno*, Pavia 1788. T. 3. §. LII. & ſeqq. pag. 53. & ſeqq. (82) T. 3. cit. §. LIV. in fin. & LVI. init.

Digitized by Google

addictum. Nolo hic Mediolanenſis Metropolitani Epiſcopi jura exquirere, aut expendere, utrum Provincialium Eccleſiarum membra Metropolitæ ſubjacerent imperio aut voluntati. Nolo item ad examen revocare, utrum mortuo Epiphanio poſſet Ticinenſis Diaconus in Mediolanenſem Eccleſiam transferri, aut an inauguratus ab Epiſcopo Diaconus neceſſario ex Canonicis Sanctionibus inauguranti Epiſcopo, Eccleſiæ jure, eſſet addictus. Alios antea (83) *vicinis ex urbibus* decerpſerat Epiphanius *floſculos, atque ad ſuos hortos cultor diligens plantaria iam probata portaverat, de quibus frugi & idoneus aptiſſima caperet poma poſſeſſor*. Cur id ipſum Laurentio non liceret Metropolitæ, præſertim in Diaconum patria & affinitatibus Mediolanenſem? Malo igitur pede preſſo Ennodii ipſius veſtigiis inſiſtere, & veritatem perſequi, quam *legali præſumptione* uti, aut abuti. Ennodius itaque Levita vix conſecratus paulo ante Epiphanii mortem plane, ut ipſe fatetur, non reſipuit, niſi poſt bimeſtrem morbum, ut ſupra expoſuimus; eoque tempore Ticino abſuerat, imo Mediolani verſabatur, ut patet, ſi a Sancto *Victore* hic in eximia veneratione habito valetudinem popoſcit atque impetravit. Maximus autem in Epiphanii locum jam erat ſuffectus. Non igitur ſemper Maximo adhæſit, ut *legaliter præſumit* Capſonius. Imo, quum celebrandus eſſet primus Maximi ad ſuam Sedem adventus, ipſe tacitus hic Diaconus, quem Ticinenſem incolam dicunt, eloquentiam ſuam commodavit *Stephano Vicario* Ticinenſi, qua gratulabundus e roſtris Epiſcopum advenientem excepit, ut patet ex titulo ipſo tertiæ *Dictionis* (84)

(83) Ennod. in *Vita B. Epiph.* col. 1675. D. cit. (84) *Data S eph n V. S. Vicario, dicenda Maximo Epiſcopo* col. 1736. Hæc falſo annumeratur inter *Symmachi* Papæ Epiſtolas tanquam ad *Laurentium Mediol.* inſcripta, in *Concil.* T. 4. col. 1293. Quare dubitatio alicui oboriri poſſet, num hanc Romæ ſcripſerit Ennodius, ubi forte eum Laurentio Primæ Romanæ Synodi cauſa verſaretur, quæ inchoata fuit Kal. Martii an. 599.

Digitized by Google

Ennodianæ. Quid plura? Dedicaturus Maximus S. Joanni Baptiſtæ Ticinenſem Baſilicam non aſſidentem habuit hunc Diaconum; imo abſentem, & probabiliter Mediolani cum Laurentio verſantem rogare coactus eſt Antiſtes ille, e caſtris militaribus (85) & Palatinis officiis ad Epiſcopalem Sedem evocatus, ut ſibi Orationem in ea celebritate recitandam concinnaret; quæ, quum ex titulo ipſo (86) dicatur ab Ennodio *miſſa Maximo Epiſcopo*, perſpicue indicat Scriptorem a Ticinenſi Urbe longe poſitum, alibique degentem. Hæc porro habemus Ennodium inter & Maximum amoris & mutui favoris indicia.

Idem probatur ex pluribus ipſius Ennodii Epigrammatis in laudem SS. Mediol., & Epiſcoporum ab Ambroſio ad Laurentium; ex crebris hujus Præſulis laudibus.

IX. Conferamus jam, quæ erga Mediolani Antiſtitem Laurentium exhibuit Ennodius. Profecto fateri neceſſe eſt, aliquanto hunc Diaconum Ticini hoſpitio fortaſſe uſum; ſed ſane in Urbe noſtra certum domicilium habuiſſe. Etenim quiſquis Ennodii ſcripta vel ſummis labiis deguſtaverit, aut etiam per tranſennam legerit, plurima ubique perſequetur mutuæ non ſolum amicitiæ & familiaritatis Ennodianæ erga Laurentium noſtrum, imo & incolatus, & ferme contubernii veſtigia non leviter preſſa, ſed certiſſima. Siquidem vix dum ex diutino morbo & mortali tabe ac macie ope S. *Victoris* noſtri, ut innuimus, confirmatus, quum Deo voviſſet, ut in *Eucharistico* ipſemet luculentiſſime (87) teſtatur, *de muneribus ingenioli ſui Eidem adipem litare, ut nunquam ſtili cura de ſæcularium rerum ventoſa exſecutione laſſaretur*; tanti voti reus poeticam, qua pro ea ætate pollebat, venam in ſacrarum rerum præconia tranſtulit. Excutiamus porro ipſius

(85) In *Diſſ.* II. cit. col. 1737. C. *Te olim ſæcularibus inhærentem titulis caſtrenſis ſudor excoluit, & ad Eccleſiæ gubernacula pars adverſa ſolidavit*. (86) *Diſſ.* IV. col. 1738. *In Dedicatione, miſſa Maximo Epiſcopo*. V. Sirm. ibid. nota *b*. (87) Col. 1705. B.

Epigrammata præſertim ſacra, atque ad ipſam Ennodii habitationem certe perveniemus. Quamplures incurrent in legentis oculos SS.rum *Hymni*, quibus dedicata erant Mediolani Templa; videlicet (88) *S. Euphemiæ*, cui paulo ante Senator noſter Antiſtes Baſilicam ædificaverat; *S. Stephani* (89) cui Martinianus locum *Ad Innocentes* dedicaverat; *SS. Nazarii* (90) *Dionyſii* (91) & *Ambroſii* (92). Opponat quæſo Cl. Capſonius laudes Syri, Eventii, Pompeji, Criſpini, aliorumque veterum Ticinenſium Epiſcoporum, Ennodii *Epigrammatis*, quæ in ſingulos Mediolanenſes Antiſtites (93) a S. Ambroſio uſque ad Laurentium, ordine Sedis ſervato, elucubravit, ſi uti velit ſua *legali præſumptione* & probare, verius collocatum Ticini ab Ennodio Diacono domicilium. Quid enim fuit in cauſa, quod tantopere in ſacris Mediolani rebus poetica Ennodii Levitæ vena poſt nuncupatum votum tam frequenter & ferme unice verſaretur, niſi quod hanc Urbem incoleret? Obverſabantur oculis hujuſce Metropoleos ſacra monumenta, ut ante pedes ubique poſitas haberet ſacras noſtras Ædes atque Baſilicas. Quæ quidem conjectura plus roboris ſumet, ſi attentius expendamus, qua diligentia perſequutus ſit tam proſa, quam adſtricta numeris oratione ſingularia Laurentii noſtri Antiſtitis egregia facinora, iis annis præſertim celebrata, quibus Maximo Ticinenſi ſcribit Capſonius Ennodium ſemper adhæſiſſe. Imo poſt deſcriptas noſtrorum Antiſtitum res egregie geſtas, Ennodii votum pro Laurentio (94) facit, ut diuturnam illius Mediolani moram, imo & conſuetam cum Laurentio habitationem fateamur. Recreatus hic ſcilicet e

(88) *Carm.* Lib. I. n. XVII. col. 1833. (89) Ibid. n. XIV. col. 1830. (90) Ibid. n. XVIII col. 1833. (91) Ibid. n. XXI. col. 1837. (92) Ibid. n. XV. col. 1831. (93) L. II. *Epigr.* LXXVII. & ſeqq. col. 1875. & ſeqq. (94) *Epigr.* LXXXIX. col. 1883. ſic:

Reſtat, quem longo ſervet Rex inclytus ævo.

Digitized by Google

Id confirmatur etiam ex Romano itinere in comitatu Laurentii noſtri ob cauſam electionis Symmachi, Rom. Pontif., quocum inde redux Natalem Ejus Cathedræ celebrat; atque iterum cum Eo Romam proficiſcitur.

morbo, quum votum ſolviſſet in hac Urbe, ſacra quæque noſtrorum Præſulum Acta laudibus poetice complexus, interveniente (95) in electione Symmachi Romano Schiſmate Almam Urbem a Laurentio noſtro ductus, qui juſſu Regis Theuderici in Concilio (96) illic habendo cum magno Heſperiæ Epiſcoporum numero præſidens judicium ferre in Synodo debebat, num rite facta fuiſſet Symmachi electio, egregiam Laurentio & Eccleſiæ Romanæ operam navavit; mox, pace Romanæ Eccleſiæ reddita, cum eodem Laurentio Mediolanum redux Natalem Ipſius Cathedræ, quem in facie (97) alloquebatur, nobili *Dictione* & magnificis laudibus celebravit anno, ut Puricellus (98) opinatur, poſt Coſ. Fl. Avieni Jun., DIII., aut certe eo temporis ſpatio, quod *Palmare* Concilium, & Ennodiani *Apologetici* (99) Synodalem approbationem interceſſit; & quidem (100) verno tempore, ut rei veritas poſcebat. Nam in ea *Dictione* de ſedatis quidem Schiſmaticorum adverſus Symmachum turbis ſatis luculenter (101) agit, ſed *Apologe-*

(95) De hoc Schiſmate infra Capite III. Sect. II. & ſeqq. (96) Vide *Synod. Rom.* III. an. 501. ſub Symmacho Papa, ap. Labbé *Concil.* T. IV. col. 1323. Hanc, non vero ſequentem, *Palmarem* & IV. appellat Sirmondus loco infra cit. (97) *Dict.* I. col. 1727. *In Natali Laurentii Med. Epiſc.* cit. (98) *Laurentii Vita* Cap. XIX. §. VI. pag. 153. Vide infra Cap. III. Sect. V. (99) Inter Opp. Ennodii, col. 1615. hoc titulo: *Libellus adverſus eos, qui contra Synodum ſcribere præſumpſerunt. Synodus* (ſic Sirm. in nota ibid.) *quam hoc libello defendit Ennodius, ea eſt, quæ inter Romanas Symmachi Papæ quarta numerari debet, X. Kal. Nov. Ruſio Magno Fauſto Avieno V. C. Conſ.* (ideſt an. 501.) *peracta quæ & Palmaris cognominata eſt*. Vide ſis ejuſd. Sirm. not. *e* ad *Epiſt.* 30. Aviti Vienn. Opp. T. 2. col. 70., & *Concil.* T. 4. cit. c. 1363. nota 1. (100) V. ſup. p. 162. nota (18). (101) *Dict.* I. cit. col. 1732. D: *Deberetur quidem, niſi me laudis Tuæ cenſura pertraheret, in lugenda cauſa ſilentium, ut in nna ætate memoria pereat res nefanda. Senatus ille Curiæ cæleſtis* (ideſt Synodus abſolutionis Symmachi) *accitus eſt; ibi ex variis Provinciis Epiſcoporum turba confluxit, ubi cœtus ille, quot hominum genera, tot ſententiarum varietates advexit. Sed quibus inerat ſpiritalis ſapor intelligentiæ, quaſi ducem Te principalis deliberationis cavitate tenuerunt. Tunc quo minantium impetus blandimentorum melle domuiſti, qua ſuperborum corda veneranda humilitatis erectione fregiſti, qua labantium animos conſilii radice*

Digitized by Google

tici pro eo Concilio non meminit; verum dumtaxat ſpem faciendi & evulgandi injicit; quum ſub ipſius finem clare indicet, obtrectantium ſe obſtructurum ora alio tempore in hæc verba: *Sed hæc melius aliis ſervantur narranda temporibus* Eodem igitur anno DIII. in V.° Romano Concilio recitatus eſt (102) ejus *Apologeticus* Concilii Liber, & ſummo Patrum conſenſu approbatus, quum Romam reverſus (103) Ennodius, comite Laurentio noſtro, & ipſo præſente illum Concilio obtuliſſet. Neque in ejus Concilii Actis video immanes illos conatus Maximi Ticinenſis pro *Apologetico* approbando, quos Capſouius (104) deſcribit.

X. Sedatis Romani Schiſmatis motibus, quum Symmachus Pontifex pecunia egeret, ut *expenſa, quæ pro neceſſitatibus Domni Papæ Ravennæ facta eſſet, redhibitione* (105) *penſaretur*; mutuos a Laurentio noſtro popoſcit *quadringentos auri ſolidos*, quos libenter *erogavit*, vade & ſponſore Ennodio. Tanta nimirum erat Laurentium inter atque Ennodium conſuetudo, ut Pontifex hanc ſum-

Nonnullis aliis argumentis ſingularis oſtenditur Ennodii cum Laurentio noſtro familiaritas & proinde in Urbe noſtra domicilium.

fundaſti, explicare non valeo .... Unum Te ſecuti ſunt tot electi & in ſententiam Tuam reciderunt tantarum principes Civitatum. Sequitur lamentationis æſtibus, qui a te cruda obſtinatione deſcivit; & nihil habet in ſolatium præter calamitatis lacrymas, qui diviſus eſt. Dicat aliquis forſitan rerum geſtarum malignus interpres, quam ſortita eſt de hujuſmodi conſtantia præſens cauſa deciſionem: quærat qui fines de laudato ſudore contigerunt. Huic ergo fidens replicabo; Te præſule factum, ne Sacerdotes miniſtros acciperet furor alienus; ne cruentæ indignationi Pontificum ſententia militaret; ne in uſum male commoti traherent evenire poſſe, quod vellent. Poſtremo improborum loquacitas obmuteſcat, hujus ſaltem æſtimatione ſecreti; quia odiorum intendia, quæ non ex impugnati merito, ſed ex ſtudiorum fomentis arſerunt, nec ſanctæ deliberationis potuerunt fonte reſtingui. Tibi ergo debetur venerabilium cuſtodia canonum: Tibi, quod ſine Epiſcopali nota contigeris, quicquid in præſentia ſævit improbitas. Tibi patuit, quod aliis accuſantes clandeſtina fraude texerunt: apud Te compertum fuit, non ſatisfaciendum odiis, quotiens fide deſeritur, qui laceſſit. Sed hæc melius aliis ſervantur narranda temporibus.

(102) Ap. Labbé *Concil.* T. IV. col. 1364. (103) Puricell. Cap. XIX. §. V. p. 153. *Sed vere quidem* (Ennodius) *poſt Apologeticum, quo Synodum ipſam Palmarem acerrime defendit, Romam denuo profectus.* (104) T. 3. §. XLVI. pag. 49. (105) Ennod. L. 3. *Epiſt.* 10. col. 1433. B. Vide & Lib. 6. *Epiſt.* 16. & 33.

Digitized by Google

mam per Ennodium poſceret, Laurentius vero interpoſito Ennodio vadimonio concederet. Sic enim *Luminoſo* ſcribens in eadem Epiſtola (106) aſſeverat Ennodius: *Scitis optime, quæ a vobis & per me, & ore proprio ſanctus Pater veſter* (Symmachus) *poſtulavit*. Quid plura? Romæ Ennodium ſibi egregiam operam navantem detinuit Symmachus uſque ad perfectam Synodum Romanam VI. (107) anno DIV.. Qui tandem Romanis curis expeditus in Laurentii noſtri amplexus iterum convolat, ut nos ipſemet docet in *Dictione* Poetica (108) cui titulus: *Quando Roma rediit*. Quod vero ibidem initio videtur *genitalis ſoli* &c, infra, *patriæ* mentionem facere, pro certo habeo de noſtra Urbe Ennodium loqui, quam illi natalia præſtitiſſe cunabula facile cenſuit Sirmondus. Nemo autem hactenus, quod ſciam, Ticinum illi *patriam* dedit. Quanquam mea quidem ſententia intento veluti digito *Mediolanum* ſub finem ejuſdem *Dictionis* deſignat, cum gaudio exſultans ait, ſe Hymnos Ambroſii illuc reducem (109) cantaturum. Porro Ticinenſis Hiſtoriæ Scriptor hoc loco alterutrum concedat neceſſe eſt, aut Ticinenſem Eccleſiam noſtris Ritibus & Sedi noſtræ in Italia primariæ addictam atque ſubjectam, aut Ennodium ad noſtram Urbem reverſum, ubi Ambroſii ritus & cantus certe ſervabantur; quorum neutrum puto arridere poſſe (*) Capſonio. Poſt Ennodii Mediola-

---

(106) Lib. 3. Epiſt. cit. col. 1432. (107) Ap. Labbé T. IV. col. 1371. (108) *Carm.* Lib. I. n. VI. init. col. 1807.: *Amica eſt homini ad genitale ſolum reverteuti ſemper hilaritas* &c., & in v. 30. *Tunc* patriam *teneam, tunc* ſtationis *opem*. (109) Ibid. col. 1809. diſt. ult.

„ Cantem, quæ ſolitus dum plebem paſceret ore

„ Ambroſius Vates carmina pulchra loqui.

(*) Hæc excruciant tantiſper Cl. Capſonium, qui §. LVI. *laxiori modo* ad ſuam Ticinenſem urbem hoc *genitale ſolum* extendit; & vellet, Diaconum noſtrum ibi verſantem ſibi inſtar omnium propoſuiſſe *eximium Ambroſium*, ut in *cantu ac diſciplina imitaretur*.

Digitized by Google

diolanum adventum autumo a Laurentio imperatum eidem, ut Pontificium Symmachi Decretum exponeret Provinciæ noſtræ Italicæ Epiſcopis indicendum, quo jubebantur Presbyteri & Diaconi *Concellaneos* habere pudicitiæ ſuæ teſtes, quod inter Ennodiana Opera (110) legitur; ubi placet obſervare Decreti ipſius titulum in hæc verba *Præceptum, quando juſſi ſunt omnes Epiſcopi cellulanos habere*. Nimirum ad quem, rogo, ſpectabat præcipere Epiſcopis, ut teſtes haberent pudicitiæ, niſi ad Italicæ provinciæ ac Diœceſeos Primarium Epiſcopum Laurentium Mediolanenſem? Num Ticinenſis ea ætate quemquam ſubjectum ſibi habebat Epiſcopum?

Huic ſententiæ ſuffragantur etiam nonnullæ Ennodii ad Symmachum Rom. Pontif. *Epiſtolæ*; item ipſius iter *Brigantionem* Laurentii juſſu ſuſceptum.

XI. Laurentio e Romanis Conciliis ad Sedem Mediolanenſem regreſſo inhærebat altius cura totius ubique Schiſmatis penitus ſuſtollendi. Quumque Aquilejenſis Epiſcopus (111) *Marcellianus*, licet ad Concilium Romanum a Theuderico Rege invitatus (112) cum Laurentio Mediolanenſi & Petro Ravennate (utpote qui tres Metropolitana tum dignitate inter Italicos florebant) pertinaciter Synodo noluiſſet intereſſe, & poſt Synodum Pſeudopontifici adhuc adhæreret; id ſibi ſuſceperat Laurentius, ut illius pertinaciam expugnaret. Miſſa igitur ad eum legatione, efficacibus rationibus permovere conatus, ut deſperatæ cauſæ defenſionem defereret, & ſchiſma ejuraret: quum tamen nihil profeciſſet, totius rei ſeriem Symmacho Laurentius per litteras aperuit. Quid in hac re factum ſit, nobis teſtatum reliquit unus Ennodius, qui certe tum Mediolani erat, & conſilii particeps; imo & viderat *Laurentii*

Dd

(110) *Opuſcul.* VIII. col. 1715., quod integrum infra pag. 231. lectori exhibebimus.
(111) De hoc fuſius infra pag. 283. (112) Ap. Labbé T. IV. col. 1328. hoc titulo: *Præceptio, quæ miſſa eſt per Germanum & Caroſum Epiſcopos, Dominis Sanctis & venerabilibus Patribus Laurentio*, Marcelliano, *& Petro & cunctis Epiſcopis in Urbe reſidentibus Theodericus Rex*. Dat. V. Idus Aug. anno 502.

Epiſtolam ad Symmachum, legeratque, quod in ea continebatur. Neque enim adeo fidenter *Symmacho Papæ* ſcripſiſſet hac ſuper legatione (113) Ennodius: *Ad Marcellianum Epiſcopum directa eſt a Fratre veſtro inſtructa legatio*: *ſed quid promoverit, ipſe reſcripſit*. Pari ratione non dubito, juſſum a Laurentio Ennodium proficiſci *Brigantionem* Taurinenſis oppidum Diæceſeos, quæ tum in Italici noſtri Metropolitæ ditione continebatur; quum ipſemet fateatur Ennodius, ſe illi itineri accinxiſſe juſſu *Vatis*, ſeu Epiſcopi ſui, ut in Opuſculo I. Poetico (114) legimus. Quæ porro in Taurinatem regionem poteſtas in Eccleſiæ rebus erat Ticinenſi Epiſcopo? Plurimæ autem cauſæ permovere tum Laurentium poterant, ut Ennodium ad hoc iter ſuſcipiendum invitaret; nimirum recentiora Romanarum Synodorum per hoſce annos edita Decreta Taurinati, proximiſque Galliarum Epiſcopis denuncianda; item in Taurinis ipſis finitimiſque regionibus SS. Martyrum veneratio, quorum *limina* ſe *luſtraſſe* hic fatetur Ennodius; aut adhuc reliqua fortaſſe (*) captivorum in Galliis redemptio; & præſertim *Apologetici* ſui, in V.ª Synodo Romana (115) approbatio Avito Viennenſi contermino denuntianda, qui ſummopere (116) ſuſceptum de

(113) *Epiſt.* 1. Lib. IV. col. 1449. init. Idem ferme habetur in *Epiſt.* 31. Lib. VI. eidem *Domno Papæ* col. 1510., ubi ſic legitur: *Quid Domnus Epiſcopus frater veſter* (Laurentius Mediol.) *ſuper directa legatione ſenſerit, patefaciendum præſati litteris derelinquo*.
(114) *Carm.* Lib. I. n. I. col. 1793. *Itinerarium Brigantione Caſtelli*, ubi ſic diſticho 8.

„ Indutum nebulis canas ſuperare pruinas
„ Edocuit *Vates* fervidus imperio.

Hoc iter ſuſcepit Ennodius æſtivo tempore, ſeu menſe Junio, quum ipſe dicat ibid. diſticho 2.

„ Flammiger ardenti ſorbebat flumina Cancro &c.

(*) Superfuiſſe adhuc nonnullos, etiam poſt completam Epiphanii Ticinenſis legationem, e Gundobadi ſervitute redimendos captivos, ſatis liquet ex Aviti Viennenſis ad *Magnum* Antiſtitem noſtrum *Epiſtola* n. X. inter Opp. Sirmondi T. 2. col. 45. Edit. Pariſ. 1696. cit.
(115) Ap. Labbé T. 4. cit. col. 1364. an. 503. (116) Ibid. col. 1362. *Epiſtola Aviti Epiſcopi Viennenſis ad Senatores Urbis Romæ communi Epiſcoporum Galliæ nomine ſcripta. De Synodo Romana, in qua Epiſcopos Italiæ, qui ad eam convenerant, culpandos docet, quod de Pontificis Romani cauſa judicandum inferiores ſuſceperint*.

Symmacho judicium fuerat averſatus. Hinc fortaſſe Ennodius quum ibi verſaretur, rogatus a Deuterio fuit, ut concinnaret (117) *Præfationem, quando Arator Auditorium ingreſſus eſt*: quum in eadem (118) ſe ſe dicat in *Eccleſiæ angulo* latentem, *tam longe poſitum, per longa itinerum intervalla diſtantem hominem*. Quæ verba Cl. Capſonius (119) adeo ad rem ſuam detorquet, ut de Ennodii modeſtiæ, & animi demiſſionis erga Deuterium indicio interpretetur, & *Dictionem* hanc, quam paulo antea ſuſpicatus fuerat Roma tranſmiſſam, nunc malit in *angulo* Ticinenſis *anguſti oppidi* ab Ennodio ipſo recitatam; quum vere ac proprie locum longe diſſitum, *angulum* ſcilicet Mediolanenſis Provinciæ ſignificent, quæ continebatur in jure Laurentii, non vero Maximi Ticinenſis (*).

(117) Col. 1750. (118) *Dict.* IX. col. 1751. E 1752. A. (119) T. 3. cit. §. L. & LV. p. 52. 57. 58. (*) Neque me angit, quod ſub finem ejuſdem *Dictionis* per prolepſin dicat Ennodius, eam provinciam magis decuiſſe *perſonam religioſam*, ſive majoribus religionis titulis inſignem. Id enim intelligi poteſt per *Sacerdotem*, non autem per *Levitam*, ut vere ſibi conſtet Ennodii ſermo: antea enim dixerat ſe non fuiſſe ad hoc munus evocandum, utpote *officiis* (Eccleſiæ) *ſequeſtratum*, & cujus *animos jam alter ſibi vitæ ordo ſubdiderat*. Quando enim *ordinem vitæ* mutavit, niſi eum Diaconatum ſuſcepit? Quin imo iis verbis: *perſonam religioſam*: crediderim deſignari Laurentium ipſum, quem quidem intento digito paulo ſuperius demonſtravit dicens: *Hunc* (Aratorem) *licet paterna debuiſſet oratio proſequi; non eſt tamen a patre aliena, quam porrigo. Debuit ſibi, mecte, orationem profeſſio & mea.* (*Patrem* ſcilicet decuiſſet tuam, Arator, laudationem contexere, ſed quum ipſemet Leviticum Ordinem ſim profeſſus, *Patris* vices implere poſſum ac debeo) Quis porro Aratoris *Pater*, quænam eſt *religioſa perſona*, quæ Aratorem laudare debuiſſet, niſi *Laurentius* ipſe? Sic enim Ennodius (col. 1753. D) *Ferunt tamen aliqui orbo parentibus ſideli auſpicato gymnaſia litterarum* perſonam religioſam *debuiſſe magis verba præſentare. Orbum parentibus dixi, cui per felicia naturæ damna communis* Pater *& Epiſcopus* (Laurentius) *factus eſt proprius. Ille afflictorum conſolatio, jejunorum cibus, cæcorum oculus, pes claudorum, tot pietatis ſuæ ſpecies, tot miſericordiarum gradus ad hujus convertit perſonæ profectum. Et illud Domni Laurentii, quod mundi neceſſitatibus ſuccurrit, ingenium in miniſterio hujus exercetur infantuli* &c. Verum, ſi conjecturis progredi ulterius licet; quum pluries Ennodius in hac *Dictione* ſe variis diſtentum *negotiis*, & *curarum procellis* conflictatum fateatur, ac vehementi oppreſſum *triſtitia*; deinde apud Deuterium ſe excuſet, quod vix ſupremis labiis *Caſtalium fontem* deguſtaverit; ex hiſce omnibus ſuſpicio ingeri poſſet, num arduum hoc ac difficillimum, ut ipſe deſcribit, *Brigantienſe* iter cauſari voluerit, quod *triſtitiam* ſibi peperiſſe haud obſcure fatetur illo epiphonemate (diſticho 23. col. 1795.):

„ Nil mihi cum dubiis, profunt oblivia triſti;

& num fortaſſe hoc ipſa occaſione lucubrationem hanc poeticam ad Deuterium tranſmiſerit.

Demum ex variis Ennodii ejuſdem *Epiſtolis* haud obſcure liquet, eum Mediolanenſi contubernio uſum fuiſſe.

XII. Quanquam, ne per conjecturas agamus, præſtat nodum hunc de Ennodii incolatu in Urbe Mediolauenſi decernendum exſolvere ipſis Ennodianis *Epiſtolis*; in quibus quum recenſeantur ipſius negotia, facilius erui poterit, quo in loco verſaretur. Eæ itaque ſi attentius legantur, nullum ferme ſuppeditabunt de rebus Ticinenſibus indicium, multa autem afferent pro Mediolanenſibus argumenta. Plures libet proferre, ex quibus dijudicare facile poterit neutri ſtudens parti lector. Ageſis, *Diaconum* ſe nuncupat Ennodius Fauſto Quæſtori (120) ſcribens, ſe incolumem Mediolanum Ravenna digreſſum perveniſſe, nullo alio incommodo vexatum, niſi celeritatis, qua in reditu ſuo uſus fuerat, ut inſtantis hiemis rigorem anteverteret. Equidem Mediolanum erat itineris ſui meta, quam ut clarius indicaret, ſuam in *redeundo celeritatem* explicavit. Porro illud *in redeundo* deſignat locum ipſum & unde erat digreſſus, & quo regrederetur. Cedo item IV.^{am} Libri III. *Epiſtolam*, in qua videtur Ennodius in Foro Epiſcopi Laurentii cauſarum Patronus fuiſſe. Etenim, quum (121) *perditus* quidam *Clericus* coactus fuiſſet in Eccleſiaſtico Tribunali cauſam agere; hujus juſtitiam, & maxime adverſariorum patrocinium ab Ennodio ſuſceptum expaveſcens, ad Sæculare Forum transferre judicium minitabatur. In ea igitur Epiſtola ſuggerit Stephano Abbati, ut

(120) Lib. II. *Epiſt.* 25. *Fauſto Quæſtori Ennodius Diaconus*. Ibid. col. 1423. A: *Ravennam* * *ergo digreſſus, quæ quicquid in præſenti vita habeo dulce complectitur*, Mediolanum *ſalva corporis valetudine, Chriſto proſequente, perveni; male ferens, quam in redeundo, hieme impellente, optavi forſitan contra deſideria celeritatem*. Etiam *Epiſtolæ* 23. & 24. præcedd. ſic inſcribuntur: *Domno ſuo Fauſto Ennodius Diaconus*. (121) Col. 1430. C ſic Ennodius ſcribit Abbati Stephano: *Perditus ille Clericus expavit cauſam dicere apud Epiſcopum, poſtquam defendi a me vidit eos, quibus meum deputaſtis obſequium. Suggero, ſi jubetis, ut unus de ipſis Ravennam ambulet cum veſtris ad filium veſtrum Domnum Fauſtum commendatitiis, ne in præjudicio ipſorum venalis Judicum*, qui Mediolani *exuberant, ſententia depromatur*.

* Schott. *Ravenna*.

Digitized by Google

commendatitias det Fauſto Ravennæ agenti, ne in clientum ſuorum *præiudicium venalis Judicum*, *qui Mediolani exuberant*, *ſententia depromatur*. Nonne venales Judices laici etiam Ticini reperiebantur, ſi Capſonius reſponderet, in ea agi de Epiſcopo *Maximo*? Itaque credendum potius, loqui Ennodium de Laurentio, quum in cauſa Mediolani agenda timeret Ennodius, ne ad ſæculares Judices Mediolanenſes *perditus* ille *Clericus* provocaret. Inſidias item Juliano affini ſuo a Marcellino Mediolani ſtructas per dies quadraginta videbat Ennodius, & Fauſto narrabat (122) *Epiſtola* XX. Libri III. Nonne patria probabiliter, nuptiis, & affinitatibus, domicilio demum Mediolanenſem, certe & Levitam, ſe probat Ennodius, tunc cum amico & conſanguineo pariter Mediolanenſi conſolationem adhibens Armenio in hæc verba (123) erumpit: *Ambroſius noſter decedentem Germanum teſte afflictionis ſuæ libello proſecutus eſt?* Abſtergebat enim ejus dolorem in morte filii *pene* (124) *unici & bonæ indolis*. Quis, rogo, Ticinenſis Levita hac loquendi formula uteretur, ut *ſuum* vocaret Ambroſium? Quibus vocabulis utitur (125) alibi, quum Euprepiæ ſororis miſſas ſibi Arelate litteras legeret, & patrii ſoli ſui amorem ſignificaret? quo deſiderii æſtu illuc convolaſſe cogitationes ſuas teſtatur, dum Mediolani eſſet? quo mentis ardore iraſcitur (126) Elpidio Dia-

(122) Col. 1440. *Multiplicibus veneratoris veſtri affinis mei Juliani negotium Marcellini laborat inſidiis ..... prædictus ſupplex veſter ad* Mediolanenſis *fori audientiam mox concurrit, & per triginta aut quadraginta dies præſentiam ſuam publico, ſicut oportebat, ingeſſit Judici.* (123) Lib. II. *Epiſt.* I. col. 1397. C. (124) Ibid. col. 1398. B. (125) Lib. VII. *Epiſt.* 8. col. 1519. D ſic ibi de ſe loquitur Ennodius: *Habuit Arelatenſis habitatio,* cum Mediolanenſibus *muris includeret: & dum ad dulcem Sedem libertas mentis excurreret, intra Italiam me corporis captivitas includebat.* (126) Lib. IX. *Epiſt.* 21. col. 1578. *Etſi te immemorem mei Pontica facit inhumanitas, me tamen imitari non decet, quod accuſo. Sic de Civitate* Mediolanenſi *quaſi Icarus avolaſti & nec mandati me ſalutatione dignatus es. Sic faciunt, quos potentium lateribus jungit inopinata ſodalitas.*

cono Mediolanenſi Ravennam contendenti, ut medicam, quam (127) profitebatur, ſcientiam Theuderico Regi impenderet; eo quod ſe Mediolano proripuit, abſque impenſo ſibi ne ſalutationis quidem officio? Quomodo *Ponticam* inurbanitatem exprobrare poterat, niſi inſalutatum ſe in hac, unde ille digrediebatur, Urbe reliquiſſet? Series hæc *Epiſtolarum* diverſo tempore pluribus ſcriptarum indicat diuturnam Ennodii in noſtra Metropoli moram, ut plures alias omittam (128) ſubobſcuras, fortaſſe id ipſum teſtantes. Verum fidenter poſſum aſſerere, fere uſque ad Laurentii vitæ exitum apud nos Ennodium moram traxiſſe. Etenim, quum forte Mediolani in conductitia aut incommoda domo verſaretur, tandem anno DX., quo ſcilicet Severinus Boetius ejus propinquus Conſulatum iniit, ab eodem, qui Romæ tum agebat, commodan-

(127) Vide notam Sirmondi ad *Epiſt.* 8. Lib. VIII. col. 1545.

(128) Vide præſertim initio *Epiſt.* 11. Lib. VI. col. 1501. *Digreſſo de* Mediolanenſi *Urbe communi Domino* (ideſt Fauſto Avieni Patre, ad quem hæc Epiſtola) *ſola in conſolatione remanſerunt ſolatia litterarum* &c. Item in *Epiſt.* 1. Lib. 1., ubi rogat Fauſtum verbis Epiſcopi (forte Laurentii) necui dignitatem Advocati Fiſci committat poſt obitum Mauricelli, qui Ligures vexaverat. Item *Epiſt.* 3. Lib. II. *ad Specioſam* col. 1401. Vide ibid. notam Sirm. Item *Epiſt.* 10. Lib. VI. col. 1500., in qua Ennodius commendat Fauſto cæcam mulierem, quam *Martinus conductor de Maditia apprimit*. Porro Modoetia prope diſtat *Mediolano*. Item vide Hymnos *de S. Stephano, de S. Ambroſio, de S. Euphemia, de S. Nazario, de S. Maria, de S. Dionyſio, Epitaphium Ruſticæ*, Item *De Epigrammatis per Armaria Domni Fauſti factis*. Item *Verſus in Baſilica S. Xyſti* infra Cap. III. Sect. IX., *In Baſilica SS.* (forte S. Babylæ, aut S. Naboris, ſup. p. 193.) Item plura *In Domo Mediolani*, de quibus infra Cap. III. Sect. VIII., *De Baptiſteriis Mediolani*, ſup. p. 192. & infra C. & Sect. citt., *De Baſilica S. Calimerii*, infra Cap. III. Sect. IX., *Epigrammata* XIII. Mediol. Antiſtitum, *De Horto Regis*, ideſt Theuderici, de quo infra p. 215. Vide & *Epiſtolas* 17. & 19. Lib. II. datas *Conſtantio* Civi *Mediolanenſi*, & not. Sirm. ibid. Item in *Epiſt.* 29. Lib. VII. *Epitaphium Cynegiæ* Uxoris Fauſti *Mediolanenſis* ab ipſo Ennodio compoſitum, in qua Epiſtola ſalutat Fidelem Senatorem *Mediolanenſem*. Item *Epiſt.* 10. Lib. VIII. ad Maximum, per quam eidem mittit de ipſius nuptiis *Epithalamium*, quod legitur in *Carm.* Lib. I. n. IV. Vide & *Epiſtolam* 12. Lib. VIII., quam dicit Aratori *tranſcurſim dictaſſe, dum de Baſilica remearet*. Ex quibus omnibus ſubobſcure equidem, ſed haud temere conjici poteſt ſatis diuturnum ac ſtabile Ennodii in *Mediolanenſi* Urbe noſtra domicilium.

dam ſibi atque incolendam, quam Mediolani habebat, domum popoſcit, utpote quæ neglecta, & habitatore vacua a ſe utilius poterat (129) habitari. Sed de his curſim proloqui extra ordinem viſum eſt, ut me *præſumptionis legalis* Capſonianæ tricis & laqueis expedirem, & veritatis, quæ Hiſtoricum decet, veſtigia proſequerer. Abſit enim, ut in re tam levis momenti veluti in ſimpulo fluctus excitare videar.

CAPUT TERTIUM.

ITaque, ut eo redeat, unde digreſſa eſt noſtrarum rerum narratio, dimiſſis ab Italia Rugis, quum, undique pacata Heſperia omni metu libera, Theudericus gladium vagina nunquam educendum repoſuiſſet; Gothicis ablegatis pellibus, ad Romanos cum clamyde & purpura mores atque ingenium converſus, ut (1) diximus, confirmaturus Regale Solium, legato uſus Fauſto Patricio Mediolanenſi (2) apud Anaſtaſium Auguſtum anno CDCXIII., tam moderate in Regia dignitate verſatus eſt, ut & nativa expugnata per acre ingenium barbarie optime & pacifice Imperium adminiſtraret, &

Theuderici Regni ſapientiſſimi laudum epilogus.

(129) Sic Ennodius ad Boetium ſcribit *Epiſt.* 1. Lib. VIII. col. 1541. D: *Hoc quoque deprecans, ut domum, quam in* Mediolanenſi *Civitate & abundantia veſtra, & neglectione prope modum jam reliquit, mihi, quo vultis genere concedatis.* Imo jure quodam paternæ hæreditatis ſibi deberi ſubjungit: *Juſtum eſt enim, ut parentes veſtri habeant, quod de patrimonii mole deſcendit.* Item ad eundem *Epiſt.* 31. L. VIII. cit. col. 1557. *Crebras ſuper domo, quam popoſci, litteras deſtinavi. Si poſſibile eſt cupita tribui, jam referte, quia omnia ædificia ejus ſub negligentia conſeneſcunt.* Vide & *Epiſt.* 40. Lib. cit.

(1) Sup. pag. 177. & pag. 181., & not. (1) ibid. (2) Vide Notam Sirm. ad *Epiſt.* 25. L. II. col. 1422., ubi recenſentur omnes dignitates, quas ordine conſecutus eſt Fauſtus.

Digitized by Google

Aurea Regno, imo & Catholicæ Religioni redire Ætas videretur. Hinc Epiſcopis, ut vidimus, pro commiſſis ſibi legationibus in fiduciam optimi & tranquillioris Regni erectis, impertita venia Italicis perduellibus, reſtitutis Liguriæ ſua munificentia colonis; Provincia noſtra præſertim diuturnis afflicta bellis reſpirare tandem viſa eſt, imo & Ipſius præſentia beari. Legimus enim (3) apud Paulum Diaconum, fuiſſe ab eo Rege conſtructum Modoetiæ in ſuburbano noſtræ Urbis Oppido nobile Palatium, cui centum exinde amplius annis Theudelinda Langobardorum Regina ſuum ibidem ſuperædificavit; & apud Ennodium (4) belle deſcriptum videmus *Regis Hortum* (certe Theuderici; nam ei non ſupervixit Poeta noſter) ex quo fas eſt inferre, eum Regem noſtræ regionis ſalubritate, & agrorum amœnitate delectari aliquoties conſueviſſe, imo diuturniorem ibi traxiſſe moram; quum ex Caſſiodorio (5) conſtet, rem frumentariam Ravenna contraxiſſe in regionem noſtram, in qua tum degebat. Poſtquam autem Regiam Ravennæ Sedem fixit, unam ſibi cogitationum ſuarum ſummam conſtituit Italiæ ſibi armis aſſertæ felicitatem in una pace fovenda & tranquillitate. Acutus & ſagax Princeps, atque prudentia æque ac judicio optime præditus, recti tenax, & juſtus rerum æſtimator, in procurandis Reip. commodis ſolers, mira in eligendis Regni Adminiſtris (6) ſui ſimilibus felicitate donatus, egregium exem-

(3) *De Geſt. Longob.* L. 4. Cap. 22. (4) *Carm.* Lib. II. *Epigr.* CXI. col. 1993. (5) *Epiſt.* 20. Lib. II. *Atque ideo præſenti decernimus juſſione, ut quantas in Ravennati Urbe ſulcatorias potuerit reperire, frumentis fiſcalibus oneratas ad Nos uſque perducas; quatenus alimonia publica tali proviſione relevata, neceſſitatem inopiæ non debeat ſuſtinere. Reddat Ravenna copiam Liguriæ, quam ex ipſa conſuevit accipere. Nam quæ præſentiam noſtram ſuſtinet, multorum debet ſolatia reperire.* (6) Caſſiodorium qui Illi ab Epiſtolis fuit, nemo non noſcit. Fauſtum item Mediolanenſem, qui primum Vir Conſularis in Theuderici

exemplum Imperii bene adminiſtrandi propoſitum Succeſſoribus ſane reliquit non æque, aut facile imitandum. Sine avaritia providus; non beneficiorum prodigus; non appetens bellorum, ſed hoſtibus ſemper timendus; beneficentiam cum ſeveritate componens, juſtitiam cum clementia pro meritis cujuſcunque temperabat, ut quem mali horrebant, diligerent boni; quem hoſtes provocare formidabant, ſubditi vererentur. Sed omiſſis compluribus, quæ in Regni ſui adminiſtratione Reipublicæ bono aut providentiſſime cavit, aut utiliter ſanxit ſive in levandis oneribus, ſive æqua tributorum exactione, ſive in publicis horreis in rei annonariæ ſubſidium conſtituendis, ſive tum in privatis ædificiis, tum in munitionibus Romæ reficiendis, ſive largitionum munificentia, ſive in arcendis privatis & etiam militaribus injuriis, ſive in Præfecturis integre adminiſtrandis, ſive in publica reſtituenda Romana magnificentia, ſexcentiſque aliis, quæ in Caſſiodorii *Variarum* Libris exſtant teſtatiſſima; ad ea potius properare operæ pretium eſt recenſenda beneficia, quibus Catholicam Religionem in Liguria præſertim Rex ille, licet ſecta Arianus, ornavit.

II. Laurentium noſtrum in legatione pro Italicis rebellibus ſibi probatiſſimum habuit Theudericus; cumque obitu Epiphanii vidua lugeret Ticinenſis Eccleſia, e ſinu ſuo, ut ita dicam, di- Maximus Epiphanio ſuccedit: a Laurentio conſecratus. Laurentius tranquillitatem Romanæ Eccl. reddit in Symmachi Papæ electione perturbatam. Symmachus pacifice ſedet.

Regia Officiorum Magiſter, deinde Quæſtor, poſtremo Prætorio Præfectus, Illius conſiliorum ſemper particeps fuit, ſiquis ignorat, Ennodium legat. *Marcellum Felicem Liberium V. C. & Inl. Præfectum Prætorio Galliarum atque Patricium* ut facile cognoſcamus, ſufficiat Sirmondi teſtimonium (in nota *a* ad *Epiſt.* 1. Lib. V.) dicentis, *nihil habuiſſe ætatem illam Liberii nomine illuſtrius.* Utque aliquid ſingulare addamus, proponimus legendam Ennodii *Epiſtolam* 23 Lib. IX., cujus hic aliqua delibamus: *Debeo quidem Celſitudini veſtræ pluſquam univerſitas: ſed nolo majus aliquid, quam univerſitatis poſſunt ora depromere: & epiſtolaris anguſtiæ lege contentus ſatis modicum de illa meritorum meſſe prælibo. Feliciſſime hominum hoc totis hoſtilitas virium ſuarum laborat impendiis, ut per totum Orbem tu ſolus diſſipata componas .... lapſa, exuſta, perdita, cum te aſpexerint, convaleſcunt.*

A. CDXCVIII miſit * Maximum, Virum militiæ & Aulæ officiis exercitatum, ut Ennodius ipſe (7) teſtatur in *Dictione* III.; cui *in meritorum teſtimonium virtus cœpit a vocabulo*; quem *olim ſæcularibus inhærentem titulis caſtrenſis ſudor excoluit, & ad Eccleſiæ gubernacula pars adverſa ſolidavit*; quem *ſacrarum Judex* (largitionum) *conſilii comitem meruit & laboris*; qui demum *bene venerandis initiandus altaribus, & in laica converſatione, quod ſacrum erat, elegerat*. Electum autem Maximum quis ambigere poſſit a Laurentio Mediolanenſi conſecratum, quum deceſſorem ejus Epiphanium dilucide aſſerat Ennodius, ut ſupra (8) vidimus, ductum fuiſſe Mediolanum conſecrationis cauſa? Quid enim, rogo, in cauſa eſſe poterat, quod Epiphanius Mediolani inauguraretur, Maximus alibi? Aut itaque ſervata eſt in Maximo Mediolanenſis inaugurationis vetus conſuetudo, aut ratio depromenda, cur in Succeſſore mos ille diſſolveretur. Regia exinde beneficentia, & ſingulari in Eccleſiam ſuam favore fretus Laurentius, quum antea illata Mediolanenſi Urbi per rebelles & hoſtes damna ſarcire, atque veteris ruinæ, quæ templa deformaverat, obliterare memoriam (*) ſtuduiſſet; ſub pacifico Rege ad nova molienda & reparata exornanda convertit animum, immanibuſque ſumptibus Prædeceſſorum gloriam aut æmulari viſus eſt, aut etiam ſuperare. Verumtamen hæc meditantem, & manum ferme operi admoventem alió Laurentium avocarunt (9) Theuderici litteræ, & ſedandæ Romanæ Eccleſiæ coortæ tempeſtatis neceſſitas. Ex Anaſtaſii II. Romani Pontificis obitu vacuam Petri Cathedram rite impleverat Symmachus hoc anno CDXCVIII. Sed Feſti Patricii Romani odio atque artibus excitata Schiſmaticorum repente in Urbe ſeditio alterum Electo opponens

(7) *Dictio III. Data Stephano V. S. Vicario, dicenda Maximo Epiſcopo*. col. 1737. (8) Pag. 125. (*) V. ſup. p. 173. 185. 187. 192. 193. (9) In Act. *Concilii* III. *Rom.* in cauſa Symmachi Papæ, *Concil. T.* IV. col. 1328. & ſeqq.

Pontificem, indignum Petri Sede Symmachum clamitabat. Diutius diviſum in diverſa factionum ſtudia Romanum Populum, imo & Senatum factioſorum voces clamoreſque tenuerunt. Quin & identidem rixis ac contentionibus, excitato bello veluti civili, Roma conflagrabat. Quo in Schiſmate enarrando, quandoquidem Chronologia occurrit ex communi ſententia implexa, & pluribus obſita difficultatibus propter Scriptorum in diverſa abeuntium varietatem; ignoſcat Lector, ne fucum legentibus faciam, ſi omittam hoc loco annos deſignare, quibus illud exarſit, quove temporis puncto ſopitum ſit illud incendium. Secutus igitur Muratorianam (10) in eo deſcribendo methodum, fidenter, ut nuper innui, refero Schiſmatis originem paulo poſt Symmachi legitimam electionem; ſed procul dubio affirmare placet, * anno CDXCIX. pacem Romanæ * CDCXIX. Eccleſiæ redditam, turbaſque plane ſedatas; quum eodem anno I.um ſub Symmacho *Romanum Concilium* ſeditionibus prorſus vacuum abunde teſtetur, pacifice illum Pontificem in Petri Cathedra ſediſſe, ſanxiſſeque, nullo contranitente, leges *de ambitu in comitiis Pontificiis tollendo*, quibus (11) *Cælius Laurentius*, ideſt Pſeudopontifex ipſe, ſi (12) Binio credimus, calculum adjecit. Redactus ergo jam iſte in ordinem fuerat, & Schiſmatis furor conquieverat. Quin imo * inſequens etiam Sæcularis annus D. vidit Symmachum Ro- * An. D. manum Pontificem, Eumque coluit Theudericus Romam ingreſſus: qui S. P. Q. R.um ſuo beavit adventu, & veterem Augg. pompam æmulatus Circenſes ludos exhibuit, ſplendidiſque donariis & largitionibus Romanos ſibi devinxit. Quumque vix Urbem ingrederetur, nova religionis ſpecie Arianus Rex triumphum ſuum

(10) *Annali d' Italia* ad an. 498. & ſeqq. (11) Ap. Labbeum, *Concil.* T. IV. col. 1315. E. (12) Ibid. Nota *b* col. 1317.

eſt anſpicatus, Symmacho Pontifice Maximo illi obviam prodeunte, & honorifice ad Vaticanam S. Petri Baſilicam deducente, ut *Liber Pontificalis* in Ejus Vita nos docet; quod ipſum eſt argumentum Schiſmatis extincti.

Iterum inflammatur Schiſma, de Symmachi Papæ electione; qui tandem, legitima coacta Synodo, calumniis omnibus abſolvitur.

III. Verumtamen, licet vulnus hoc jam videretur obductum, diſcedente Rege acrius recruduit; Feſto ſcilicet & Probino Patriciis faces ſemper admoventibus ad inflammandum Schiſma: quandoquidem ex ipſorum re erat obligatam Anaſtaſio Aug. fidem præſtare, cui fautorem Zenoniani (*) *Henotici* Pontificem a ſe in Petri Cathedram intrudendum ſpoponderant. Igitur, quum dolis & fallaciis male hactenus res proceſſiſſet, exinde vi & armis iterum agi res cœpta. Satellitibus & ſicariis immiſſis, Symmacho faventium ſanguine Forum ac Roma redundavit. Clericis violentæ manus injectæ, virginum fuga, & luctu bonorum; terrore ac vulneribus omnia complebantur. Conquiſiti falſi accuſatores in Pontificem; afficta pudenda & inſolita innocenti Symmacho delicta; & infinitis criminibus obrutæ Theuderici Regis aures: quibus commotus Rex prudentiſſimus, & de Romanæ Urbis tranquillitate ac ſalute ſollicitus, per Accuſatorum fraudem in id conſilii eſt adductus, ut Petrum Altinenſem Epiſcopum judicem in Symmachi cauſa daret, coram quo ſe criminibus objectis Pontifex purgaret. Verum, quum ſe humillimus Pontifex ad probandam ſuam innocentiam judicio iniqui Conciliabuli, licet contra Canones inſtituti, ſiſti non recuſaret; antequam ſe coram iniquo Judice ſiſteret, in itinere tam male cum Clericis ſuis fuit habitus, ut vix incolumis inter lapidum, quibus ab hoſtibus appetebatur, grandinem

(*) Ab Gr. Ἑνότης, *unitas*; Decretum ſcil. ab Zenone Aug. editum pro *unione* Eutychianorum & Neſtorianorum cum Catholicis ſtabilienda.

Digitized by Google

elaberetur. * Tandem, quum ſapientiſſimo Regi Schiſmaticorum vis & fraudes ſuboluiſſent ope Fauſti Mediolanenſis Viri Conſularis, tum Ravennæ Officiorum Magiſtri, aut Quæſtoris, Viri fidei in Regem, & Deum præſertim, probatiſſimæ, ad tutiora item & æquiora Theudericus conſilia mentem animumque convertit. Etenim, quum a Symmacho ipſo, cui Schiſmatici ad Regem aditum intercluſerant, litteras Rex accepiſſet, quibus ſe legitimi Concilii ſententiam exſpectare, imo ad illud ſe provocare ſignificabat; propere Ravennam evocatis Æmiliæ, & Liguriæ, ac Venetiæ, & Heſperiæ ditionis Epiſcopis, quum Regem adiiſſent, ſuum conſilium aperuit Synodi Romæ congregandæ, in qua de Symmacho objectis criminibus, Ejuſque legitima electione ferretur ſententia. Averſati Patres, contra Canones ferendum de Sede Apoſtolica judicium, conſtanter id ſibi licere negarunt, niſi Romani Pontificis accederet conſenſus. Nihil eo reſponſo commotus Rex, non ſolum conſentientem eſſe, ſed rogantem ſuper hoc Romanum Pontificem, oblatis ad legendum Symmachi ipſius litteris, reſpondens, omni Canonum metu liberos Patres Romam ad habendam Synodum dimiſit. * An. DI.

IV. Sed hujus Synodi antequam judicium depromam, præſtat ipſius Theuderici Ariani Regis verba breviter expendere, Conſtantino, & Theodoſio vere digniſſima (13) *Non noſtrum judicavimus de eccleſiaſticis aliquid cenſeri negotiis. Ideoque vos de diverſis provinciis fecimus evocare, ut ſub divini timore iudicii totius certaminis, vobis diſponentibus, cauſa * tranſierit, Urbique noſtræ, Deo favente, optata per vos concordia redderetur*. Neque item omittere mihi hoc loco fas eſt ſingularem in tam nefario Schiſma-

Theuderici ſimul & Laurentii recte ſapienterque geſta pro Eccleſiæ pace, & pro vindicanda Symmachi innocentia in pluribus Romæ habitis Conciliis.

* *tranſigeretur.*

(13) Ap. Labbé *Concil.* T. IV. col. 1331. D.

te præfocando Laurentii noſtri Epiſcopi diligentiam atque ſollicitudinem. Occupabat jam animo futuras in Concilio coacto partium diſſenſiones. Quare, ut primum a Rege juſſus eſt cogere Epiſcoporum Romæ Concilium, antequam Ravennæ Theudericum conveniret conſilium Illius exploraturus ac mentem, commendatitias ſibi ad Fauſtum, apud Regem gratia florentem ac meritis, ab Ennodio Mediolani morante & Fauſti conſanguineo impetravit (14) litteras, quibus ſententiam ſuam aperit de Symmachi innocentia calumniis adpetita. Harum favore nixus ſe itineri accinxit, & Ravennam profectus propitium Regem habuit, & cogendæ Synodi, & pacis procurandæ mandatum. Coacta igitur Romana Synodo ab Epiſcopo Regiæ ditionis, a qua ex Italiæ Metropolitanis unus *Marcellianus* Aquilejenſis cum Suis abſuit, niſi Polenſem (15) dumtaxat Epiſcopum demas; incredibile dictu eſt, quibus obnoxia difficultatibus, quibus expoſita incommodis, quot pateret adverſariis, qua prædita eſſet caritate Laurentii noſtri, qui in ea præſidebat, conſtantia. Debebatur ſcilicet prima, Romano Epiſcopo abſente, ſedes Succeſſori Ambroſii, qui Mediolani olim, ut Ro-

---

(14) En tenor litterarum Ennodii ad Fauſtum Lib. VI. Ep. 9. col. 1500. *Quamvis ad tutelam Pontificis* (Symmachi) *innocentia officii ejus comes aſſiſtat, nec opus ſit humanis ſolatiis Ei, qui humanitatem profeſſione ſuperavit: ſcit tamen omnipotens Deus, me ſancti Epiſcopi* (Laurentii) *portitoris præſentium juſſioni exactum impendiſſe colloquium. Diu enim renitſus ſum, ne arrogans videretur, ſi miniſter* (ideſt Diaconus, Ennodius ipſe) *Antiſtitem, & apud ſanctiſſimam conſcientiam potiſſimum vix mediocris adſereret. Sed perfecta obedientia eſt, quicquid SUMMUS* (hac voce Laurentium compellat, uti Metropolitam. Vide & *Carm.* Lib. 2. Ep. 4. & 12., & Lib. 1. *Hymn.* VI. Vide & infra Sect. X.) *exigit, non negari. Et ideo, prælata debitæ ſalutationis obſequio, precor, ut ad conſolationem multis impugnationibus prægravati ſubſidium conferatis: quatenus ſingularis boni rem facientes, non patiamini immeritum Sacerdotem diuturnæ ſubjacere mæſtitiæ.* (15) *Veneriofus*, vel *Venerius Polenſis* ſubſcripſit Synodis Romm. III. & IV. ap. Labbé *Concil.* T. IV. col. 1327. C. & col. 1339. B. Sed corruptam lectionem emendant Codd. al. ap. Baluz. in *Nova Collect. Concil.*, in quibus legitur *Venerius Pallenſis* in Corſica, vel *Pellenſis*, aut *Spellenſis*. Vide col. 1327. cit. in marg. & De Rubeis Op. infra cit. Cap. 18. col. 161.

mæ Damaſus, univerſam tuebatur Heſperiam, teſte (16) Theodorito. Quantum in ea Synodo adlaboraverit Laurentius pro Eccleſiæ univerſæ pace reddenda, atque partium concordia aſſerenda, præſtat ex Ennodio ipſo, dum Laurentianæ Cathedræ natalem (17) celebraret, audire: *Tunc quo minantium impetus blandimentorum melle domuiſti, qua ſuperborum corda veneranda humilitatis erectione fregiſti, qua labantium animos conſilii radice fundaſti, explicare non valeo. Rei geſtæ notitiam ſcire cupido, ex facti contemplatione compello. Unum Te ſecuti ſunt tot Electi, & in ſententiam Tuam reciderunt tantarum principes civitatum.* Acta autem Concilii ipſius ſingularem Laurentii præſidis prudentiam, atque in Petri Sedem venerationem eximiam plane commendant. Etenim, ut ora calumniantium obſtrueret, & præcipue e Gallia uſque allatrantium, & objicientium, Apoſtolicam Romanam Sedem ab homine judicari non poſſe; Laurentius cum Epiſcopis aliis ita ſententiam ſuam temperavit, ut teſtes quidem adverſus Symmachum productos, utpote nihil certi aut probati aut falſa aſſerentes, rejicerent, aut etiam judicio ineptos pronunciarent; Romani autem Pontificis innocentiam uni *reſervarent Dei* (18) *iudicio*.

V. Itaque ſedatis Romæ turbis ac diſſidiis, ut Rex maxime mandatis ſuis urgebat, reſtituto in Petri Cathedram ac Pontificatus honorem Symmacho, diſſipandæ erant Schiſmatis alibi vigentis reliquiæ. Adhuc ſupererat expugnanda Aquilejenſis *Marcelliani*, qui Concilio non interfuerat, pertinacia. Nihil profecerat

Sedato tandem Rom. Schiſmate, Laurentii curæ in ejus reliquiis diſſipandis. Is *Marcelliani* Aquilejenſ. Epiſc. pertinaciam infringit.

(16) Sup. cit. huj. Op. p. 5. Item Sulpic. Sever. *Sacr. Hiſt.* L. 2. p. 443. Edit. Bonon. 1581. *Duobus Epiſcopis* (Damaſo ſcil. & Ambroſio) *quorum ea tempeſtate ſumma auctoritas erat*. (17) *Dict.* l. cit. col. 1732. E. (18) *Concil. Rom.* III. ſub fin. *Decrevimus .... ut Symmachus Papa .... quantum ad homines reſpicit (quia totum cauſis obſiſtentibus ſuperius deſignatis conſtat* arbitrio divino *fuiſſe dimiſſum) ſit immunis & liber .... Totamque cauſam* Dei judicio reſervantes, *univerſos hortamur* &c. Vide & infra p. 228.

directa ad eum legatione Laurentius, teſte (19) Ennodio: quare non abſonum a fide puto, ad eundem datis litteris, ad Pontificis obſequium revocaſſe. Ennodius enim *poſt extinctas Schiſmatis reliquias*, ut ait (20) Sirmondus, Symmacho Papæ ſcribens (21) in hæc verba erumpit: *Deo gratias principe loco, & tota Epiſtolæ concinnatione referamus, quia in ſocietatem Capitis ſui aliquando Romana membra coierunt*. Item infra: *Quod vix veteres Principes præſentiæ ſuæ ſudore potiti ſunt, hoc ſemper Regis noſtri brevis procuravit Epiſtola*. Et paulo poſt: *Conſummatis congreſſionibus, de iræ hæreditate nil remanet; uno tempore, quos perniciosos adverſarii viderint, blandos ſentiunt tributa pendentes*. Non ignoro, Cl. Rerum Aquilejenſium Scriptorem De Rubeis (22) huic ſententiæ refragaturum, qui velis remiſque contendit, ut labem hanc ſchiſmatis a *Marcelliano* avertat. Verum diſertis verbis id teſtatur Ennodius (23) in citata Epiſtola: quare poſt Romanum Concilium III. præſide noſtro Laurentio habitum adhuc vivebat Marcellianus; qui, teſte etiam (24) Dandulo in *Chronico*, ſedit Annos XIX., quum Cathedram iniiſſet anno CDLXXXV. Porro Ennodius (25) *Marcellianum* a *Marcellino* diſcriminat, illum Schiſmati faventem deſcribens, hunc Electum aliis iiſque optimis coloribus pingens, ut patet legenti *Epiſtolam* (26) illius I.[am] Libri Quinti

(19) Sic in *Epiſt.* 1. Lib. IV. c. 1449.: *Ad Marcellianum Epiſcopum directa eſt a Fratre veſtro* (Laurentio) *inſtructa legatio; ſed quid promoverit, Ipſe reſcripſit*. Vide & *Epiſt.* 29. ejuſd. Lib. (20) In nota *b* ad Ennodii *Epiſt.* 30. Lib. IX. col. 1586. (21) *Epiſt.* 30. Lib. IX. cit. col. 1587. B. D. E. (22) *Monum. Eccl. Aquilejenſ. Commentatio Hiſtorico-Chronologico-Critica illuſtrata* &c. Argentinæ MDCCXL. Cap. XVIII. col. 160. & ſeqq. (23) Confer. *Epiſt.* 1. Lib. IV. cum *Epiſt.* 30. Lib. IX. cit. (24) Ap. De Rubeis Cap. cit. (25) In *Epiſt.* 1. Lib. IV. cit. col. 1449. (26) Col. 1471. *Dum pro veneranda religione conſcientiæ verba dirigitis in Aquilejenſis electione Pontificis . . . . in ignoti nos diligentia ſermonum vincula tenuerunt: quia nihil ſuperat judiciis, quotiens aliquid probatus exte-*

Quinti ad Liberium, qui *Marcellini* electioni præſens fuerat, cujus *Sacerdotium felix* vocat: nimirum quum Schiſma paulo ante obitum (27) reſipiſcens *Marcellianus* jam ejuraſſet, in ejuſdem locum ſuffectus eſt *Marcellinus* anno circiter DIV., ex quo colligitur Marcelliani Pontificatus ad novemdecim annos protractus juxta Dandaium. Abſolutus in III.ª Romana Synodo Symmachus, novam, quæ vulgo IV.ª & *Palmaris* appellatur, congregare * ſtuduit: qua plura ſanxit, quibus farta tecta Eccleſiæ bona in futura etiam tempora ſervaret; refixit item vetuſtum Odoacris Decretum Apoſtolicæ Sedi & Eccleſiaſticæ libertati inimicum, quod per Baſilium anno CDLXXXIII. (28) ediderat; ſcilicet; ne *ſine Regis conſultatione* (29) *cujuslibet* (Romani Pontificis) *celebraretur electio*. Huic pariter Concilio Laurentius Mediolanenſis interfuit, & a Romano Pontifice ſecundus ſubſcripſit; perfectiſque, quæ ad Synodum ſpectabant, reverſus Mediolanum verno inſequentis anni * tempore, quo recurrebat Ejus Cathedræ natalis dies, Mediolanenſes præſentia ſua beavit, eaque in celebritate En-

Synodum Rom. cogit Symmachus, vulgo IV. & *Palmarem* appellatam; qua Odoacris Decretum configitur. Huic Synodo interfuit Laurentius.
* An. DII.

Laurentius Mediolanum cum Ennodio redux, Cathedræ ſuæ natali die ab eodem celebratur.
* An. DIII.

lerit .... Exhibuit inter arbitros Marcellini venerabilis collegam maximus hominum, humilitate ſublimior: & ne poteſtati favor per obliquos adſcriberetur interpretes, quod de propria decerpſit genio, laudati junxit ad pretium. Clariſſimorum teſtimonia ut vires accipiant, culmine caſtigantur. Felix Sacerdotium, cui facem protulit plena mens luminis &c.

(27) Confer ea, quæ pag. præced. recitavimus ex Ennod. Ep. 30. L. IX. col. 1587. B. cum his, quæ leguntur in *Epiſt.* 29. L. IV. ad eund. Symmachum col. 1467., ſcilicet: *Agnoverunt Adverſarii Sedis veſtræ, quo propugnante vincantur; quod proxime de Aquilejenſi Redemptor noſter perſona reſeravit.* Marcelliani obitum his verbis dolet Ennodius in *Epiſt.* ad Avitum tum Aquilejæ degentem (*Epiſt.* 31. Lib. IV. col. 1468.) *Retinet afflictionem mens de tanti deceſſione Pontificis .... Votis veſtris cum Dei adjutorio comitem me promitto, dummodo ſalva Domni Papæ noſtri incolumitate talem vos elegiſſe cognoſcam, quem eum, cui animæ cura eſt, laudare non pudeat.* (28) Vide Binium in nota *d.* ad Synod. Rom. IV. col. 1339. Vide ſup. pag. 149. (29) Synod. cit. col. 1335. A.

Digitized by Google

nodium (30) habuit laudatorem. Quum vero ea laudatione effuſe perſequatur hic Orator, quæ paulo ante Romæ in Conciliis fuerant per Laurentium glorioſe geſta, fidem nobis facit, ſe & Actis Synodorum Romæ interfuiſſe, & cum Laurentio Roma reducem ſuam hic Orationem concinnaſſe, ac coram Eodem dixiſſe; Eum enim præſentem compellat in exitu orationis, uti ſupra (31) obſervavimus. Siquis autem de tempore recitatæ illius Dictionis tacitus ambigat, expendat quæſo Ennodii verba, dum dicit (32) *Tibi venerabilium debetur cuſtodia Canonum*: nonne hic illud indicat Concilium, *Palmare* vocitatum, in quo antiquatum Odoacris Decretum, ſanctioneſque pro Eccleſiæ poſſeſſionibus retinendis ſervandiſque ſunt promulgatæ? Rurſum, ſi ea reſpiciat, quæ paulo poſt ſequuntur: *Tibi patuit, quod aliis accuſantes clandeſtina fraude texerunt. Apud Te compertum fuit, non ſatisfaciendum odiis,*

---

(30) Ennodius in hac *Dictione* Laurentii laudes ſatis pulchre & oratorie perſequens præfatur ab variis Illius perſpectiſque ante Epiſcopatum virtutibus. Has vero, quas alio loco (p. 161.) reticuimus, ubi de tanti Præſulis electione agebatur, hic appoſite recitabimus. „ Tibi ergo, Antiſtes (*inquit col.* 1730. *initio*), nunc non reddam, quod aliis præſtare „ jam didici? quem ad Pontificalem apicem gravitas, pudor, pudicitia, venuſtas adduxit? „ * qui tot dotibus velut in acervum coactis canam dignitatem præſentis Officii ſuſcepiſti, „ habens tantarum honeſtamenta virtutum, quantarum ſingulæ probatum facerent ſpecies Sacerdotem? Taceo univerſitatis in electione Tua conſonantiam, & diſcretarum nationum „ concordem ſententiam non revolvo: ſtatuat illa loco laudis, cui non ſuppetit prædicare de „ moribus. Momentis enim plerumque incerti favoris aura popularis impellitur . . . In te „ libram tenuit qui petitionis Tuæ aut ſocium ſe præſtitit, aut auctorem. Imperitæ cœtus „ multitudinis meritum Tuum expendit lance perfecti; & dum in Te ornamentorum varietas placet, quaſi unus hæres diverſiſſimi instituti; ſic ſinguli hoc de claritate Tua cenſebant ſufficere, quod probabant: quia bona omnia nequaquam omnibus nota eſſe potuerunt: & ſpeciatim ad favorem ſideris Tui univerſos illexeras, alteri oſtendendo, quod „ plus es; alteri, quod ſeverus; alteri, quod bene acquiſiti diſtributor patrimonii; alteri, „ quod ſcires recte parta ſervare. Id ſtudii ſumpſit univerſitas, ut cum de propoſita laude „ unuſquiſque vinceret; collatione tamen in præconiis Tuis melioris tituli ab altero vinceretur. Nolo iſtis diutius immorari. Veniendum eſt ad laboris Tui exercitia; quia ego, qui „ non ſum in laudatione Tua idoneus maximis, neſcio eſſe * parva contentus. Novellis &c. „ (*V. ſup. pag.* 167.) “. (31) Pag. 206. (32) *Dict.* I. cit. col. 1733. C.

* V. p. 161. *Qui tot plenus dotibus* &c.

* Schott. *parvo*.

quotiens fide deſeritur, qui laceſſit: probe intelliget, Ennodium loqui de III.ª Synodo, cui Laurentius præſederat. Item obſervatione digniſſima ſunt prævia illa verba: *Poſtremo improborum loquacitas obmuteſcat, hujus ſaltem æſtimatione ſecreti; quia odiorum incendia, quæ non ex impugnati merito, ſed ex ſtudiorum fomentis arſerunt, nec ſanctæ deliberationis potuerunt fonte reſtingui*. Nonne hoc loci præcipue indicat improbum eorum judicium, qui III.ª Synodo ſub Laurentio habitæ palam obloquebantur? Nondum enim *Apologeticum* pro ea Synodo ſcripſerat Ennodius, uti jam ſuperius (33) obſervavimus, quo eorum judicium reprobandum erat, qui Primam Sedem a Laurentio judicatam dictitabant. Revera poſt Conſulatum Fl. Avieni Jun. regreſſus Romam cum Laurentio Ennodius, illud in V.ª Synodo legit, exceptumque ſumma cum approbatione a Patribus vidit, audiitque perhonorificum Decretum Conciliare, ut ejus Liber immortalitati conſecrandus inter Acta IV.ª & V.ª Synodi (34) referretur. Intererat huic approbationi & Synodo Laurentius ipſe, certe conſilii (35) auctor, cui maxime cordi erat a ſe ſancita defendere; præſertim quum, ut Ennodianis verbis (36) utar, in III. Concilio, quod *Apologetico*

Uterque Romam revertitur ad V. Synodum celebrandam, in qua Ennodius *Apologeticum* ſuum recitat.

(33) Pag. 206. cit. & not. (101) ibid. (34) Initio Synodi Rom. V. anni 503., *Concil.* T. IV. col. 1364. ſic legitur: *Libellus, qui Synodali auctoritate contra eos, qui adverſus Quartam* (V. ſup. nota (99) p. 206.) *Synodum, quæ habita eſt Romæ, Palmari* (al. *palam*) *mutire præſumpſerunt, ab Ennodio conſcriptus eſt, coram omnibus deferatur, & in præſentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus conſono voce comprobato, ſancta Synodus dixit: Hæc futuris temporibus reſerventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus ſerventur. Hic Libellus integerrime ſynodaliter ab omnibus teneatur, atque inter Quartæ & Quintæ Synodorum noſtrarum actiones interponatur, & ita, ſicut harum Synodorum decreta habeatur; quia Synodali auctoritate conſcriptus eſt & roboratus.* (35) Præſumit Cl. Capſonius, ſed non *legaliter* (T. III. §. XLVI. p. 49.) Maximi Ticinenſis Epiſcopi conſilio *Apologeticum* Ennodii Librum fuiſſe conſcriptum. Magis *legibus* conſonum erat, id Concilii a Laurentio proficiſci, qui a ſe præſide & duce Decreta defendenda ſuſcipere maxime debuiſſet. (36) *Dict.* l. cit. col. 1732. E.

defendebatur, Eum *ducem* (*Patres*) *principalis deliberationis caritate tenuerunt*. Quæ autem cauſa Laurentium permoverit, ut perenne teſtimonium, & in omne ævum judicii ſui in III.ª Romana Synodo pronunciati defenſio extaret, illam certe crediderim fuiſſe, quæ eruitur ex Aviti Viennenſis Epiſtola, nomine Epiſcoporum Galliæ conſcripta, inſerta inter IV. & V. Synodum Labbeanæ (37) Collectionis, *in qua Epiſcopos Italiæ*, *qui ad* Synodum *convenerant*, *culpandos docet*, *quod de Pontificis Romani cauſa judicandum inferiores ſuſceperint*. Injuſta porro hujuſmodi ab Gallicana Eccleſia Laurentio noſtro objecta criminatio ſanctione ipſa Concilii ejuſdem diluebatur; quum nunquam Synodus judicium de Symmacho pronunciaſſet, ſed uni *Dei judicio reſervaſſet* (38) Illius diſcutiendam innocentiam.

Laurentius Mediol. regrediens primo fortaſſe Ravennam ad Theudericum proficiſcitur. Mirifica Hujus regiminis prudentia. Ejuſd. Antiſtitis Decretum de *Cellulanis* in Cleri conſortio habendis.

VI. Perfunctus igitur ſumma cum laude Laurentius judicio teſtium, S. P. Q. R.° conciliatis Pontifici, ſedata penitus Eccleſiæ tempeſtate, tandem Mediolanum inter totius Italiæ plauſus regreſſurus tanquam in portum, quis dubitet, an Ravennam primum profectus Regem de Conciliaribus Actis certiorem fecerit, eique gaudium de reddita Almæ Urbi pace, deque omnium Ordinum concordia impertierit? Quanta vero fauſtum hoc concordiæ firmatæ nuncium voluptate Theudericum perfuderit, facile eſt exiſtimare, ſi tanti Regis, licet Ariani, virtutes recolamus ab Ennodio ſincere digeſtas *Epiſtola* XXX. Libri IX. Erat enim ſuapte natura Theudericus ad benefaciendum pronus, ſed dignitatis ſuæ retinentiſſimus, quippe qui non beneficiis ſuis ultro occurreret, ſed rogantibus facile (39) indulgeret; qua ratione nihil maje-

(37) Sup. p. 210. nota (116). (38) V. ſup. p. 223. nota (18). (39) *Symmacho Papæ Epiſt.* 30. L. IX. cit. col. 1587. D. *Nihil apud Illum tutius ſupplicante; ſolus evaſit præliares acies, qui rogavit; vicit armorum impetus, qui obtulit devotus obſequium.*

ſtatis imminueret, ſed nihil etiam liberalitatis detraheret; Eccleſiarum (40) autem bona, Sacerdotumque virtutes plurimi æſtimaret ac coleret. Ea igitur Ravennæ cum Rege congreſſione uſus Laurentius, & Principis animum introſpiciens, facile conſpexit, quanta eſſet præſentis ævi felicitas ſub alienæ ſectæ Rege, quam ſub pio Catholico Imperatore. Secum animo reputabat vetus Romanæ Eccleſiæ diſſidium, quum inter Bonifacium I., & Eulalium ſub Honorio Aug. de prima Sede obtinenda diſceptaretur. Tum datus cauſæ cognitor Symmachus ethnicus Senator; in recentiore autem Schiſmate Rex Arianus totius cauſæ cognitionem in Epiſcoporum Concilium rejecit. Tum piiſſimus Aug. Honorius ethnicorum utebatur conſiliis; unicam Theudericus ſententiam Patrum exſpectabat; & Arii labe infectus, nequid Catholica res detrimenti caperet, cum Catholicorum conſilio ſollicitus providebat. Statim ac ſui preſentiam Paſtoris Urbi noſtræ impertivit Laurentius, plauſu omnium exceptus, nihil antiquius habuit, quam, ut Sacerdotum Levitarumque pudicitiam intactam, & ab omni ſuſpicionis labe remotam ſervaret. Affictum Symmacho ab ineptis & ab lege vetitis teſtibus adulterii crimen, nullaque humana ratione probandum, tanto Patres in Romanis Conciliis coactos horrore perculerat, ut nihil in poſterum futurum expers calumniæ in religioſæ vitæ ſtatu fore crederetur. Qua enim licentia in Leviticam famam & Sacerdotalem bacchatura non fuiſſent improborum maledicta, quam in SS.[mi] Petri Succeſſore tot dicteriis jam violaſſent? Una igitur Patrum mens erat, ut tanto periculo diris & Canonum ſeveritate conſuleretur. Verum ſanio-

(40) Ibid. paulo poſt: *Eccleſiarum noſtrarum patrimonia velabi, niſi aucta fuerint, ingemiſcit .... In Sacerdotibus virtutes & innatas colis, & non repertas inſpiras.*

re conſilio decrevere, a ſanctionibus abſtinendum, ne tantum in Pontificem ſcelus nec verum, nec falſum cadere ullo unquam tempore potuiſſe dubitaretur. Hinc congregati Epiſcopi id ſibi ex communi ſententia ſumpſere, ut Clero quiſque ſuo calumnias hac in parte præcaveret. Primus omnium, quantum ex Hiſtoria conſtat, Laurentius Clericalis pudicitiæ cuſtos & defenſor fuit. Nimirum eam regebat Eccleſiam, cujus Clerum divinis ſuis *De Officiis Miniſtrorum* Libris exacte inſtituerat Ambroſius (41) docens, *inoffenſum & immaculatum exhibendum eſſe miniſterium ab iis*, *qui integro corpore*, *incorrupto pudore*, *alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali ſacri miniſterii gratiam receperunt*. Clericalem igitur pudicitiam omnibus ut teſtatiſſimam faceret, ex Synodi Romanæ mente celeberrimum promulgavit (42) Decretum; ut ſinguli, qui in ſortem Domini vocati eſſent, *Cellulanos*, ſeu *Concellaneos*, contubernales ſcilicet, haberent eorum pudicitiæ teſtes, nequis unquam ipſorum innocentiæ aliquam calumniam & dedecoris maculam aſpergeret. Præſtat ex Ennodio recitare Laurentii *Præceptum*, ut arrectas teneat Landulphi (43) & Sacerdotalis conjugii defenſorum aures, qui commentitio Ambroſii privilegio Liguſtici Cleri caſtimoniam & decus inficere & obſcurare conati incaſſum ſemper fuere; ut conſtet, quæ diſciplina continentiæ ab Ambroſio profecta, & ſub Venerio, uti jam prælibavimus, inviolata, quam ſevere etiam ſub Laurentio legibus tecta uſque ad initium VI.[i] Sæculi nunquam interrupto curſu fuerit producta.

(41) Lib. 1. C. 50. Opp. T. 2. col. 66. (42) Ennodii Opuſc. VII. ap. Sirmond. T. 1. col. 1715. (43) Celebre eſt illud S. Ambroſii teſtimonium ibid. ante nuper citata verba: *De caſtimonia autem quid loquar, quando una tantum, nec repetita permittitur copula? In ipſo ergo conjugio lex eſt non iterare conjugium* &c. Quem tamen locum Landulphus Senior *Hiſt. Mediol.* Lib. I. Cap. XI. ſic corruptum ad rem ſuam tranſtulit: *De Monogamia Sacerdotum quid loquar? Quia una tantum permittitur copula; & hæc lex eſt non iterare conjugium* &c. Vide & Puricell. *Differt.* Landulphi *Hiſtoriæ* adnexam, in *R. I. S.* T. 4. p. 121.

„ PRÆCEPTUM, QUANDO JUSSI SUNT OMNES
„ EPISCOPI CELLULANOS HABERE.

VII. „ Nulli dubium eſt, & *reliqua*. Nos tamen, quos Paſtoralis „ cura conſtringit, quibus tuendarum commiſſa eſt animarum diligentia, ne * ſummorum quiſpiam minimorumque diſpereat; maxime cum mali ipſius recens oculis offeratur exemplum, cum Apoſtolicæ Sedis Præſulem, & omnium pene Eccleſiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incendium, inimicorum rabies tali ore momordiſſet, & in ruinam ſuam aliquorum furor ſine juſta indignatione ſurrexerit. Hanc ergo volentes morborum deſecare perniciem, ne in locum iniquæ aſſertionis noſtrorum aliquis negligentias aucupetur, & ſimilitudine veritatis ad impugnationem fultus occurrat: qui, ut ajunt, viva hominum teſtimonia non formidant, dum, quod nefas dictu eſt, * convicti loco deputatur incautus, & feciſſe ſcelus creditur, qui potuiſſe facere perhibetur. Nemo Dei oculos, quam hominis, judicat plus timeri: errorem * creditur fovere ſolitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere: quaſi cælo facinora penetralibus incluſa non pateant, & vindicari malum non queat, quod homo non reſpicit; credentes, quod rem ſtudii poſſint deputare neceſſitati: & dum homo homini cuſtos eſt, alio maledicendi ordine, pudicitiam valeant * accommodare formidini. Nos quidem vel ex una parte carpendi occaſiones incidimus; nos ſupernæ memores diſciplinæ, * qualemcunque Sacerdotalem dexteram volentibus perire porrigimus; & a ruinæ præcipitio diabolicis actos ſtimulis retardamus: ut diſcant loquaces vel poſt „ Decreta præſentia religioſum amare ſilentium. Nullum ergo Sacerdotum antiquis & modernis legibus obſequentem, nullumque „ Levitarum ſine bene probata volumus in quocumque loci manere

Exemplar Decreti de *Cellulanis* ab Ennodio Laurentii juſſu exarati.

* In MS. Ambr. *majorum quiſp. minorumque*.

* Ib. *conſtricti* &c. *incauto*.

* Ib. *cum dicitur*.

* Ib. *applicare*.

* Ib. *qualecunque*.

„ perſona: vel quem ſubſtantiæ exilitas non permiſerit habere conſortem, ipſe concellaneus fiat alterius. Publicum ſit apud religioſos omne, quod geritur: clandeſtina repudietur obſcuritas: multos habeat actuum conſcios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli, quia, qui * teſtes adhibet, vult probari; male deprehenſa judicetur converſatio, quæ non optat agnoſci. Certe vel ſi mens ſit recti conſcia, vindicta dignus eſt, qui alii exſiſtit cauſa periculi; dum enim ſuſpicionibus patefacit acceſſum, fit fraterni origo diſcriminis, & qui peccandi fomenta tribuit, ipſe jugulum mortis impingit, ut ait divinus & beatus præco: *Noli detrahere, ne eradiceris*. Confeſſor Ambroſius: Multi non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni. * Suſpicio ipſa eſt interitus ſuſpicantis, & quam non caret peccato qui dederit. Unde manſuro cum Dei & Redemptoris noſtri ordinatione Conſtituto ſancimus, Apoſtolicæ Sedis B. Petri vel præſulis ejus auctoritate Papæ ſubnixi, quæ vitia deſiderat radicitus amputari, ut nullus religioſorum de memoratis ordinibus aliter, quam præfati ſumus, audeat converſari, vel quicumque præſumpſerint, cum amiſſione pudoris honorum damna ſuſtineant. * Quomodo grande malum eſt, dicatam Deo perſonam ſalutaribus monitis non parere. Nullus ſecum extraneas habeat mulieres, præter perſonas Canonibus deſignatas; ne agendo taliter, etiamſi vita ſit innocens, damnum opinionis incurrat “.

* Ib. *teſtem*.

* Ib. *Suſpicatio*.

* Ib. *Quando*.

Laurentius ad propoſitum redit de jam exſtructis Baſilicis exornandis, noviſque excitandis.

VIII. Schiſmate igitur ſtirpitus evulſo concordiaque inter S. P. Q. R.[m] atque Symmachum Pontificem Maximum inita, Edicto firmata vallataque adverſus improborum voces Cleri pudicitia, certus de propenſo in noſtram Religionem Theuderici ſtudio Laurentius vix in patriam redux, ad propoſitum ſuum de augendis Eccleſiis ornandiſque rediit, a quo Illum Romani Schiſmatis tem-

tempora (44) avocaverant: obſecundare liberius cœpit religioni ſuæ, inque exornanda aut etiam excitandi nova Templa intentus, obliteratas jam belli Tuſani injurias ita novo decore inducto obruit, ut novam ſacris Ædibus formam adjungeret. A primarii Templi nitore augendo ductis auſpiciis, ad reliqua etiam curas ſuas ac munificam opem traduxit. Ingrato ſilentio præclara Laurentii opera poſteritas oppreſſiſſet, niſi Ennodii in hac Urbe viventis videntiſque ſcripta auctorem deſignaſſent, & memoriæ hominum noſtra etiam ætate commendarent. Siquid aſſequi mente poſſumus in obſcura illa Ennodiani ſtili caligine, Poeta noſter in Epigrammate X. (45) *In Domo Mediolani* inſcripto indicare videtur, prin-

(44) Hoc ipſum ſubobſcure indicat Ennodius *Diſt.* 1. cit. col. 1732. D. ſic Laurentium alloquens: *Secunda poſt dubium temporis* (poſt Tuſanam ſcilicet captivitatem) *nata eſt in Eccleſia Romana captivitas, quæ Te quaſi jamdiu deſidem & laboris fugacem de longa ſinu quietis abſtraheret; cum vix ſpe pacis laboris tui arma depoſita reſumuntur.* (45) Col. 1843. cit.

In Domo Mediolani.

„ Ædibus (*a*) ad genium duo ſunt * conceſſa; per ævum
„ Si niteant cruſtis, aut Domini merito.
„ Herbida paſturam ſimulantia ſaxa virentem
„ Illiciant oculos nobiliore dolo.

* In Edd. *conceſſa per ævum,*

(*a*) Duo *ſunt*, ait Poeta, quæ *genium*, gratiam ſcilicet ac venuſtatem, ſeu majorem nobilitatem majeſtatemque ſacris *Ædibus* adjungunt; nempe *ſi niteant cruſtis*, ſeu opere muſivo infra deſcripto, perenne *in ævum* duraturo; *aut Domini merito*, Laurentii ſcilicet reſtauratoris virtutibus, unde majus ornamentum Domui accedit. Sic & in *Epigr.* VIII. (de quo infra Sect. IX.) *Antiſtes genio pollens* &c. *Ornavit domum meritis* &c. & in *Epigr.* XII. (infra pag. 235.) *Ornatum neſcit, quod venit a Domino.* Item, ut dicitur Epigr. XCI., *fracta* ac diſſipata *vigentium marmorum membra*, prout eorum *partes* ope ejuſdem artificii ſimul *colliguntur*, & paulatim effigiem aliquam mentiuntur, *genium*, ſeu venuſtatem aut animum ſenſim acquirunt. Quod *Epigramma*, quoniam lucem aliquam ſuperiori poteſt afferre, hic integrum juvat exhibere.

De marmoribus opere ſectorio

„ Viſceribus lapidum permixta lege coactis
„ Naturam faciunt artificum ſtudia.
„ In ſolidum fractis riguerunt marmora membris,
„ Partibus in cruſtam colligitur genius.
„ Unam de variis ſpeciem componere fructis
„ Qui potuit, ſaxum duxit in obſequium.

Ex Ennodii verbis, adnotat Sirmondus, *ſatis patet* ſectorium opus *dici, cum variis diſcolorum marmorum cruſtæ committuntur, ut unum corpus, & unam quaſi picturam efficiunt*. Vide Caſſiodor. L. 1. Epiſt. 6.

cipis Baſilicæ parietes veſtiſſe Laurentium Libyco, vel, ut Sirmondus (46) interpretatur, Lacedæmonio virenti marmore verſicoloribus venis aut maculis interpuncto, quibus ingenioſe colori obſecundans pictor Imagines (SS.rum fortaſſe Epiſcoporum Mediolanenſium (*) quos ſuis exornavit Ennodius Epigrammatis) ſuperinduxerat. Addidit inſuper pretium culmini, & laquearibus, impoſitis aureis eburneis & gemmeis ornamentis. Sed antequam alia Ennodiana carmina ad eandem *Mediolani Domum* ſpectantia explicare aggrediamur, operæ pretium eſt ea retexere; quæ ſuperius, ubi de Euſebio (47) diſſerebamus, non improvide prælibavimus.

Ea, quæ de Euſebio diximus, recoluntur, unam ſcilicet reparaſſe *Majorem* Eccleſiam ab Attila deſtructam.

„ Pellat (*b*) opus tamen arte, regat natura figuras,
„ Viſcera dum lapidum fingit imaginibus.
„ Candorem (*c*) roſeo perfundat Doctor ab ore,
„ Depingat ſparſis congrua membra notis.
„ Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas
„ Non datur humanis plus rutilare bonis.
„ In pretio cautis ſors, & ſine lege jocatur:
„ Moribus ut conſtes, crede, laboris erit.

(*b*) *Pellat opus tamen arte*; ideſt ars expellat artem, ſeu hæc ita deliteſcat, ut omnia a natura eſſe videantur, juxta illud recit. *Epigr.* XCI.
„ Naturam faciunt artificum ſtudia

(*c*) *Candorem* &c. Num pingitur hic S. *Doctor* Ambroſius? cujus effigiem jam Vates expreſſerat in *Epigr.* LXXVII. ubi v. 5. ſic ait:
„ Roſcida vegiſco, cui fulſit murice lingua

(46) In Nota *c* ad *Epigr.* cit. col. 1843. (*) Præter Epiſcoporum noſtrorum Imagines Carminibus in *Domo* illuſtratas, ſuſpicor, etiam *Serpentem Æneum* in Ambroſiana Baſilica exornatum. Locum conjecturæ facit *Epigr.* VII. (col. 1841.) ſcilicet

(*Serpens Æneus in Cruce*).
„ Occiſor mortis, dux vitæ, planta ſalutis,
„ Aſpice, nunc Serpens ecce venena fugat.
„ Et quod ſupplicii ſpecies, & mortis imago
„ Jam fuerat miſeris, eſt mihi certa ſalus.

Quod ſi vero in eum Serpentem antiquiſſimum, adhuc ibi erectum, conſcriptum fuit hoc Epigramma, ſuſpectæ fidei habebitur Landulphus, dum L. 2. C. 18. Conſtantinopoli ab Arnulpho Epiſcopo circa annum 1002. delatum ſcribit; atque omnino evaneſcent ejus ſomnia, qui putavit, eundem Serpentem eſſe, *quem Moyſes in deſerto, divino imperio admonitus, coram filiis Iſrael exaltaverat*: quam fabellam riſu proſequitur etiam Murator. *Antiq. Med. Ævi, Diſſ.* 59. T. 5. col. 73. D., & Mabill. *Itin. Ital.* p. 16. Ed. Pariſ. 1687. in 4. (47) Pag. 101. & ſeqq.

Dum ſanctus ille Antiſtes Urbi reparandæ per illatum ab Attila excidium curam ſtudiumque impenderet, unam certe video Baſilicam primariam, quam *Maiorem & Intramuranam* vocaverat Ambroſius, in veterem formam fuiſſe reſtitutam. Hoc ipſum ingenue teſtabatur S. Maximus in Homilia ſuperius (48) citata his verbis: *Omnipotens Dominus ..... Eccleſiam ante ſuam, quæ utique* caput *eſt Civitatis, rediviva conſtructione reparavit. Qui ergo inſtaurationi collapſi* capitis *adfuit, dabit, ſi ita mereamur, ut iacentia* capitis *ipſius* membra *conſurgant*. Ea itaque Baſilica *caput* erat, ſive primaria, quæ vel tunc, vel exinde *Hiemalis* dicta fuit: dumque hæc ſpes Mediolanenſium animos lactaret ac permulceret, conjicio, poſitam fuiſſe Inſcriptionem illam Euſebio glorioſam, jam alibi (49) relatam, licet revera unam *S. Mariæ* ſacram & primariam Euſebius reparaſſet. Hoc ipſum probat conſequuta ejus Baſilicæ (50) Dedicatio, III.ª Octobris Dominica die ab Euſebio facta, paulo poſtquam ex Ambroſianis ritibus Hiemale Officium cœperat; quod inter Octobris Dominicam I.ᵃᵐ & Sabbatum Hebdomadæ Sanctæ (nos *in Authentica* appellamus) jam tunc celebrabatur. Itaque probari nequit, S. Euſebium Baſilicæ *Veteri* ſeu *S. Theclæ*, neque *Baſilicæ Baptiſterii*, quæ poſt *Maiorem* reſtaurandæ erant (Baptiſmus enim aut Paſchate aut Pentecoſte, ſcilicet *Æſtivo*, ex ritu noſtro, tempore adminiſtrabatur) reædificandis manum admoviſſe. Spem igitur perficiendæ in iſtis Baſilicis reparationis interceperant ſubſequuta ad annum CDLXII. Euſebii mors, & temporum ſequentium iniquitas, Imperio Romano ad interitum vergente, imo & ruente, ac demum per Odoacrem extincto.

---

(48) Pag. 97. nota (34) & pagg. 103. 113. (49) Pag. 103. cit. Vide & p. 116. (50) Vide ſup. pag. 105. & ſeqq.

Digitized by Google

Certam porro hanc conjecturam facit Ennodii Epigramma ſuperius recitatum (51) & a Sirmondo inſcriprum (*De Duabus Domibus Conjunctis*) quod nos interpretati ſumus de gemina Intramurana Baſilica, *Maiore* ſcilicet, & *S. Theclæ*, quarum primam poſt Attilæ deſtructionem Euſebium reparaſſe certo ſcimus, alteram adhuc jacentem Laurentius cum *Maiore* conjunxit; quod certe non eveniſſet, ſi Euſebius, aut alius ex ſuccedentibus Epiſcopis ante Laurentium hanc etiam minorem Eccleſiam inſtauraſſet. Quare prærepta Euſebio & Succeſſoribus fuit laus & gloria perficiendæ Baſilicarum Mediolanenſium, ſive *S. Theclæ*, & *Baptiſterii*, reparationis, & ad tempora uſque Theuderici Regis uni Laurentio noſtro reſervabatur, ipſomet teſte Ennodio, qui utramque primariam in unam coaluiſſe, & poſtmodum ex his alteram, ab Euſebio refectam, magnifice exornari viderat, alteram vero cum *Baptiſterio* jamdiu excifam reviviſcere atque excitari. Quid enim ſibi vult Poeta (*) in Epigrammate XII. (52) iis verbis *Domus arcta*, niſi minorem ſive anguſtiorem Baſilicam, quam *arctam* lege metri vocat, ſed *Domum* appellat?

Geminæ intramuranæ *Domus*, ſeu Baſilicæ a Laurentio exornatæ, & *Baptiſterii* ab ipſo reædificati artificium ex Ennodio deſcribuntur.

---

(51) Pag. 187. (*) Hoc cum ſeqq. 4. Epigrammatis edidit Sirmondus unico a ſe præfixo titulo (*Item in Domo Mediolani*) In aliis vero Edd. hæc omnia cum præcedenti, apud Sirmond. XI., quod verius ad *Baſilicam Apoſt. Novariæ* ſpectat, tanquam unicum Poematium continenter ſcripta leguntur, cui Andreas Schottus titulum præfixit: *Ibidem*, ſcilicet *In Domo Mediolani*. (52) col. 1545.

(*Item In Domo Mediolani*)

„ * Aſpice, de cujus biberit Domus ** arcta fluentis,
„ Atria quod ſuperat porticibus modicis.
„ Pontificis Summi ſtudio conſtructa renidet,
„ Laurenti proprium poſſidet iſta diem.
„ Splendida per cenſus conſurgunt tecta ruinam,
„ Occaſum neſcit, quod venit a Domino.
„ Vix caries ſenium comitata hoc deterit unquam,
„ Gloria factoris quod bene condiderit.
„ Fabula de magnis nunquam tacitura reſervat,
„ Quod vincens ævum nomen ad aſtra ferat.

* MS. Ambr. cit. & al. Edd. forte melius *Accipe*.
** MS. cit. *archa*.

Digitized by Google

Nonne licet conjicere, *Sanctæ Theclæ* Templum hic indicari? Ei enim convenit *Domus* nomen, quo item Baſilica *Major* inſignitur. Placet hic animadvertere, quo luxu atque impendio eam Eccleſiam Laurentius excitaverit. Hanc ſuo more deſcribens Ennodius innuere primo verſu videtur, largiflua quodammodo Conditoris beneficentia refloruiſſe, utpote quam antea depreſſiori tecto, ſeu teſtudine, ac tenebricoſam, clariori lumine donatam ſuper ejus *Atrium* extulerit, ſive veſtibulum, quod *modicis porticibus* (*) incubabat. Tantam vero aſſerit intuentibus magnificentiam exhibere, ut per opulenti Ejus patrimonii *ruinam* excreverit; ſcilicet Ille opes ſuas ac cenſus in ea ædificanda profuderit, opus molitus in omne ævum duraturum. Pari ratione nonne locus conjecturæ datur, Ennodium in *Epigrammate* (53) XIV. innuere voluiſſe *Baptiſterium*, quod jam ſupra vidimus. (54) in *Epigrammate* LVI. a Laurentio extructum & mirifice exornatum? Cur enim in priori illo dicitur *felix qui liquit habitacula diu poſſeſſa*? cur *felix Domus quæ crevit ſic viduata Domino*? niſi quod hæc in novam formam creverit, ſcilicet in novum *Baptiſterium*, quod ab Ambroſii tem-

(*) Interpretabitur id fortaſſe quiſpiam de *Majori Baſilica* ipſa antea *arcta*, ideſt anguſtiori; ſeu *ausla*. Si *Domus Arca* recte legitur in MS. noſtro, hæc eſt juxta Vitruv., L. 6. Cap. 4. univerſa trabium diſpoſitio tectum ſuſtinens, ſive contabulatio.

(53) col. 1845.

Ibidem

„ Qui poſſeſſa diu felix habitacula liquit,
„ Quæ crevit Domino ſic viduata Domus. . .
„ Aulica ſuſcipiens moderamina raptus inemptum,
„ Qood pretio mentis quæritur, obtinuit.
„ Nunc locus irriguo retinet, quod ſorbuit, hauſtu,
„ Proſpera cuſtodiens faucibus * acta ſemel. *Al. *ausla*.
„ * Extemplo quiſquis ſucceſſit manſor & hæres, * MS. cit. & al. Edd. *exemplo*.
„ Ingreſſo dextrum contulit iſta pedem.
„ Quid præſtet conſors ad ſanctam diſcite vitam,
„ Si reddunt mundos tecta dicata viros.

(54) Pag. 192.

poribus uſque ad Euſebium diu poſſeſſum, omnino deſertum propter Attilæ excidium fuerat, in præſens autem a Laurentio reædificatum. Propriis profecto coloribus Vates ſecundo diſticho Ambroſium deſignare videtur, qui dimiſſis Aulæ negotiis, quibus antea erat addictus, ad Pontificiam Sedem *raptus*, *pretio mentis*, animi ſcilicet virtutibus, *inemptam* obtinuerit dignitatem, quæ nonniſi diuturna in Clericali militia exercitatione ac diſciplina acquiritur. Proſequitur Ennodius explicare ejuſdem Fontis artificium, quod mihi in mentem revocat XIX. ipſius Ennodii (55) Epigramma ſic inſcriptum: *De Leone marmoreo, qui aquam mittit in Domo*. Utrumque enim ſi componamus, facile erit conjicere, *Leonem marmoreum* aquas ore vomentem Fontis ſpeciem expreſſiſſe; quum aquæ ex ejus faucibus defluentes in ſubjectam pateram oculorum errore crederentur inferius abſorberi, & iterum ſuperius aſcendere ut relaberentur. Quid aliud ſignificat in eodem Epigrammate XIV., ingredientes hanc *Domum extemplo* fieri *manſores & hæredes*? num quod perfuſi baptiſmo *filii* ſunt Dei, *manentes* (56) *in domo in æternum*; *ſi* (57) *autem filii Dei, & hæredes*? Sin vero laxius conjecturam extendere velimus, fortaſſe iis verbis, hanc Domum *ingredientibus conferri dextrum pedem*, ſuſpicari poſſumus, lotionem pedum Ambroſiano Ritu poſt baptiſmum (58) factam ibidem mi-

(55) Op. cit. col. 1849. ſic habet:

„ Aſpice depoſita blandum feritate Leonem:
„ Ore vomit lymphas pectoris obſequio.
„ Unda fluit roſtro, dens mortis pocula mandit,
„ Naturam perdens bellua nos ſatiat.
„ Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
„ Dira ſalutiferis corda * lavantur aquis.

* Schott. in not. *luantur*.

(56) *Jo.* Cap. 8. v. 35. (57) *Ad Rom.* Cap. 8. v. 17. (58) S. Ambr. *De Myſteriis* Cap. VI. n. 31. & ſeqq. Opp. T. 2. col. 333., ſed clarius in *Expoſ. Pſalmi* 48. n. 9., Opp. T. 1. col. 948. in hunc modum: *Unde reor, iniquitatem calcanei magis lubricum delin-*

rifice exprimi. Concludere demum videtur Neophytos exhortando, ut *in omni* (59) *converſatione ſancti ſint*, docens quantum ad hoc *præſtet* propoſitum ſibi exemplum *conſortis*, ſeu eorum, qui in eandem ſortem vocati fuerunt, qui *Templum* (60) *Dei vivum* ſunt; ſi etiam cæmentitia templa ſacris uſibus *dicata mundos* efficiunt *viros*. Quæ porro verba, ſicuti & poſtrema illa Epigrammatis XIX.

Dira ſalutiferis corda lavantur aquis,

aperte indicant ſalutarem Baptiſmalis Fontis effectum. At, rogabic fortaſſe quiſpiam, quorſum reliqua *in Domo Mediolani* Epigrammata (61) XV. & XVI.? Modo eorum ſenſum perſcrutari velimus, ex

---

quendi, quem reatum aliquem noſtri eſſe delicti. Meritoque Dominus .... lavemus, inquit, & pedes, ut calcanei lubricum poſſimus auferre &c. Ambroſio conſentit etiam Auctor *de Sacram.* L. 3. C. 1. n. 7. int. Opp. S. Ambr. T. 2. col. 363.

(59) I. *Petri* C. 1. v. 15. (60) II. *Cor.* C. 6. v. 16. Vide ſis Ennod. *Epitaph. Habundantii*, in *Epigr.* 2. v. ult., ubi de eo ſic ſcribit: *Inque vicem Templi pectora munda tulit*.

XV.

(61) „ Da Pater omnipotens, per ſæcula longa, precamur,
„ Spes ut certa tuis hoſpitibus veniat.
„ Candida ne meritis fuſcentur ſtamina noſtris,
„ Neu metis ſiſtat palma parata meis.
„ Surgat, qui propriæ Genitricis fotus in alvo
„ Ad guſtum Vitæ per tua dona venit.
„ Tu mea vel tenui perfundis corda ſapore,
„ Tu teſtem linguam Sanguinis eſſe facis.
„ Celſa tenebroſo frondeſcunt arbuta luxu,
„ Quæ nullis ſtrinxit falcibus agricola.

XVI.

„ Eloquium certus * naturæ conſtitit index,
„ Perfecti fontem quærere qui ſitiat.
„ Libertas ſemper ſtudiis reſeratur honeſtis,
„ Infabricata latet nobilitas ſtudiis.
„ Captivum venis ſervaſſet terra metallum,
„ Ni daret inventor, quod vocat in medium.
„ Scrutator ſalvum conceſſit pallidus aurum,
„ Qui polit, ingenium ſic facit eſſe ſuum.
„ Hactenus Ionium perluſtrans remige pauco
„ Ad portum cymbam flecte, Thalia, meam.

* Ennod. in *Epigr.* 96. v. 5. *Index naturæ ſtudium* &c.

his primum continere videtur deprecationem ad Deum pro Neophytis, qui ſtatim poſt *Baptiſmum SS. Euchariſtiam* ſuſcipiebant. *Hoſpitibus*, ſeu *manentibus in Domo Dei*, ſcilicet recens baptizatis Vates exponit votum ſuum, ut *certa* aliquando eveniat futuræ *ſpes* gloriæ, per fidem in baptiſmo acquiſita, ideſt, ut quam nunc ſperant, certo poſſideant. Deinde exoptat, ut vitæ *candorem* tueantur, & poſt bonum certamen victoriæ *palmam* arripiant. Exhortatur, ut *ſurgant*, qui in *alvum* Matris Eccleſiæ vix antea regenerati Panis *Vitæ* participes ſiunt. In quarto diſticho plane ſignificat Communionem ſub utraque ſpecie Panis & Vini, quorum *vel tenuis* libatio cæleſti *ſapore*, ſcilicet gratiæ dono, ſatis cumulate *corda perfundit*. Ominatur demum, fore ut veluti excelſæ arbores *agricolæ falce* intactæ, nulla ſcilicet culpæ plaga vulnerati, luxurioſe *frondeſcant*, cæleſtia nempe ac ſublimiora magis magiſque æmulentur. Altero denique Epigrammate haud obſcure Ennodius innuit politiorum litterarum *Scholas*. Studiorum tyrunculos apprime docet, amorem erga Eloquentiæ ſtudium ſatis prodere *naturam*, ſeu indolem illius, qui *perfecti fontem ſitiat*: ſuam porro eſſe in *honeſtis* ac liberalibus diſciplinis nativam atque inſitam ingenuitatem ac nobilitatem: nil prodeſſe ingenium, niſi, ut aurum, expoliatur. At quomodo melius Ennodium explicarem, quam per Ennodium ipſum, qui eandem pene ſententiam proſa oratione exponit in *Dictione X.*, inter *Scholaſticas* IV.ª, cui titulus: *Gratiarum actio* (62) *Grammatico*, *quando Parthenius bene recitavit*? Sic enim (63) inquit: *bonorum ſemper meritorum*

(62) Ennodius *Deuterio Grammatico* gratias agit, ut opinatur Sirmondus ibid. nota *b.* quum Parthenius ex Sorore nepos *ſpecimen profectus ſui declamando dediſſet*. (63) Col. 1755. B. C.

torum labes eſt habere lucem ſanguinis, & nocte ruſticitatis includi (probroſam ſcilicet eſſe generis nobilitatem cum ingenii *ruſticitate* conjunctam) . . . . *Aurum nihil eſt, niſi manu componatur artificis* . . . . *ceſſante induſtria, exigua eſt claritas, quæ venerit a natura. Fabrilibus debet ſtudiis, quod in partu ſuo terra laudatur* &c. Hoc Epigrammate, ſi, ut pronum credere eſt, ad *Mediolani Domum* ſpectabat, nil porro validius afferri poſſet ad confirmandam clariſſimorum Scriptorum ſententiam, Sirmondi (64), Saxii (65) & (66) Tiraboſchii, qui (67) *Auditorium*, ſeu *Scholas*, de quibus crebram injicit mentionem Ennodius, viriliter Urbi noſtræ Mediolano adverſus (68) Ticinenſes Hiſtoricos vindicarunt; quæ utique juxta veterem Eccleſiaſticam conſuetudinem (69) apud Eccleſiam, ſeu *Domum* Epiſcopi ſitæ erant. Poſtremo diſticho innuit Vates, vel ſe rhetoricis exercitationibus valedicere, vel poeticæ ſuperiorum, uti ad eandem *Domum* ſpectantium, Epigrammatum lucubrationi faſtigium imponere. Quare hinc etiam opportuniſſime colligitur, hæc ſingula pro *Domo Mediolani* compoſuiſſe.

Baſilicam *S. Xyſti* Laurentianæ adjungit. *Sancti Calimerii* Ædem in meliorem formam extruit. De Cryptarum, ſive *Confeſſionum* origine.

IX. Verum ad alia properare placet Laurentii religionis monumenta, quibus Urbem noſtram illuſtravit adeo, ut nulli ex Prædeceſſoribus ſuis ſub Auguſtis Catholicis ſedentibus impar viſus ſit, licet ſub Ariano Rege Eccleſiam noſtram adminiſtraret. Non igitur omittendam cenſeo *S. Xyſti* Baſilicam, quam Ille Laurentianæ adjunxit, ut prænuncium Laurentiani martyrii Pontificem

Hh

(64) Opp. T. 2. cit. col. 1749. nota *a*. (65) *De Stud. Mediol.*, *Prodrom.* Cap. V., inſ. in *Bibl. Script. Mediol.* Argellati T. 1. col. XVII. & ſeqq. (66) *St. della Lett. Ital.* T. 3. L. 1. Cap. III. §. IV. VII. & X. p. 31. & ſeqq. (67) Vide ſup. p. 202. (68) Gatt. *Hiſt. Gymn. Ticin.* Cap. IV. Capſon. Op. & T. 3. citt. §. LI. & LIV. pag. 53. & 58. (69) De Philoſophorum *Scholis* apud Epiſcopi Domum Landulphi Senioris ævo, ſed jam *longa temporum ordinatione Epiſcoporum antecedentium* inſtitutis, vide eund. Landulph. *Med. Hiſt.* L. 2. C. 35. in *Rer. It. Scr.* T. 4. p. 93. col. 2. B. C. Vide ſis Murat. *Antiq. Med. Ævi*, *Diſſ.* 43. *De Litterarum ſtatu, neglectu, & cultura in Italia poſt Barbaros &c.* T. 3. col. 809. & ſeqq.

ibidem in cultu haberi vellet, ubi SS.[mi] Levitæ memoria coleretur. Atque ea ipſa de cauſa teſtatur Ennodius, illam fuiſſe excitatam a Laurentio Baſilicam Epigrammate VIII.° (70) hexametris contexto. Supremum hoc opus Laurentii noſtri plane crediderim; quippe inter tot ſacras Ædes ab Illo refectas, aut a fundamentis erectas vereor, ne hanc *Xyſto* nuncupatam perficiendam Succeſſori reliquerit. Sepulcri Laurentii locus a *Catalogo* noſtro vetuſtiſſimo deſignatus, ſi vere idem eſt ubi apprime conditus fuit, ſuſpicionis hujus cauſam mihi ſuppeditat: ibi enim lego, in proxima *Sancti Caſſiani* Baſilica depoſitum; atque ex adverſo Illius Succeſſorem Euſtorgium II.[um] in *Sancti Xyſti* tumulatum. Pendebant ſcilicet fortaſſe adhuc opera interrupta excitatæ *S. Xyſti* Baſilicæ quo tempore migravit ex vita Laurentius; quare in proximiore recondi oportuerit. Euſtorgius vero quum cœptæ a Deceſſore Baſilicæ extremam appoſuiſſet manum, tanquam in ſua tumulari optavit. Sed revocat me Ennodius ad aliud pariter a Laurentio in meliorem formam erectum Templum, Sanctoque *Calimerio* Martyri atque Epiſcopo noſtro dedicatum, cujus mentionem injicit (71) Epigrammate LX.° Quod

---

(70) col. 1843. *Verſus in Baſilica Sancti Xyſti Epiſcopi facti & ſcripti, quam Laurentius Epiſcopus fecit.*

„ Antiſtes genio pollens, probitate, pudore,
„ Ornavit donum meritis, & lumina vitæ
„ Ad pretium jungens Operis, hæc Templa locavit.
„ Lapſa per incertos non ſpargit fama receſſus;
„ Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
„ Quam dexter capiat Laurenti * munera *Xyſtus*.
„ Sic manet officium, quod ſanctis contigit olim,
„ Obtulit hic Templum, veniens quod conſecrat ille.

* Andr. Schott. in notis, *munere*; & in ſua Ed. pro *Xyſtus*, habet *Chriſtus* ut in noſtro MS.

(71) col. 1867. *In Baſilica S. Calemeri, quando reparata eſt.*

„ Libera captivum meruerunt culmina lumen;
„ Arridet facies nubila nulla gerens.
„ Hic nuper aſtrigeri dos proxima venit Olympi,
„ Laurenti Vatis ducta miniſterio.
„ Ædibus & vitæ, cujus nunc una figura eſt,
„ Ceu ſolis radiis forma, color ſimilis.

ut ſuo in lumine collocetur, hic recolenda cenſeo, quæ in Sancti Martiniani Actis (72) prænotavimus, cum in loco *ad Innocentes* dicto Baſilicam excitavit. Tunc non diſſimulavimus, plura Mediolani loca exſtitiſſe Martyrum noſtrorum memoriæ conſecrata, quæ in modum *cryptæ* locum, ubi quis martyrium pertuliſſet, poſterorum memoriæ commendarent. Quum vero procedente tempore aggeſtis dirutarum ædium ruderibus ac de novo ædificandarum parietinis circumjacens Urbis ſolum elevaretur, ſubterranea item ea loca, & profundiore, quam cetera, pavimento, oculis advenientium decreſcebant; quare portarum atque aditus lumine excluſo obſcuriora efficiebantur. Hinc factum eſt, ut difficilior eſſet colentium acceſſus, & ſi identidem in altiorem ſtatum redigerentur circumſtantes parietes, depreſſiore primitus retento religioſe ſitu, ſubterraneæ omnino eædem *cryptæ* viderentur. Atque hæc ſubterranearum, ut vocant eccleſiaſtico vocabulo, *Confeſſionum* origo; quæ ideo *Confeſſiones* dictæ, quod ibidem Martyrum, qui Chriſti nomen ſanguine perfuſo *confeſſi* fuerant, Corpora mortaleſque exuviæ reconderentur. Hinc etiam effectum eſt, ut vetuſtiſſimæ quæque Baſilicæ profundiore, quam ceteræ Urbium partes, ſitu depreſſæ ingredientium oculis noſtra ætate appareant, & accedentibus ævo poſteriore novis aris aut veterem *cryptam* amiſerint, aut retinuerint, ſi fornicatam *cryptam* texerint altioribus ſuperimpoſitis aris, ad quas ſcalarum ope aſcendatur. Laurentius itaque, quum tot novis Templis Urbem ſuam ornaſſet, indecorum putavit, ſe Præſule, vetera ſacrarum Ædium monumenta

„ Euge vetuſtorum reparator, perge novorum
„ Conditor & vultu clarus, & ingenio.
„ Abjurant priſcam, Te Præſule, tecta * figuram,
„ Advena caſuris porrigitur genius.

* MS. Ambr. cit., & al. ibid. *ſenectam*.

(72) Vide ſup. pag. 70. & ſeqq.

interire. Quum Sanctus Calimerius Pontificatum ſuum martyrio ornaſſet inter ſævientium in Fidem Catholicam Tyrannorum gladios, Chriſtianorum hic degentium illa tempeſtate cura & ſolertia cantum fuit, ut Martyris nomen & martyrii locus poſterorum memoriæ conſignaretur. Deferveſcente poſtmodum Ethnicorum perſequentium impetu, acceſſit ei loco Fidelium veneratio, & ad obſcurum primitus ſpecum adjecta fuerat ſacelli amplioris ſpecies, quo frequentior eſſet Fidelium ad Martyrem concurſus, nullo tamen in illud permeante lumine, ut tutior ab Ethnicorum injuriis locus Chriſtianis unice pateret. Neque ævo tranquilliore ſuccedentium Antiſtitum cura ulterius progredi viſa eſt, niſi ut loci venerationem ſervaret; quemadmodum *S. Celſi* Corpus intactum in veteris Sepulturæ loco reliquerat S. Ambroſius, cultui quidem Fidelium expoſitum, non tamen (73) in *Apoſtolorum* Baſilicam cum *S. Nazario* illatum. Quare, quum obſcura illa S. Calimerio poſita Ædicula ſuccedentium bellorum cauſa, quibus V.° Sæculo noſtra laboravit Liguria, vitio vetuſtatis ruinam minitaretur; ſuarum eſſe partium putavit Laurentius, hanc etiam fatiſcentem non reparare tantum, ſed nova ac decentiore luce & forma donare. Neque mihi faceſſit negotium Ennodiani Epigrammatis titulus: *In Baſilica S. Calemeri, quando reparata eſt*; non enim ante Laurentii reparationem Ædes illa erat *Baſilica*, verum talis effecta, quum eſſet ab Illo reparata. Hoc enim ipſum indicare videtur Poeta quarto illius Epigrammatis diſticho.

Euge vetuſtorum reparator, perge novorum
Conditor.

(73) Vide Cajet. Bugati Collegii noſtri Ambr. Doct. *Mem. Storiche-Critiche intorno le Reliquie, ed il Culto di S. Celſo Martire* &c. citt. Cap. II. & ſeqq. *Mil.* 1782. *in* 4.

Digitized by Google

atque ipſa concluſio:

Abiurant priſcam, Te Præſule, tecta figuram.

Aliam igitur a vetere inductam fuiſſe Baſilicæ ſpeciem dicit Poeta, laudans Laurentium, quem, dum *reparatori* plaudit, proſequitur majore laude dicens, in ea reparatione potius *conditorem* exſtitiſſe.

Maximi Ticin. Ep. obitus. Ennodius ei ſuccedit: a Laurentio noſtro conſecratur. De Jure Metrop. Laurentius moritur. Ejus cultus apud Mediolanenſes. * An. DXI.

X. * Interea, dum totum ſe impendit Laurentius ornandis, reſtituendis, & excitandis Urbis Baſilicis, moritur Maximus Ticinenſis Epiſcopus anno incipiente DXI. ex communi Ticinenſium Scriptorum ſententia; atque de Succeſſore eligendo ineunda erant cum Metropolitæ aſſenſu, & Honoratorum Virorum, & Cleri ſuffragiis (74) comitia. Exſtabant, imo in oculis erant omnium, præclara Ennodii merita, quæ Regi ipſi erant teſtatiſſima, cujus præſentis laudes quadriennio circiter ante (75) ſive Mediolani, ſive Ravennæ, ut Sirmondus cenſuit, palam fuerat Panegyrico tanquam (76) Eccleſiæ legatus idem Orator fuſe perſequutus. Delata Illi itaque, omnibus conſentientibus, Ticinenſis Infula. Conſecrationem autem Ennodii Mediolani a Laurentio factam ſiquis aſſereret, facile ſubſcriberem. Cur enim id non Laurentio liceret, quod Benigno in Conſecratione Epiphanii (77) licuit? neque video, quomodo huic conſuetudini intermittendæ impedimentum quis opponere poſſit, niſi cauſam alleget. Certe Ennodium ipſum non puduit Laurentium Metropolitam agnoſcere & confiteri. Clare enim *Summum* (78) appellat in Epiſtola IX. Libri VI.;

(74) Vide *Canon.* 4. *Concil. Niceni*, in *Concil.* T. 2. col. 30. & *Can.* 6. col. 31. & *Can.* V. *Concil. Arelat.* II. ad ann. 451. T. 4. col. 1011. (75) V. Sirm. Nota *a* ad Ennod. *Panegyr. Theoderici*, T. 1. col. 1593. It. Murat, *Annali d' Ital.* ad ann. 501. & 506. (76) Idem fortaſſe indicare voluit ipſe Ennodius cum in eod. *Panegyr.* ſic ait (col. 1611. D.). *Nunc Eccleſia dirigit Laudatorem;* vide & Sirm. Nota *a* cit. col. 1593. cit. (77) Vide Ennod. in *Vita B. Epiphanii* col. 1657. B. (78) Carol. a Baſil. Petri *De Metrop. Mediol.* §. XIII. hæc adnotat: *Quod autem* Ennodius Laurentium *in laudatione, & in quibuſdam etiam*

clarius in Epigrammate IV.° *Antiſtitis Summi*, & in XII.° *Pontificis Summi* nomine; clariſſime vero talem cognoſcit in Hymno XV. *de S. Ambroſio*, eidem Laurentium commendans hiſce verbis:

Sedis memento, Lux, tuæ,
Exorna, Sancte, poſteros.
Auctore fultus nobili,
Ne Dux ſereni culminis
In nube tectus horreat.
Qui Paſtor eſt Antiſtitum,
Quod fucat, omne ſubmovet:
Gregem gubernat Principum,
Magiſter *eſt docentium.*

Nos quidem aliquanto ſerius antiquatum hunc uſum affirmabimus, ſed juſtiſſimam cauſam afferemus, quæ etiam conſona erit Pauli Diaconi (79) teſtimonio, qui morem Ticinenſis Epiſcopi conſecrandi Pontifici Romano attribuit quidem *ab antiquis temporibus*, non ab initio, ut Ticinenſes Scriptores nonnulli (80) voluerunt. Perfuſus intimo gaudio Laurentius, licet optimo deſtitutus Adminiſtro, quum Ennodium ad Ticinenſem regendam Eccleſiam e ſinu ſuo, ut ita dicam, ablegaſſet, jacturæ hujuſmodi dolorem ſolabatur, præcipiens animo collocandam tanti Epiſcopi operam univerſæ Eccleſiæ Catholicæ bono in demandandis ſub Hormiſda Pon-

---

verſibus, Summum Pontificem *appellet, intelligi debet inter Epiſcopos ac Pontifices ſuæ Provinciæ: nam ejuſmodi verborum uſus adhuc ad Romanum Pontificem ſolum, Cui uni vere ac proprie debetur, omnino redactus non erat; quemadmodum & Papæ nomen*. Vellem tamen, animadvertiſſet hic Scriptor, *Papæ* nomen, ut diſerte probat Sirmondus (ad Ennod. *Epiſt.* 1. L. 4. nota *a*) *uni Romano Pontifici tanquam proprium, & peculiare, primum, ut videtur, aſſeruiſſe Ennodium.*

(79) L. 6. Cap. 29. (80) Antonius Maria Spelta, Bernard. Saccus, Hieron. Boſſius, ap. Murator. in Append. ad T. I. *Anecdotorum* pag. 222. Item Capſon. Opuſc. *Orig. e Privil. della Chieſa Paveſe*. Vide infra Lib. III. Cap. XI. in *Coroll.* Sect. VII. & ſeqq.

Digitized by Google

tiſice Romano ad Aug. Anaſtaſium legationibus, quam antea Mediolanenſi impenderat. Hinc perfectis maxima ex parte exornatæ Urbis ædificationibus, impendentem ſibi vitæ exitum tanquam laborum finem interritus, ſuaque ſemet virtute involvens, præſtolabatur. Anno nempe & menſibus aliquot evolutis Ennodii conſecrationi ſuperfuit, imitatus tum vivens, cum moriens Ambroſium, qui extremo morbo correptus eſt, quum vix a conſecratione Ticinenſis Epiſcopi, uti narrat (81) Paulinus, regreſſus Mediolanum eſſet. * Funeſtiſſimus Urbi noſtræ atque SS.^{mo} Antiſtiti fatalis dies fuit XXV. menſis Julii anni DXII. Plures enim Catalogi nobis eum diem nigro lapillo ſignandum indicant, licet æternæ gloriæ lucem beatiſſimo Præſuli attulerit. Annum vero certiſſime deſignat *Catalogus* noſter omnium antiquiſſimus (82) annos quippe XXII. Cathedræ Laurentio attribuens, qui expleri non poterant, niſi vere ineunte anni DXII. Vidimus autem Eum electum circiter Aprilem anni CDXC., conſecratumque poſt Gothorum cum Odoacre pugnam ad Flumen (83) Adduam; unde ſolidi atque integri Sedis anni XXII. tres circiter amplius menſes vere numerari poſſunt. Mortales tanti Epiſcopi exuvias, ſummo cum dolore ac gemitu omnium Laurentium (84) *communem Patrem* inclamantium, depoſitas legimus ad *SS. Hippolytum & Caſſianum* apud deceſſorem Theodorum, quum imperfectam fortaſſe moriens Baſilicæ novæ *S. Xyſto* nuncupandæ ædificationem, uti (85) diximus, reliquiſſet. Video ſcilicet Ambroſium in ſua Baſilica, Venerium in *Nazariana* ſuo tempore

* An. DXII.

(81) *Vita S. Ambroſii* n. 45. In *Append.* Opp. col. XII. Ed. cit. (82) Sic ibid. legitur: *Laurentius ſedit ann. XXII. Depoſ. VIII. Kal. Aug.* (in *Catal.* ap. *Rer. Ital. Scr.* T. 4. *Ob. VI. Kal. Aug.*) *ad S. Caſſianum.* Catal. Metrop. in *Rer. Ital. Scr.* T. 1. P. 2. addit: *ſive ad prædictum S. Hippolytum.* (83) Vide ſup. pagg. 160. 161. 165. (84) Vide Ennod. *Diction.* IX. col. 1753. D. (85) Sup. pag. 242.

Digitized by Google

marmoribus Libycis ſtrata, Martinianum in *S. Stephani* a ſe amplificata, imo Euſtorgium II.^{um} in *S. Xyſti* a ſe probabiliter exædificata, deponi ac terræ mandari voluiſſe: cur vero id vellet Euſtorgius, non item Laurentius, ſane non diſpicio, niſi loci nondum facta dedicatio obſtitiſſet. Porro quanta virtutis ſuæ & ſanctitatis fama apud poſteros floruerit poſt obitum Antiſtes egregius Laurentius, illud argumento ſit, quod ſubſequentibus ſæculis conſtanti ſemper *Sancti* vocabulo fuit appellatus: quumque inter varias Baſilicarum Laurentianum Templum circumjacentium vices procedente tempore iterum deſoſſa Epiſcoporum inibi depoſitorum Corpora locum mutaverint, atque in Aram Maximam ejuſdem Templi, in unam urnam collecta, recondita fuiſſent, appoſita ſemper plumbea lamina, charactere antiquo ſcripta, fuit a Puricello viſa & lecta, in qua *Sancti* nomine omnes deſignabantur in hunc (86) modum: *Sanctorum Confeſſorum, Euſtorgii, Laurentii, & Theodori MCCCCXCIV. die X. Novembris*. Hinc (87) S. Carolus, & Federicus, Cardd. Borromæi atque Mediolani Archiepiſcopi, cultum & cæleſtes honores iis adhibitos, ratos habuere & calculo ſuo approbarunt, quum Baſilicam viſitarent; dieſque Laurentii obitu conſecrata feſto & ſolemni ritu, ac divinis officiis ibidem uſque in præſens celebratur.

Reliqua coronidis loco de Laurentii virtutibus ab Ennodio commendatis. De pueri Aratoris in litteris erudiendi cura ab hoc Præſule ſuſcepta. De Aratoris geſtis.

XI. Quanquam etiam Laurentii temporibus viguit ea ſanctitatis Illius opinio. Audiamus, quid de Illo ſenſerit Ennodius, omiſſis reliquis, quæ (88) hactenus, prout ſe res offerebat, recitavimus. Celebre eſt apud omnes *Aratoris* Poetæ Chriſtiani Sæculo VI.° nomen. Is patria (89) Mediolanenſis erat, quumque parentes

(86) *Laurentii Litta Archiep. Mediol. Vita* Cap. XXXII. §. X. p. 316. (87) Vide Puricell. ibid. Cap. VII. & VIII. pag. 312. & ſeqq. (88) V. ſup. pagg. 162. 167. 168. 172. 173. 223. & 226. nota (30). (89) Vide Not. Sirm. ad *Ennod. Epiſt.* I. L. IX. col. 1565.

Digitized by Google

rentibus in pueritia deſtitutus in ſumma egeſtate contabeſceret, Laurentius noſter orbitatem infelicis pueri conſolaturus alendi pupilli atque educandi curam in ſe recepit, domique exceptum in *Deuterii*, qui Mediolani liberalium artium ludum aperuerat, diſciplinam tradidit Grammaticæ præceptis erudiendum, & lima politiore excolendum. Reſpondit exſpectationi ſagax & ingenioſus Puer, tantumque demum poeſeos fama valuit, ut *Acta Apoſtolorum* metrice contexens, ea palam Romæ in Pontificis Vigilii conſpectu recitaverit; tantoque audientium plauſu, ut quatriduum ſui brevis Poematis lectio abſumpſerit, quia interſtrepentibus Nobilium & circumſtantis Populi acclamationibus ea ſæpius, quæ recitaverat, repetere identidem (90) cogeretur. Hunc itaque Chriſtianum Poetam Mediolani ſub *Deuterii* diſciplina una cum Avieno Fauſti filio & Parthenio (91) ab Euprepia Ennodii ſorore genito litteris humanioribus eruditum Laurentio noſtro debet Romana Eccleſia; in qua poſt Aulæ Theudericianæ officia demum Subdiaconus vixit & (92) conſenuit. Eum enim noſter Antiſtes paterno amore complexus domi ſuæ aluit, imo in menſa ipſa aſſiduum convivam habuit, quouſque ad perfectam ætatem provectus & litteris expolitus Patroni ſui beneficio & auctoritate ad Aulæ etiam Regiæ munera fuit evocatus. Sed ut ad Laurentii laudes hac ſuper re ab Ennodio contextas redeam, operæ pretium eſt eas recitare ex ipſa *Dictione* IX.[a] *Quando Arator Auditorium ingreſſus eſt*. Sic autem ſe habent: *Orbum* (93) *parentibus dixi, cui per felicia naturæ*

Ii

(90) Vide Ceillier *Hiſt. des Aut. Eccleſ.* T. 16. p. 356. & ſeqq. (91) De *Parthenio* & *Euprepia* confer Ennod. *Epiſt.* 15. & 23. Lib. 2. cum *Ep.* 9. L. 5. &c. (92) Vide Arat. in *Dedicatoria ad Vigilium Pontif.* inter ejuſd. Opp. Item *Carmen ad Parthen.* inter Opp. Sirm. T. 1. col. 1911., & Ceillier. Op. & loco citt. (93) Ap. Sirm. T. 1. col. 1753. D. & ſeq.

damna communis Pater & Epiſcopus factus eſt proprius. Ille afflictorum conſolatio, ieiunorum cibus, cœcorum oculus, pes claudorum, tot pietatis ſuæ ſpecies, tot miſericordiarum gradus ad huius convertit perſonæ profectum. Et illud Domni Laurentii, quod mundi neceſſitatibus ſuccurrit, ingenium in miniſterio huius exercetur infantuli. Cui talis non ſit, ut vere dixerim, gratioſa calamitas? Quem non iuvet amiſiſſe Patrem ſub lucroſa commutatione, ſi talem conceditur inveniſſe? Tanti Viri inſignia, quæ implere nequeo, per profana verba non temero. Ipſe eſt, cuius eſt dulcis auctoritas, aut horrida dulcedo; qui magiſtrum in Eccleſia, magiſtrum in Domo, magiſtrum in convivio, magiſtrum implet in iocis; qui nunquam facit, quod ſequentes nolit imitari. Cuius ad unguem polita converſatio cœleſte iter diſcipulis, dum incedit, oſtendit; minor enim laus eſt docere bene, niſi opere docenda monſtraveris. Poſtremo Colophonem laudibus ſancti hujus Epiſcopi addere juvat Ennodianum Epigramma XIII., quod & ipſum *In Domo Mediolani* exſtitiſſe (94) videtur & ab Ennodio jam Epiſcopo Laurentii Imagini ſubjectum poſt Ejuſdem mortem. Etenim, quum adhuc Diaconus reliquas Anteceſſorum Imagines Epigrammate exornaſſet, Laurentio inter vivos agenti, juxta divinum illud monitum (95) *ante mortem ne laudes hominem quenquam*, monoſtichon boni ominis dumtaxat (96) appoſuit:

Reſtat, quem longo ſervet Rex inclytus ævo.

Poſtea vero quum ad Superos evolaſſet, ſuarum, credo, partium eſſe cenſuit Ennodius ſupplere par ceteris Epigramma XIII., quo hujus Præſulis memoriam immortalitati conſecraret:

Ille fuit rigidi ſemper ſervator honeſti,
Terribilis culpis, ſupplicibuſque pius.

---

(94) V. ſup. p. 236. nota (*) & p. 241. (95) *Eccli.* C. XI. v. 30. (96) Vide ſup. p. 205.

Quem nunquam flexit vitium, miſeratio ſemper,
Judicium facie certus ubique dedit.
Crimina corripuit vultu, compuncta reſovit,
Conſcia ſecreti detulit ora tui.
Hunc utero Genitrix cæleſtem fudit in * *Aulam,*
Ubera ſubducens tradidit uberibus.
Cana * *venerandum ſtupuerunt Sæcula Vatem:*
Moribus ante fuit, quod gerit officio.

* Al. Edd. melius *alvum*.

* Etiam in *Epigr.* 2., verſu penult. *Cana venerandi renovabant Sæcula mores*.

Vates Laurentium recti tenacem deſcribit, in miſeros beneficum, in culpas inexorabilem ac ſeverum, in reſipiſcentes pium ac lenem, ſecreta cordium ac ſcelerum latibula perveſtigantem, ut corriperet ac emendaret; iiſdem tandem pene coloribus, ac antea (97) Lazarum deſignaverat. Ut hæc de *Laurentio* dicta interpremur, ſuadent ea, quæ jam in Ipſo laudaverat idem Ennodius (98) *Dictione* I.ª: *alteri oſtendendo quod pius es; alteri, quod ſeverus; alteri, quod bene acquiſiti diſtributor patrimonii* &c., ſeu (99) *Dictione* IX.: *Ipſe eſt, cuius aut dulcis auctoritas, aut horrida dulcedo.* Penultimo diſticho peculiare quiddam Antiſtiti Laurentio, utpote per ea tempora pene inuſitatum, animadvertere videtur; adhuc ſcilicet infantem, aut vix materno *ubere ſubductum*, in *cæleſtem* (*) *alvum* per baptiſmi Fontem regeneratum fuiſſe, ſecus ac præſertim

(97) V. ſup. pag. 84. & 88. (98) V. ſup. p. 226. nota (30). (99) V. ſup. p. 190.

(*) *Alvum* pro *Aulam* hic libenter ſubſtituimus tum ex al. Edd., tum ex Ennodio ipſo, qui hanc phraſim uſurpat, præſertim ad generationem, ſeu regenerationem explicandam. Sic in *Epigr.* XV. v. 5. (ſup. pag. 239.) *Surgat qui propriæ Genitricis fœtus in* alvo: in *Epigr.* 79. (ſup. nota (35) pag. 43.) Alvus *ut Eccleſiæ* &c. In *Dictione* vero XIII. col. 1762. E. *Ego ſum, cui Paterium filium Mater & Virgo* ſacri Fontis alvus effudit; *ego in animæ ejus ſecunda nativitate, aut recreatione, ſum genitor*. In *Dict.* VI. Poetica col. 1809. v. 25. & 26.

„ Quem *Genitrix fudit* ſæclis ſine ſemine fœta
„ Ad Matrem jungens Virginitatis onus.

accidit de Ambroſio; quem quidem *venerandum Vatem obſtupuit* Antiquitas & admirata eſt; Eique haud diſſimilem Laurentium facit Ennodius tum *moribus ante* Epiſcopatum, tum *officio*, ſcilicet, quum Epiſcopi munere fungeretur. Duplici hoc poſtremo, ſicuti & iis, quæ jam ſuis locis delibavimus, Ennodianis ellogiis cum nihil dici magnificentius de Laurentii virtutibus poſſe autumo, tum omnibus fieri arbitror Ejus ſanctitatem teſtatiſſimam: quandoquidem hæc ſcribebat Poeta quo tempore recens erat illius Antiſtitis apud omnes memoria; & tam ea, quæ Ennodius in Ejus Natali, quam quæ quando Arator *Auditorium* ingreſſurus erat recitavit, palam iis dicenda erant, qui Laurentii dotes propoſitas oculis & defixas in animis plane habebant.

CAPUT QUARTUM.

Laurentio ſuccedit Euſtorgius II., Theuderico in exteris regionibus feliciter regnante. Laurianum domi excipit. S. *Xyſti* Baſilicam perficit. *Feminarum Baptiſterium* condit. De frequentiore in Pagis ac Vicis Baptiſteriorum uſu.

Florebat Laurentii ætate Mediolanenſis Clerus, præſertim Rege Catholicis apprime favente, ut ſuperius de Schiſmate Romano agentes vidimus. Quare in frequenti Candidatorum optimorum cohorte facilis videbatur Succeſſoris electio. Inter tot ſub Laurentio nutritore Sacerdotes maxima erat Populi, Nobilium, & Cleri de Euſtorgio exſpectatio; quapropter conſentientibus in Eum, utpote inter alios virtute eminentem, cunctorum ſuffragiis in demortui locum fuit ſuffectus. Qui hunc Antiſtitem Græcum genere putavere, facile crediderim Græco nomine *Euſtorgii* I. fuiſſe deceptos, qui reapſe natione Græcus ad Mediolani Sedem evectus quum egregiæ ſanctitatis famam poſt ſe reliquerit, facile venerandum nomen etiam in Mediolanenſium familias invexit, ut Ejus tu-

tela ac patrocinio poſteri gauderent. Neque enim noſtra Eccleſia hac ætate tanta inopia Cleri laborabat, ut aliunde Diaconos aut Sacerdotes e Græcia, tunc temporis Anaſtaſii Auguſti erroribus vitiata, emendicaret, ſibique adſciſceret. Providentiſſimo Dei conſilio Euſtorgii II. Pontificatus in feliciſſima Theuderici tempora inciderat. Rex enim iſte, quum pacem in Italia ſervaret, armorum ſuorum terrorem in exteras regiones feliciter intulerat; lateque in Pannonia & Dalmatia, Sirmium uſque, ad Orientem Regni fines amplificaverat; atque Occidentem verſus limitibus Italiæ feliciſſime egreſſus, Francis profligatis, maritimas Galliæ oras uſque ad Pyrenæos montes Wiſigothis ademerat; demum a Septemtrione utramque Rhætiam Noricum uſque, ac Tridentinas Alpes, præter Suaviam ſive Sueviam, tanquam firmiſſimum Italiæ vallum oppoſuerat, ut ex Caſſiodorii litteris perſpicue in Annalibus ſuis (1) probat diligentiſſimus Antiquitatis ſcrutator Muratorius. Hinc Lauriano facile fuit Euſtorgii hujus tempore ex ultima Pannonia Mediolanum venire, quó ethnicam in domo paterna ſuperſtitionem fugeret atque ejuraret. Is benigniſſime ab Antiſtite noſtro hoſpitio exceptus atque Ejus ſumptibus, quemadmodum Arator a Laurentio deceſſore, liberalibus diſciplinis inſtructus adeo profecit, ut Ambroſiano Clero primum adſcriptus ſapientia & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcientia florens ad Hiſpalenſem regendam Eccleſiam ab Hiſpanis fuerit evectus. Hæc *Lauriani* geſta ex Bollandiſtis in *Actis SS.* Julii Tomo II. ad diem IV. colliguntur; cujus quidem Acta, licet mendis ſcateant, non tamen undique conficta cenſeri debent. Euſtorgius itaque ſub Laurentio in Mediolanenſi Clero educatus quum parentem atque expoſitam haberet exteris domum juxta Inſtitutoris ſui exem-

(1) Vide ap. Murator. *Annali d'Italia* ad ann. 504.

Digitized by Google

pla, ne latum quidem unguem ab Ejuſdem propoſito diſceſſit. Quumque Ille Templa deformata ruinis accepiſſet, atque patrimonii diſpendio exornata ac auro marmoribuſque tecta reliquiſſet; animum ſtatim adjecit, ut, quod importuna Deceſſoris morte imperfectum & mancum apparebat, ad faſtigium atque exitum perduceretur. Sancti *Xyſti* Baſilicam, quæ a Laurentio ædificata quidem, ſed nondum perfecta atque dedicata, ſepulcrum eidem comparare non potuerat, acceleratis operis abſolutam poſtquam ad ſacros uſus rite aptaſſet, tumulum ibidem ſuum animo deſtinavit, quem auctori Baſilicæ mors ſuperveniens inviderat atque (2) ademerat. Perfecerat item Laurentius miro artificio nobile *Baptiſterium* ſuperius (3) deſcriptum, in quod deſcendentes Electi ſacro perfundendi lavacro Baptiſmalem laticem ex ore *Leonis marmorei* profluentem toto corpore excipiebant. Symbolum *Leo* ille erat Chriſti Domini admodum apud veteres Chriſtianos uſitatum; quandoquidem in *Apocalypſi* (4) Redemptor noſter *Leo de Tribu Juda* appellatur. Erat antiquioribus Eccleſiæ temporibus unius *Baptiſterii* in Civitatibus uſus dum adhuc ethnica vigeret ſuperſtitio, ad quod omnes baptizandi ex Agro confluebant Paſchate & Pentecoſte. Poſtmodum frequentior præter Urbes fuit Baptiſteriorum numerus, ut docuit diligens Antiquorum Rituum obſervator (5) ex noſtro Ambroſiano Collegio Joſeph Vicecomes, & comprobat Ennodianum Epigramma (6) de *Baptiſterio Agello*: quo verbo ſuſpicor indicari

(2) V. ſup. p. 242. & 247. infra p. 265. (3) Pag. 192. & 237. Vide & *Epigr. De Leone marmoreo* &c. p. 239. nota (55). (4) Cap. 5. v. 5. (5) *Obſervat. Eccleſ.* ubi *De Antiquis Baptiſmi Ritibus ac Cæremoniis*, Cap. VI. Lib. I. pag. 10.. & ſeqq. Edit. Mediol. 1615. (6) *Epigr.* XX. col. 1849.

* Ed. Schott. *Ugello*.

*In Baptiſterio * Agello, ubi picti ſunt Martyres, quorum reliquiæ conditæ ſunt ibi.*

„ Conditor Armenius, ſupero qui dignus honore eſt,
„ Hic peperit Fontem vivificantis aquæ;

tunc temporis alterum ex Vicis in Agro Mediolanenſi, vulgo nunc *Zelo* nuncupatis, quod nomen memini in vetuſtis membranis a me lectis olim fuiſſe *Agello* & *Azello*. Itaque Theuderico Ariano Italiæ Regnum moderante adeo tuta cœpit eſſe Orthodoxa Religio, ut publice etiam in Agri noſtri Plebibus *Baptiſteria* erigerentur; quorum uſus, etiam catholicis Auguſtis imperantibus, unice Civitatibus reſervabatur. Imo Regis in Religionem noſtram apprime propenſi beneficentia non abutens Antiſtes noſter Euſtorgius, honeſtati feminarum ad Baptiſmi Fontem venientium conſulturus, Laurentiano Baptiſterio alterum adjunxit, & *Sancto Stephano* dedicavit. Erat hoc, teſte (7) Ennodio, mirabili invento ita ædificatum, ut ſuperne aqua in corpus baptizandarum mulierum influeret, atque per occultos tubos ac meatus aſcendens ex vitiferi topiarii operis pergula continuato imbre ſubjectas ad Baptiſmum feminas prolueret, quæ tanquam *veræ vitis palmites* (8) in

---

„ Plena ſalutiferis geſtemus viſcera lymphis.
„ Ne ſitiant potans, contulit unda ſemel.
„ Rapta ſepulturis animavit corpora pictor:
„ Funera viva videns Mors eat in tumulos.
„ Illorum tamen iſte locus complectitur artus,
„ Quos paries facie, mens tenet alma fide.

Vide & *Epigr.* XXXIV. *Verſus ſcripti* * *Agello, ubi Filium Armenii Angeli Chriſto offerunt, qui pœnitentiam egit*. De *Agello* V. Julin. T. 1. p. 212. & 280. Ex utroque *Epigr.* videtur eo loci exſtitiſſe Sepultura *Martyrum*, juxta quam conditus fuiſſet etiam *Armenii* filius.

* Ed. Schott. *Utello*.

(7) *Epigr.* CXLIX. col. 1907. inſcriptum:

De Fonte Baptiſterii S. Stephani, & aqua, quæ per columnas venit.

„ En ſine nube pluit ſub tectis imbre ſereno,
„ Et cæli facies pura miniſtrat aquas.
„ Profluа marmoribus decurrunt flumina ſacris,
„ Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
„ Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
„ Et rurſus natis unda ſuperna venit.
„ Sancta per æthereos emanat lympha receſſus,
„ *Euſtorgi* Vatis ducta miniſterio.

(8) *Joan.* Cap. 15. v. 5.

Domini vinea, juxta ejus ætatis ſymbolicum morem, complantarentur. Admiratus nobile hujus *Baptiſterii* artificium Ennodius, jam Ticinenſis eo tempore Epiſcopus, dignum opus putavit, quod ſuo Epigrammate ornaret: quandoquidem univerſa pene Mediolani publica exſtantia & privata etiam lautiora ædificia, ut ejus poetica monumenta legenti patet, præferebant ubique Ennodiana monoſticha, diſticha, tetraſticha, octoſticha muris inhærentia; quæ, uti Julianus Imperator de Inſcriptionibus Conſtantini (9) ajebat, *herbam parietariam* Mediolanenſes jure optimo appellare potuiſſent. Ex hoc Euſtorgii & altero Laurentii *Baptiſterio*, aliiſque ab Ennodio celebratis Ædificiis conſtat, Theuderico Rege viguiſſe adhuc Hydroſtatices atque Architectonices ſtudia & artes, quæ ſubſequentibus hujus Regis obitum Sæculis propter exardeſcentia bella, & maxime irruentibus in Liguriam Langobardis, poſtmodum penitus interiere.

' Euſtorgius patrimonium Mediol. Eccleſiæ in Agro Siculo ſitum apud Theudericum ſtrenue defendit. Metropolitica jura in Auguſtanam Eccleſiam juſſu ejuſdem Regis exercet.

II. Regio in noſtram Religionem favore erectus Euſtorgius poſt ornamenta Civitatis aucta atque amplificata, Patrimonium etiam Eccleſiæ in Sicilia (*) conſtitutum clientela & patrocinio Regio defendere ac ſuſtentare conatus eſt per ſupplicem libellum, cui ſplendide Theudericus aſſenſus, litteras *Adilæ* Senatori & Comiti dedit, ut favorem ac præſidium Eccleſiæ noſtræ prædiis ac cultoribus ſuum impertiret. Operæ pretium eſt earum partem recitare, ut conſtet Regis de Euſtorgio exiſtimatio, & beneficium: *Specialiter* (10) *Eccleſias ab omni injuria reddi cupimus alienas: quibus dum*

(9) Vide Hoffmann. *Lexic. Univerſ.* verbo *Paries* T. 3. p. 584. verſus medium. (*) De Mediol. Eccl. Patrimonio vide ſup. pag. 149., item infra Cap. V. Sect. II. & III., & Lib. III. Cap. I. Sect. II. & XII. & Cap. III. Sect. I. (10) Ap. Caſſiod. L. 2. *Ep.* 29. p. 34.

*dum æquabilia præſtantur, miſericordia Divinitatis acquiritur. Et ideo beatiſſimi Euſtorgii Epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis, vel * hominibus illius Eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis, tuitionem ſtudeas ſalva civilitate præſtare, nec a quoquam cuiuslibet naturæ homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu ſublevari*. Verum quid de patrimonio noſtræ Eccleſiæ loquor, quum idem Rex Metropoliticam etiam Euſtorgii dignitatem ſartam tectamque ſervaturus Auguſtanorum Clericorum judicium a Regio Tribunali rejecerit, nequid de Metropolitico Euſtorgii jure & Eccleſiæ Canonum decerperet? Erat eo tempore Auguſta Prætoria, urbs Epiſcopalis in limine Italiæ, & Salaſſiorum finibus conſtituta, intra Diœceſeos Italicæ terminos comprehenſa; licet ſuccedentibus temporibus, itemque præſentibus, Gallicæ Tarantaſienſi Provinciæ fuerit (*) adjudicata. Vatiniano odio proſequuti hujus Eccleſiæ Clerici Epiſcopum ſuum, proditionis Patriæ inſimulaverant, tantique criminis reum ad Regium Tribunal detulerant. Averſatus animo, imo auribus ipſis reſpuens Theudericus illatam Epiſcopi dignitati calumniam, neque ratus, tantum ſcelus cadere in Epiſcopum poſſe, non ſolum priſtino honori Antiſtitem reſtituit, verum etiam ab infligenda calumniatoribus pœna abſtinuit eo, quod in Clerum adſcripti eſſent. Quare illos Euſtorgio noſtro ex Juris

*Al. *honoribus*.

(*) Inanem prorſus quæſtionem arbitror exortam inter clariſſimos Scriptores, Puricellum (in *Vita S. Laurentii Littæ* Cap. 33. §. 7.) & Saxium (in *Vita S. Euſtorgii* II. p. 156.) utra fuerit hæc *Auguſta*, num *Vindelicorum*, an *Taurinorum*; quum clare conſtet *Prætoriam* fuiſſe, quæ eſt limes Italiæ, adeoque in Diœceſi Italica continebatur. Vide Plin. L. 3. C. 5. Solin. *Polyhiſtor*. C. 8. p. 62. Edit. Baſil. 1557. & Caſſiodor. L. 2. *Epiſt*. 5. ubi mentio de *Clauſuris Auguſtanis*. Vide ſup. pag: 186. nota (13).

Eccleſiaſtici regulis pœna plectendos amandavit, *Epiſtola* (11) ad Eundem data, orthodoxo Principe, ne dicam Conſtantino Magno, digniſſima, in hæc verba.

Euſtorgio Viro venerabili Mediolanenſi Epiſcopo
Theodoricus Rex.

„ Tuta eſt conditio ſubjectorum ubi vivitur ſub æquitate Regnantium, nec dubio debet rumore trahi, a quo debent non mutanda conſtitui. Fidem ſiquidem rerum a ratione colligimus, quæ nunquam deſiderantibus abſconditur, ſi ſuis veſtigiis perquiratur. Atque ideo, quod Beatitudini veſtræ gratiſſimum eſſe confidimus, præſenti tenore declaramus, Auguſtanæ Civitatis Epiſcopum proditionis Patriæ falſis criminationibus accuſatum; qui a Nobis honori priſtino reſtitutus jus habeat Epiſcopatus omne, quod habuit. Nihil enim in tali honore temeraria cogitatione præſumendum eſt, ubi, ſi propoſito creditur, etiam tacitus ab exceſſibus excuſatur. Manifeſta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem. Quicquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores ejus legitima pœna percellere: ſed quoniam & ipſi Clericatus nomine fungebantur, ad Sanctitatis veſtræ judicium cuncta tranſmiſimus ordinanda, cujus eſt æquitatem moribus talibus imponere, quem novimus Traditionem eccleſiaſticam cuſtodire “.

Theuderici erga Cathol. Relig. favor; Lex Rom. de Mortuorum ſepultura extra Urbis ambitum num a Gothis hoc ævo obſervaretur.

III. Neque Mediolanenſis Eccleſiæ dignitati dumtaxat, verum etiam utilitati conſuluit atque ſtuduit Theudericus. Defenſorem ſiquidem pro Eleemoſinis Pauperum adminiſtrandis certum conſtituit, ut ex (12) *Epiſtola* XXX. Libri II. ad Fauſtum Præfectum

(11) L. 1. *Epiſt*. 9. pag. 7. (12) Pag. 34. „ Defenſores ſacroſanctæ Mediolanenſis Ec„ cleſiæ pro expenſis pauperum, quæ ſub lucri exaggeratione funduntur, unum ſibi ex Ne-

Prætorio. Favorem tamen in Orthodoxos ſuum Rex ſapiens ita moderari ac regere viſus eſt, ut jus cuique ſuum ſervans juſtitiæ limites non excederet. Gaudebant ea ætate in hac Urbe Judæi data ab Odoacre, ut reor, civilitate, quum in Caſſiodorii *Epiſtola* XXXVII. Libri V. dicantur Judæi *tricennali* ejus poſſeſſione gaudere. Frequentia fervebant ea de cauſa Catholicos inter Judæoſque diſſidia; illis ægre ferentibus inviſæ nationis contubernium, his illatas injurias vi audacter ulciſcentibus. Cauſa ad Regem delata, judicium ita temperavit, ut neutri amplius parti vis inferri poſſet, nec *tricennalis iure præſcripta* poſſeſſio turbaretur. Juſti Regis ſententiam ex Caſſiodorio audiamus: „ Proinde quo-
„ niam nonnullorum vos (inſcripta eſt autem *Judæis Mediolanen-*
„ *ſibus*) frequenter cauſamini præſumptione laceratos, &, quæ
„ ad Synagogam veſtram pertinent, perhibetis jura reſcindi; opi-
„ tulabitur vobis Manſuetudinis noſtræ poſtulata tuitio; quatenus
„ nullus Eccleſiaſticus, quæ Synagogæ veſtræ jure competunt, vio-
„ lentia intercedente pervadat, nec veſtris ſe cauſis importuna
„ acerbitate permiſceat: ſed ut religionis cultu, ita & actuum
„ ſint converſatione diſcreti: hac tamen moderatione Principalis
„ auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ
„ Eccleſiæ jus, vel religioſas perſonas ceteras legibus pertinere
„ conſtiterit, inciviliter attrectare tentetis. Tricennalis autem hu-

---

„ gotiatoribus Urbis ſuæ deſiderant oportere præſtari: qui emptoris ſunctus officio, exceptis
„ negotiationis oneribus, debeat implere, quod ſuſcipit ..... Ideo illuſtris & præcelſa Magni-
„ ficentia tua (ſalva in aliis negotiationibus commoditate publica, quæ ab univerſo corpore
„ conſuevit inferri) unum ex eis, quem ſibi viſi fuerint eligere, deputabit; qui ita commer-
„ cium negotiationis exerceat, quatenus nec Monopolii, nec Siliquatici, nec Aurariæ aliquid
„ penſionis impendat: vel quodlibet gravamen ex permiſſa nundinatione ſuſtineat. Cur enim
„ illud tardemus annuere, unde nulla poſſumus damna ſentire "?

Digitized by Google

„ mano generi patrona præſcriptio eo, quo cunctis, vobis jure „ ſervabitur “. Legeram (13) apud Procopium, toto Gothici in Italia Regni tempore Romanas ſemper Leges religioſe ſervatas; idque penes eundem Scriptorem ſancte teſtabatur Rex Witiges per legatos, quum, vigente Romæ obſidione, pactiones inire concordiæ cum Beliſario vellet, & amovere a ſe culpam omnem niteretur, ſic inquiens: *Hoc igitur pacto Italiæ Regnum adepti, leges ac regiminis formam haud minori ſtudio, quam quivis Imperatorum veterum, conſervavimus: neque ulla prorſus Theoderici, aliuſve cuiuſpiam Gothorum Regis lex ſcripta exſtat vel inſcripta. Quod ad divinum cultum Fidemque attinet, Romanis in integro rem ſic eſſe voluimus, ut Italorum nemo Religionem nec volens, nec coactus ad hanc diem mutaverit, neque in Gothos, qui ad illorum Sacra tranſierunt, ullo ſit modo animadverſum. Imo vero honorem ſummum Templis Romanorum impendimus. Quiſquis enim ſalutem ſuam eorum cuiquam aliquando commiſit, ei vim nullus mortalium attulit* &c. Inter Romanas numerabatur Leges ea, nequis in Urbe mortuus (14) ſepeliretur. Fretus tanto teſtimonio ſuperius obſervavi, nunquam violatam hanc Gothis regnantibus Legem etiam in noſtrorum Antiſtitum depoſitione, ſive ſepultura; quos omnes hactenus extra veterem *Romanæ*, ut ajunt, Urbis ambitum in ſuburbanis Baſilicis depoſitos obſervavimus. Verumtamen urna Sepulcralis cum oſſibus effoſſa anno MDCCLXXXIII. Kal. Decemb. in *Maioris Intramuranæ* Baſilicæ noſtræ ambitu, haud procul a *Campo Sancto* hodienum appellato, in foro ſcilicet veteris *Viridarii*, ſeu Ædium

De Tumulo Agathis filiæ Comitis Gattilanis, Mediolani recens excavato.

(13) *De Bello Goth.* L. 2. C. 6. *Rer. Ital. Scr.* T. 1. p. 280. col. 1. A. (14) Cic. *De Legib.* L. 2. n. XXIII. p. 860. Ed. Amſt. 1724. in fol. ſic habet: *Hominem mortuum, inquit Lex in XII. Tabulis, in Urbe ne ſepelito, neve urito.* Vide & Ulpian. It. Jul. Paul. in Lib. *Sententiarum* I. Vide Joſ. Allegrantiæ, *De Sepulcr. Chriſtianis in Ædibus Sacris.* Edit. Mediol. 1773. ap. Joſ. Galeatium, in 4.

Digitized by Google

Archiepiſcopalium, quem locum affirmat (15) Gratiolius uſque ab antiquis ante Æram Chriſtianam ſæculis fuiſſe in meditullio Civitatis, illius Gothici legati verba erroris coarguit; Titulus vero, candidæ, quam Africanam vocant, marmoreæ laminæ veniſque diſtinctæ inſculptus, hiſce erat conceptus verbis:

HIC REQVIESCIT IN PACE
AÇATE FILIA COMITES
ÇATTILANIS QVI VIXIT
IN SECVLO ANN' P'L M'XL
DEPOSITA EST SVB D' III
NONAS SEPTBR' PC' FELICES (*)

At quiſnam fuit iſte *Gattilanis Comes*? Apud Gothos Præfecti Urbibus, qui *Graviones* ſeu *Grafiones* theutonice, *Comites* in Italia & in Imperio (16) appellabantur. Mentionem *Adilæ Comitis* ſuperius (17) feci. Num *Adila* idem ac *Hadila*, ex quo juxta duriorem Gothicam pronunciationem factum fuerit *Gadila*, *Gattila*, & *Gattilanis*? hæc otioſi perſcrutentur. Quod certum eſt, ea depoſita fuit anno DXII., ſcilicet ſubſequente Conſulatum Felicis, &, quod ex ipſa Inſcriptione conſtat, Catholicæ Religioni erat addicta, permittente (**) Theuderico, & teſtante ſupradicto Pro-

(15) *De Pracl. Ædif. Med.* p. 9. & 87. (*) Felix Conſulatum geſſit anno 511. Ind. IV. Vide ap. Caſſiod. *Varior.* L. 2. *Ep.* 1. 2. 3. (16) V. Murator. *Diſſ.* 8. init. (17) V. ſup. p. 256. (**) De ſumma Theuderici in Chriſtianam Religionem obſervantia plurima ſunt, eaque luculentiſſima, apud Scriptores teſtimonia, & præſertim Niceph. Lib. 6. C. 35. (ap. Baron. anno 494. Art. 58.) *De Theodorico*, ſic ibidem, *quiddam hujuſmodi Hiſtoriæ tradunt. Miniſtrum is quemdam ſaniorem fidem ſectantem vehementer inſano amore proſequebatur, & ad voluptatem eo abutebatur. Et ille, ut quæ grata placitaque ei eſſent faceret, a conſubſtantiali fide deſcivit ad Arianiſmum. Quod ubi Theodericus comperit, caput illi, quem tantopere amaverat, reſecuit, inquiens: Si Deo fidem ſinceram non ſervaſti, quomodo mihi, qui homo ſum, conſcientiam ſanam præſtabis?* Idem narrant Zonaras & Cedrenus & Theodorus Lector. Ap. Caſſiodor. autem Lib. 2. *Epiſt.* 27. ad Judæos Genuenſes ſic Theudericus: *Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* It. Lib. 4.

Digitized by Google

copio, *nunquam animadverſum eſſe in Gothos, qui ad Catholicorum ſacra tranſierunt*.

Euſtorgii laudes ex Avito Viennenſi Epiſcopo. Ejus obitus; cujus certus annus contra nonnullos Chronologos deſignatur.

IV. Mirifice ad Euſtorgii noſtri laudem facit S. Aviti Viennenſis in Gallia Epiſcopi Epiſtola, in qua Paſtorales Illius virtutes apprime declarantur. Superius ad annum CDXCIV. (18) tempore quo Laurentius cum Epiphanio legationem pro Italicis Regi reconciliandis ad Theudericum obierat, deſcripſimus novam Epiphanio demandatam a Rege legationem ad Gundobadum pro Italis penes hunc captivis redimendis, atque in hanc rem ingentem ex Regio Ærario pecuniam Legato ſuppeditatam. Urebat ſcilicet Theuderici animum agricolarum paucitas, ac verebatur, ne deſerta agrorum cultura Liguria ſterileſceret. Auro igitur Regi barbaro numerato, cui Aviti Viennenſis & Syagriæ ditiſſimę feminæ ſubſidia acceſſerant; rediere in Italiam, duce Epiphanio legato, redempti ad ſex millia agricolæ. Verum plures alii ex Liguribus in vinculis perſtabant, qui poſt legationem Epiphanii in captivitate miſere contabeſcebant duriſſima Gundobadi ſervitute oppreſſi. Auxiliariam iſtis manum Euſtorgius noſter porrexit, ut eos triſtiſſima & diuturna calamitate ſublevaret; quumque fortaſſe ægre cum Barbaro de auri ſumma pro reſtituendis captivis conveniri antea potuiſſet, profuſa liberalitate pretium pro redimendis obtulit, ad quod nunquam Rex aſpiraſſet. Addidit pretio efficacem Aviti legationem, quæ rationum pondere Barbari animum nedum flecteret, ſed vinceret, unde conſtaret, qua polleret eloquentia Avitus, & quanta liberalitate Euſtorgius præſtaret. Hæc omnia nobis te-

Epiſt. 45. controverſiam Eccleſiæ Rom. cum Judæis Arigerno Comiti commendans ait: *Nam ſi humanis actibus ſunt calumniæ ſummovendæ, quanto magis credimus emendanda, quæ contumeliam Divinitatis tangere judicamus?*

(18) Vide ſup. pag. 182. & ſeqq.

ſtatur in ſua Epiſtola Avitus ipſe tam ab aſſentatione alienus, quam ſanctus teſtis veritatis: *Impletum eſt igitur*, inquit (19) *Beatitudinis veſtræ ſanctum ac ſpiritale præceptum. Cumulaſtis oratione mercedem: interventu veſtro pretioſius factum eſt pretium, quod miſiſtis. Victa eſt per reverentiam veſtrî in rigore barbarico humilitate humanitas, interceſſione crudelitas, illatione cupiditas. Coniicimus, qualiter illic prædicationibus duriores animos edomatis, cum interveniendi viribus abſentia vobis ſaxa ſic frangitis. Viſitatur opere veſtro noſtrarum ærumna regionum; & emanans ex largiendi theſauro irrigui fontis ubertas cum Italiam rigaverit, adſpergit & Galliam*. Nihil puto de noſtri Præſulis virtute & largitate dici copioſius aut præſtantius poſſe. Reapſe ipſum Aviti deſiderium, quo in primis copioſiorem Euſtorgii litterarum numerum exoptat (jam bis enim tunc Eum ad ſe ſcripſiſſe ſignificat) perſpicuum teſtatumque facit mutuæ caritatis vinculum, quo invicem ſancti illi Antiſtites obſtringebantur. Imo, quum ibidem dicat Avitus, Euſtorgium *hæreditario affectu* eadem præſtare ac tueri erga ſe amoris officia, quæ ſibi *Deceſſores ſui* exhibuerant; docemur, Laurentium etiam ac Theodorum Epiſcopos Euſtorgii deceſſores pari benevolentia foviſſe litterarum cum Avito Viennenſi commercium. Si autem verum id eſſe fateri debemus, Aviti Pontificatus initia ſtatuenda videntur contra (20) Ceillierium ante annum CDCX., quo (21) Theodorus occubuit * Tot itaque noſtratium & Gallorum præconiis celebratus Euſtorgius ſupremam diem obiit VIII. Id. Junii. Quoto autem Sæculi V.i anno ad Superos evolaverit, in diverſa abeunt Scriptores. *Catalogo* (22) noſtro

* An. DXVIII.

(19) Ap. Sirm. Opp. T. 2. p. 42. *Epiſt.* 8. (20) Op. cit. T. 15. p. 389. V. *Acta* SS. 5. Febr. (21) Vide ſup. pag. 160. (22) Sic ibid. *Euſtorgius ſedit ann. VII. Depoſ. VIII. Id. Jun. ad S. Xyſtum*. In *Catal.* ap. Murat. T. 4. *Sep. eſt in ſupradicta Eccleſia*, ſcil. *ad S. Hyppolitum*. Vide infra p. 265.

qui fidem habent Hiſtorici & ſcribunt, VII. ſediſſe annos, annum ejus emortualem dicunt fuiſſe DXVIII. Verum in eorum annorum ſupputatione erraſſe videntur. Quomodo enim fluxiſſe anni VII. dici poſſunt a XXV. die Julii anni DXII., quo obiit Laurentius Deceſſor uſque ad diem VI. Junii anni DXVIII., qua ſucceſſor Euſtorgius vita functus dicitur? Multo magis aberraſſe dicendi ſunt (23) Ughellus, & Auctor Libri (24) cui titulus *Succeſſores Sancti Barnabæ*; quorum ille Euſtorgii Sedem ſtatuit ab anno DXIV. ad DXXII.; hic autem VIII. quidem Ei annos tribuit, qui in Silverium Pontificem deſinunt ad Petri Cathedram evectum anno DXXXVI. Ughellus enim Magno ſucceſſori nimis arctos, & ſecundus nullos Sedis annos conſtituunt; quum circiter XII. anni Magno ſint tribuendi, & Magni ſucceſſor Darius ex Caſſiodorio & Libro Pontificali ſub Silverio certiſſime vixerit, ut inferius (25) videbimus. Statuendum itaque, ineſſe *Catalogo* noſtro in Euſtorgii & Magni annis errorem, ad quem emendandum VI. illi ſedis anni, huic vero XII. tribuendi ſunt, ſi XXII. Datii annis locum ſupereſſe velimus, quibus noſtræ præfuit Eccleſiæ partim ſedens, partim in exilio, ut ſuo videbimus loco; præſertim quum aliunde ex Pelagii I. Epiſtola (26) certum habeamus ejus obitus annum, ſcilicet DLII. Hiſce de cauſis liceat mihi e vetuſtiſſimi noſtri *Catalogi* fide aliquantiſper recedere, & calculos in annorum ſupputatione reformare, ut certum tempus Caſſiodorii & Pelagii I. litteris accommodemus; quemadmodum hac Hiſtoria progrediente reliquorum Antiſtitum Chronologiam ex veterum monumentorum

(23) *Italia Sacra* T. IV. n. XXV. pag. 55. (24) Num. XXVI. p. 24. Edit. Mediol. 1628. in fol. (25) Sect. VII. pag. 270. & Cap. V. Sect. I. & ſeqq. (26) *Concil.* T. V. col. 792. D. *Epiſt.* 5., de qua infra huj. Cap. Sect. XI. & Cap. VI. Sect. IV.

Digitized by Google

mentorum fide tenebimus. Sexto igitur ab Eccleſiæ Ambroſianæ ſuſcepto regimine nondum evoluto anno migravit ad Superos Euſtorgius hujus nominis II.[us], Anaſtaſio Aug. Orientem Edictis ſuis perturbante, Theuderico feliciter Italiam regente, ſedente autem in Petri Cathedra Hormiſda. Depoſitum monumenta noſtra teſtantur in *S. Xyſti* Baſilica Laurentianæ finitima, cui Ipſemet vivens ſupremam appoſuerat manum, utpote ob Laurentii conditoris obitum, ut (27) diximus, nondum perfectæ. *Sancti* honore & vocabulo Ambroſiana Illum ſemper venerata eſt Eccleſia, quanquam Ejuſdem Deceſſores Theodorum ac Laurentium privato dumtaxat cultu ſolus Laurentianæ Baſilicæ Clerus ab antiquiſſimo tempore veneretur.

Euſtorgio Magnus ſuccedit, ſummopere ab eodem Avito laudatus. Juſtini Aug. erga Catholicos favor. De *Gregentio* quodam Mediolanenſi hac ætate apud Homeritas in Oriente Epiſcopo.

V. Suffectus in demortui Euſtorgii locum Ordinum omnium ſuffragiis Magnus Mediolanenſis Civis eas ad Ambroſii Cathedram virtutes attulit, quæ jamdiu in Civitatis univerſæ oculis defixæ maximam optimæ adminiſtrationis ſpem concitarent. Integra & Regio patrocinio per Euſtorgium vallata Eccleſiæ noſtræ jura ac bona quum accepiſſet; id unum Ei reliquum erat, ut ex Petri (28) præcepto *bonus* eſſet *diſpenſator*. Hinc egenis patentem atque hoſpitalem domum quum haberet, vicinas regiones munificentiæ & largitatis ſuæ fama repleverat. Quare Avitus Viennenſis ad Eum ſcribens teſtabatur, eo caritatis affectu Gallos Mediolanum venientes a Magno exceptos, ut paternos quiſque lares ſibi ingredi (29) videretur. Perſeveravit itaque uſque ad Aviti obitum mutua illa

(27) V. ſup. p. 263. (28) *Epiſt.* Cap. 4. v. 10. (29) Aviti Vienn. *Epiſt.* 10. ap. Sirmond. Opp. T. 2. p. 45. Edit. cit. *Hic additur, quod ita ærumnas infelicium Gallorum conſolatione conſilii & largitate palpatis, ut ſub ſpecie ejus, quam comperi, miſericordiæ, ad agnoſcendam ſuorum neceſſitatem in Italiam feſtinantes, poſt longam peregrinationem cum Duce Chriſto Veſtram meruerint videre perſonam, merito propriam credant intrare ſe patriam.*

amoris ſignificatio, quæ ipſum inter, & Theodorum, Laurentium, atque Euſtorgium, Antiſtites noſtros dudum interceſſerat, quæ una potuit morte diſſolvi. At nequis vacuam dumtaxat atque inanem verborum teſtificationem in Magno credat, ex Aviti Litterarum altera parte conſtabit facile, qualem noſter hic Paſtor operam ad Gallicæ Provinciæ auxilium adjunxerit. Avitus enim Magno apud Comitem Betancum interceſſore utitur, ut Nobilis cujuſdam in Gallia Provincialis filium, obſidem fidei datum, liberum Patri reſtituat; commendatumque habeat Viennenſem Presbyterum hcc venientem pro filia Propinqui ſui a ſervitute (30) liberanda. Tanta erat Sancti illius in Magni caritate & officiis per Galliam celebratis optime collocata fiducia. Quó diligentius autem Galliæ incommodis medicinam adhibere Magnus ſatagebat, eó majore ſtudio gratulabatur refecta per Juſtinum Aug. damna Orientali Eccleſiæ illata ab hujus Deceſſore Anaſtaſio, Acephalorum atque Eutycheiis dogmatum (31) defenſore. Quantum ſiquidem dolorem ex infelici Ennodii ad Anaſtaſium legatione conceperat ſuperioribus annis, penitus abſterſerat intellecta ſucceſſoris Juſtini religio, qui ſeveriſſimis in Hæreticos Edictis orthodoxam Fidem muniebat firmiſſime. Conſolabatur item poſt Hormiſdæ Romani Pontificis obitum Joannis hoc nomine I.[i] electio, qui religioſe Deceſſoris veſtigiis inhærens cum Juſtino chriſtianiſſimo Imperatore Hormiſdæ conventa cuſtodire & Viro Apoſtolico digna conſtantia ſervare nitebatur.

(30) Illico poſt recitata verba: *Commenda, quod ſupereſt, regionis noſtræ Presbyterum, præſentis ſcilicet obſequii portitorem, qui licet pro redimenda cujuſdam Propinqui ſui filia laborem ſatigationis aggreſſus ſit, a quodam tamen Nobili Viro Provinciali cum meo proſecutione directus eſt, ut præfati filium a Comite Betanco, nomine Avulum, ante hos circiter quatuor annos pro pignore obſidatus adſumptum, ſub auxilio Veſtræ interceſſionis requirat, ac revocet.* (31) Vide Baron. paſſim, & præſert. ad ann. 511. n. XXXII. & ad ann. 519. n. CIV.

Neque omittam hujus Sancti Antiſtitis noſtri ætate, * anno ſcilicet circiter DXXIII., Cleri Mediolanenſis famam Orientem ipſum illuſtraſſe. Legimus enim in *Menæis Græcorum* (32) ad diem XIX. Decembris, *Gregentium* quendam Agapii & Theodotæ Mediolanenſium filium Homeritarum Eccleſiæ præfuiſſe; quæ regio, Ptolemæo (33) teſte, in meridiana Arabiæ Felicis ora juxta Sinus Arabici fauces (34) ſita erat.

* An. DXXIII.

VI. * Verum infelici caſu dum Orientalis Auguſtus, Fidei noſtræ amplificandæ ſtudio accenſus, injurias ab Orthodoxis arcere nititur; bellum Arianis indixerat; quorum & claudi Templa, & Sacerdotes juſſit exilio multari. Continuato per triennium in Arianos Auguſti bello offenſus Italiæ Rex Theudericus, & Arianorum clamoribus & exagitatione commotus, ad nativam barbariem reverſus, regias, quibus in diuturno imperio præfulſerat, dotes atque virtutes in Regni exitu dehoneſtavit miſerrime; Regnumque Italiæ ipſum Odoacris cæde inceptum, denuntiato Catholicis bello, quos ſemper beneficiis ornaverat, clauſit infeliciſſime. Tyrannidem auſpicaturus, ipſam Religionis arcem, ſcilicet Petri Sedem, oppugnare conatus eſt. Joannem nimirum Pontificem Romanum juſſit Conſtantinopolim legatum iniqua Regis mandata Juſtino Auguſto exponere, quibus claudenda in ſua Diiione Catholicorum Templa, niſi Arianis in Oriente aperirentur, ſuperbiſſime minabatur. Perhonorifice Byzantii exceptus ab Auguſto Pontifex Legatus, & pari honorificentia dimiſſus incertos atque ancipites tenuit (35) Scriptores, utrum triſte Theuderico reſponſum attulerit. Hoc certum eſt, Joannem legatione functum, Ravennam quum perveniſſet,

Juſtinus Aug. bellum Arianis in Oriente indicit. Eos Theudericus acriter defendit. Hujus Gothi Regis in Joann. I. Rom. Pontif., in Symmachum & Boetium, omneſque Catholicos furor, qui Regis morte tandem extinguitur.
* An. DXXIV.

(32) Ap. Le Quien, *Oriens Chriſt.* T. 2. col. 665. It. ap. Aſſeman, *Bibl. Orient.* T. 1. p. 385. nota 1. Vide & Pagium in Notis ad Baron. ad ann. 523. n. X. & ſeqq. (33) Ap. Le Quien cit. col. 661. (34) Vide ap. eund. Le Quien *Tab. Geogr.* col. 329. (35) Vide Baron. ad ann. 525. n. VII. & VIII. & Pag. in not. VII. & VIII.

Digitized by Google

a Rege furente in vincula conjectum tetroque damnatum carcere. Paulo ante iiſdem ſceleris ſui furiis exagitatus Rex Severinum Boetium, exinde Symmachum, gemina Romani Senatus lumina, veluti Majeſtatis reos, illum prius in Agro Calventiano Mediolanenſi, ſeque philoſophiæ ſtudiis in ea calamitate conſolantem, hunc Boetii Socerum Ravennam evocatum, indicta ferme cauſa, falſiſque teſtibus oppreſſos, mactandos carnifici demum obtulerat. Affictum utrique videtur perduellionis crimen, ſcribente Boetio in Libro *De Conſolatione Philoſophiæ*, quod in carceris otio ſupremum Opus elucubravit, inſimulatum ſe *de compoſitis falſo litteris, quibus argueretur, libertatem ſperaſſe Romanam*. Tyrannus Rex itaque, quum plena ſuſpicionis eſſent omnia, &, innocentum Virorum ſanguine reſperſis manibus, concitatus conſcientiæ ſtimulis ad teterrima quæque furentis animi impetu ferretur; eo demum impietatis erupit, ut Regium Decretum de claudendis Catholicorum Templis & Epiſcoporum exilio, conſcribendum, teſtibus Agnello & Anonymo Valeſiano, VII. Kal. Septembris, & quarto poſt die promulgandum imperaret. * Supremam hanc Catholicæ in Italia Religioni infligendam ſecurim avertit Deus Opt. Max. Sancti Pontificis Joannis precibus exoratus, qui Martyris inſtar pædore & ſqualore carceris confectus tribus ante menſibus ad Superos evolaverat. Quo enim die Regia voce denuntiatum eſt Catholicis bellum, pronuntiatumque Decretum, cœnaturus Theudericus quum menſæ aſſediſſet vidiſſetque illatum ingentis piſcis caput; dementis in ſpeciem clamans videre ſe caput Symmachi jam occiſi, minaceſque in ſe defixos oculos perhorreſcens, ſubito horrore concuſſus, febrique correptus, incœnatus lecto decubuit; & fruſtra evocato Elpidio (36) Ticinenſi Diacono ac Medico, ſuperveniente alvi

* An. DXXV.

(36) Vide Ennod. Lib. 8. *Epiſt.* 8. cit. ſub. fin., Procop. L. 1. C. 2. ſub fin. V. ſup. p. 213.

fluxu exceſſit e vita (37) poſt triduum, ſcilicet 30. Auguſti; die ipſa, qua funeſtiſſimum adverſus Catholicorum Templa & Antiſtites evulgandum erat Decretum. Atque hic Regis Theuderici exitus fuit: cujus Regni initium fœdatum Odoacris cæde, & finem tantorum Virorum innocentum ſanguine tamque impia in Catholicos lege luctuoſum ſi demas; Regem inter barbaros educatum, ſed omnibus belli & pacis artibus inſtructum, atque a natura ipſa ad populos egregie regendos formatum, fateamur neceſſe eſt; Regem denique, cui parem, in ejus ſaltem Ævi barbarie, Italia ſemper optaverit; ſortita (38) eſt nunquam.

Magnus adhuc quadrienrio Amalaſuntha & Athalarico regnantibus Eccleſiam noſtram pacifice adminiſtrat. Sancte moritur.

VII. In tanta itaque rerum perturbatione quo animo putemus fuiſſe Magnum noſtræ Urbis Epiſcopum, qui paulo ante ad ſublevandas Gallorum miſerias & calamitates intentus, Italiæ Eccleſiarum ingruentibus quotidie periculis & malis mederi obnitebatur? Videbat exturbatum e Romana Petri navicula vigilem clavo aſſidentem Gubernatorem & carcere damnatum: audiebat e proximo irruentes communis in Catholicos a Theuderico excitatæ procellæ ventos; proſpiciebat animo intumeſcentes fluctus; & fragorem vicinæ tempeſtatis perhorreſcebat. De futuro igitur Gregis periculo magis, quam de ſua ſalute ſollicitus ſuſpenſuſque inter fatalis exſpectationem Decreti, & Regiæ voluntatis placandæ ſpem, repente intellecto Theuderici interitu ſenſit, non hujus, ſed Dei iram tam inſperata morte mitigatam. Optime item vidit Italicæ Diœceſeos incolumitati conſultum, Athalarico, ex Amalaſuntha Ejus filia genito, Succeſſore deſignato (39) per morientis Avi

(37) V. Procop. Lib. 1. Cap. 1. ſub fin. Alii tamen ſcripſere, ſubita Regem hunc morte correptum; morte ſcilicet ejuſdem prius intellecta, quam morbo. (38) Procop. Lib. 1. C. 1. ſic ait: *Verbo Tyrannus fuit Theodericus; re ipſa verus Imperator, eorum nemini poſtponendus, qui ab ortu Imperii in illo honoris gradu excelluerunt.* (39) Jordan. *De Reb. Get.* Cap. 59. Vide item Caſſiodor. *Variar. Epiſt.* 2. Lib. 8. p. 125. col. 1. Murator. *Annal.* ad ann. 526. p. 345.

ſupremas tabulas, ſub Matris tamen tutela, quæ paternæ virtutis imaginem, demptis vitiis, perfectam exhibebat. Hiſce igitur pacifice Italiam regentibus, quantum ex præterita tempeſtate doloris hauſerat Magnus; tantum tranquillitatis in Grege moderando ſenſit aſſulſiſſe, ut quadriennium, quo fuit ſuperſtes, feliciter, atque

* An. DXXX. Eccleſiæ noſtræ utiliter inſumpſerit. * Extremum Magno vitæ annum adſcribamus neceſſe eſt trigeſimum ſupra Quingenteſimum, non ex *Catalogi* noſtri (40) auctoritate, ſed & Papebrochii (41) & Saxii (42) ſententia; nos enim XXX. annorum, quos *Catalogus* ei falſo attribuit, Pontificatum concedere nequimus non minus ex utriuſque Scriptoris rationibus, quam ex mox dicendis in Datii vita, unde ſupputatio Datii annorum conſtabit certiſſime. Solidos igitur atque integros XII. in Ambroſii Cathedra ſedit annos Magnus; & Kal. Novembribus e vita excedens depoſitus fuit ad Regum Baſilicam, ſive *ad S. Euſtorgii* extra Ticinenſem Portam; ubi etiamnum Sanctorum honoribus cultas Illius mortales exuvias veneramur. Recurrens vero quotannis Ejus natalis dies uſque ad Bonifacium IV. celebratus eſt antiquitus ipſis Kal. Nov. Verum quum Bonifacii juſſu anno DCVIII., vel ſubſequenti (43) facta Panthei Romani Dedicatione inducta eſſet in ejus menſis Kalendas *SS. Omnium MM. Commemoratio*; loco apud nos ſuo motus eſt S. Magni natalis dies, inque S. Euſtorgii Templo ad III. Nonas, in reliquis vero Ambroſianis Eccleſiis ad Nonas ipſas fuit translatus.

* Amalaſuntha ſapienter Regnum adminiſtrat, & filium Athalaricum educat. Injuſtas Primorum querelas ac ſeditiones prudenter diſſimulat, & ulciſcitur.

VIII. Sed ut ab Eccleſiæ noſtræ hiſtoria ad Gothicum in Italia Regnum revertamur, Theuderico nullis relictis maribus filiis

(40) Sic ibid. & in utroque *Catal.* cit. ap. Murat. *Magnus ſedit ann. XXX.* (ubi mendum pro XII.) *Depoſ. Kal. Novemb. ad S. Euſtorgium.* (41) In *Exegeſi* cit. ad T. 7. Maji. pag. LXIV. (42) In *Vita S. Magni* T. I. p. 168. (43) Vide Auctorem *Libri Pontificalis* in Ejus Vita. Item Murator. *Annal.* ad annum 608.

extincto, nepos Athalaricus puer annorum (44) octo, vel (45) decem morientis Avi voce Rex declaratus, ut diximus, unanimi Gothorum conſenſu fuit approbatus; ſed ſub tutela conſtitutus Amalaſunthæ Theuderici filiæ, quæ eum ex Eutharico marito (46) de Amalorum ſtirpe præmortuo ſuſceperat: quare renunciatus eſt acclamante tota Italia, quæ in Amalorum ſtirpe placide quieſcebat. Virilis hæc Femina ſuſceptis Regni habenis, nequid alienum a Theuderici legibus Gothi ſentirent, iiſdem uſa Adminiſtris, & præſertim Magno Caſſiodorio, ejuſdem effecit conſilio & prudentia, ut unum mutatum Regis nomen Provinciæ faterentur. Statim Auguſti Juſtini (47) amicitiam excolens, atque iram ab Auguſto contra Avum conceptam demulcens, etiam Regni fines conſtituit; & quidquid defunctus Rex Teſtamento caverat (48) de Wiſigothorum in Hiſpania Regi Amalarico, Nepoti item ſuo ex altera filia Alarico nupta, Provinciis reddendis lubens conceſſit. Qua ratione Galliæ pars antea Theuderico ſubjecta bifariam diviſa eſt; quæque trans Rhodanum Amalarico data; quæ cis idem Flumen, ab Athalarico (49) retenta. Pace igitur cum extraneis firmata, ornati ſunt beneficiis quotquot Regis ditioni ſubditi erant: reſtituta (50) Patrimonia Symmachi & Boetii filiis, quæ Regio Ærario Theudericus addixerat: admoti (51) publicis muneribus integerrimi Judices: nullo conquerente exacta fidelitatis ſacramenta: Rom. Pontificis & Epiſcoporum dignitati majeſtas aſſerta: eliſa bellorum ſemina: demum de ſe ipſo non tam magnifice, quam vere di-

(44) Procop. L. 1. C. 2. (45) Jordan. Ibid. C. 59. (46) Jordan. ibid. C. 58. (47) Vide ap. Caſſiodor. *Epiſt.* 1. Lib. 8. inſcript. *Juſtiniano Imperatori Athalaricus Rex*, ubi pro *Juſtiniano* legendum eſſe *Juſtino*, ſicuti & ap. Procop. L. 1. C. 2., obſervat Alemannus in Notis ad *Hiſtoriam Arcanam* Procopii paſſim. Vide & Murator. ad ann. 526. p 347. ſub finem. (48) Iſidor. in *Chron. Goth.* ap. Murat. ibid. p. 346. (49) Procop. L. 1. C. 13. Murat. ad ann. 527. (50) Procop. L. 1. C. 2. (51) Vide ap. Caſſiodor. L. 8. *Epiſt.* 1. & ſeqq.

xit ipſemet Athalaricus, dum Præfecto Galliarum (52) ſcriberet: *In ſellam Regni ſui nos Dominus collocavit, quatenus decus generis, quod in illo* (Theuderico) *floruit, in Succeſſore protinus æquali luce radiaret*. Imo intenta in optimam filii Regis educationem Amalaſuntha Mater ſedulo providerat, ut Avi etiam ſapientiam ſuperaret. Nam, quum inter arma educatus Theudericus nullas ne extremis quidem labris ſcientias deguſtaſſet, atque *analphabetus* eſſet; ex adverſo (53) filium litteris imbuendum curavit, atque tribus intelligentiſſimis rerum atque prudentiſſimis ſenibus Gothis in diſciplinam tradidit, ut Romano cultu ac litteris eruditus ſapientiorem ad Regnum animum afferret. Tam præclare cœptis inſita Gothis ferocia intempeſtive obſtitit, magno Regis & univerſæ nationis malo. Etenim, quum aliquando in puerili errore deprehenſo Filio Mater colaphum in cubiculo infregiſſet; dolenſque puer exinde ad proximos Aulicos confugiens, lacrymis maternam injuriam teſtaretur: ferocire tum Gothi atque aperte furere cœperunt, exſecrantes Matris ſævitiam, quæ nimia ſeveritate Regem præproperum ad interitum vellet perducere: commenti etiam hac ratione Matri fortaſſe viam novo connubio ad Regnum aperiri. Matre itaque conventa Regni Primores palam conqueſti, non admodum ſibi probari auſteram nimis Regis adoleſcentis diſciplinam; Gothorum Reges inter arma, non in pluteo educandos; torpere ingenium Regium atque animum, ſi Pædagogi ſcuticam doceantur expaveſcere; neque hiſce artibus magnum Avum eruditum tam ſapienter ac præclare Romanis imperaſſe. Ab invita licet Regina ſeu precibus, ſeu minis impetravere demum, ablegandos Magi-

(52) Ap. eund. Lib. 8. *Epiſt.* 6. (53) Procop. Lib. 1. Cap. 2. uſq. ad finem Capitis.

Digitized by Google

Magiſtros ac Senes, quibus filii latera vallaverat, eumque inter æquales ſuos enutriendum, ſuoque illi ingenio libere utendum. Dolorem ex hac legatione conceptum ſtrenua diſſimulavit Parens: neque rata Nationis votis fruſtra obſiſtendum, ſibi unam adminiſtrationem Regni reſervavit; educationem vero Regis iis liberam dimiſit. Tantam tamen injuriam ita prudenter ulta fuit, ut, nacta ſeditionis occaſionem, hujus auctores e medio ſuſtulerit, licet ſeditioni motæ dumtaxat ſervire viſa ſit; tam caute imperans, ut Gothos non offenderet, ſed Regiam contemni Majeſtatem non pateretur.

Magno ſufficitur Datius. Monaſtica Ejus vitæ profeſſio ante Pontificatum. De Monaſticis ante S. Benedictum Inſtitutis in Occid.

IX. Interea Romæ moritur Felix IV. Pontifex, cujus mortem ſubſequitur Schiſma inter Boniſacium II. & Dioſcorum, illum rite, hunc vitio electum. Verum interveniens Dioſcori mors opportune concordiam inter diſſidentes factiones invexit, & pacem Eccleſiæ Romanæ firmavit. Felicioribus uſi comitiis Clerus Populuſque Mediolanenſis, Sancto Magno extincto, hoc eodem anno DXXX. Sanctum Datium communi conſenſu in Ambroſiana Cathedra collocarunt. Dignus hic porro Ambroſio & Magno ſucceſſor eſt habitus, qui anteactæ vitæ ſtudiis ac moribus viſus eſt omnibus præferendus. Miror autem, Illius ante Epiſcopatum merita apud Scriptores noſtros alto preſſa fuiſſe ſilentio, qui potius de Sancti familia inaniter digladiantur; quum certum ſit apud cordatos Viros atque Antiquitatis peritos, uti jam prælibavimus, multo ſerius ea ætate, ſcilicet poſt Nonum circiter Sæculum (54) cognomentorum uſum fuiſſe ad Stirpis unius familias dignoſcendas

(54) Vide Murat. *Diſſ.* 41. & 42., Com. Julin. ad ann. 1006. T. 3. pag. 43. & alibi. V. ſup. pag. 91. nota (*) p. 161. nota (14) Infra Lib. III. Cap. I. Sect. IX. & Cap. V. Sect. VIII.. in Notis.

inventum. Novum igitur potius atque aliis intactum proferam Sancti Datii decus, Monaſticum nempe Illius inſtitutum, cui videtur fuiſſe in juventute addictus. Monaſticam etiam in Occidente ante S. Benedicti tempora adamatam a pluribus fuiſſe vitam IV.° & ſequenti Sæculo, facile docemur veteribus monumentis. Omitto *Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra Urbis mœnia ſub Ambroſio nutritore*, teſtatum (55) apud Sanctum Auguſtinum; itemque Regularem in Clerum inductam diſciplinam a SS. Martino Turonenſi & Euſebio Vercellenſi, ſimilis Inſtituti apud profanos homines magiſtram. Quod ſi Catholicis non credimus, teſtimonium ab Ethnico Scriptore luculentum habebimus, qui maledictis hoc ſolitarie vivendi inſtitutum apud nos inceſſens & exſecrans rei ipſius fidem facit. Rutilius nimirum in ſuo *Itinerario* Inſulam Tyrrheni maris *Caprariam* deſcribens (56) hæc habet:

Proceſſu Pelagi jam ſe Capraria tollit;
Squalet lucifugis Inſula plena viris.
Ipſi ſe Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona paſſe pati!

Imo impie blaſphemus, in amicum ſuum ſuperſtitionem ejuratum & ad Chriſtum converſum ſic (57) ſtomachum erumpit:

Aſſurgit Ponti medio circumflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrniacumque latus.

(55) *Confeſſ.* Lib. 8. C. 6. Opp. T. 1. col. 150. E. Edit. Pariſ. 1679. (56) Lib. 1. v. 439. & ſeqq. Vide Notas Caſtalionis ad *Rutil.* p. 73. (57) Ibid. v. 515. & ſeqq.

Adverſus ſcopulos damni monumenta recentis
Perditus hic vivo funere civis erat.
Noſter enim nuper Juvenis Majoribus amplis,
Nec cenſu inferior, conjugiove minor,
Impulſus furiis homines Divoſque reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie cæleſtia paſci,
Seque premit læſis ſævior ipſe Deis.
Num, rogo, deterior Circæis Secta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Mirum eſt equidem & piis inimicum auribus, hæc Poetæ ethnici, Urbi Romanæ Præfecti, audire dicteria prolata ſub piiſſimo Aug. Honorio adverſus Chriſtianam Religionem, quam *Sectam* appellat, licet tot Imperatoriis Edictis confirmatam. Quanquam miſeranda potius mihi videntur cæcorum Gentilium in Chriſtianos convicia; quum, teſte (58) Veritate ipſa, *non omnes capiant verbum iſtud Evangelii* ipſos jubentis (59) *animam ſuam odiſſe, ut eam inveniant*, & fluxa mundi & caduca gaudia deſpicere atque unice confectari cæleſtia. Sapientius porro per ea Sæcula ſenſere Lerinenſis Monaſterii Auctores, in quod innumera Fidelium multitudo ſemper confluxit; unde etiam, tanquam ex Equo Trojano, plurimi ſanctitate & doctrina præſtantes Viri prodiere. Taceo Antonium, qui in Comenſi montana regione non longe a S. Felicis Templo ſolitariam vitam amplexus, & divinis uſque ad ſupremum vitæ biennium ibidem vacans, demum ad Lerinenſe Monaſterium, tanquam in Portum confugit, quemadmodum in ejus *Vita* teſtatur (60)

(58) *Matth.* Cap. 19. v. 11. (59) *Matth.* Cap. 10. v. 39. &c. (60) Ennod. *Opuſc. Quartum: De Vita B. Antonii Monachi Lerinenſis* Ap. Sirm. Opp. T. 1. col. 1693.

Ennodius. Silentio quoque præterire placet S. Sigiſmundi Burgundiæ Regis IV. pœnitentiam in Agaunenſi Monaſterio in Liguriæ finibus per hæc ipſa Datii tempora ad glorioſam uſque Martyrii lauream conſtanter (61) productam. Uſitata igitur per hanc ætatem erant Monachorum Inſtituta: quod maxime etiam patet Benedicti Monachorum patris exemplo; qui ex Gregorii Pontificis (62) teſtimonio poſt diuturnam ad Sublacum ſolitudinem in haud longe diſſitum ſe recepit Monaſterium, priuſquam nova ex ſuis inſtitutionibus formanda fundaret. Hujuſmodi erat in Liguria noſtra *Monaſterii ſeptum*, in quo Datius, antequam Sedem aſcenderet, ſanctitatis poſuiſſe tyrocinium, ex Floriani Epiſtola (63) mox recitanda teſtatum habemus. Neque de rei hujus veritate nos licet ambigere, quum is noſtratem ſe prodat, confeſſus (64) ſe Ambroſii civem ab Ennodio baptizatum. Utinam deprompſiſſet Florianus locum, in quo ſitum fuerat hoc Datii Monaſterium; incognitum enim hactenus monumentum nobis patefeciſſet, nulla apud Ligures exſtante ante Langobardos Monaſteriorum & Abbatum memoria, ut mentionem injicit in Epiſtola eadem Florianus, etiam ipſe Abbas poſt Abbatem Theodatum in *Romano Monaſterio*, vulgo *Roman-Mouſtier* in Valdenſi Pago & Diœceſi Aventicenſi ſeu Lauſannenſi. Ex Monaſterio igitur ad Ambroſianam Sedem videtur fuiſſe traductus Datius Epiſcopus noſter. Florianus enim ipſe ad magni nominis Epiſcopum Trevirenſem Nicetium ſcribens, quum

(61) Gregor. Turon. ap. Baron. ad ann. 526. n. XLV. (62) *Dialog.* Lib. 2. Cap. 3. Opp. T. 2. col. 216. Ed. Pariſ. 1705. Murator. ad ann. 530. (63) *Epiſt.* XXVI. ap. Martin. Bouquet, *Rerum Gallicar. & Francicarum Scriptores* T. 4. p. 66. Ed. Pariſ. 1741. & ex Frehero Du Cheſn. T. 1. p. 852. (64) In cit. *Epiſt.* p. 67. A. ſic ait Florianus: *Ipſe ergo* (Ennodius) *meus eſt pater ex lavacro, quem credo apud Æternum Patrem per Filium intervenire pro filio.* V. Mabill. *Annal. Benedict.* Lib. 1. p. 24. & Lib. 4. p. 100.

patriæ communis, ſive Liguriæ Provinciæ, vinculis Datio eſſet adſtrictus; videtur dolere, quod magnis Ille in anguſtiis Conſtantinopoli verſaretur, quo tempore (anno ſcilicet DLI.) maxima inter Ipſum & Juſtinianum Auguſtum pro *Tribus Capitulis* diſſidia fervebant, ut paulo inferius ſub Datii vitæ finem videbimus: & enixe illum Nicetio per ea tempora commendans, ut pro ipſo apud S. Ambroſium orator exſiſteret, ſic eum alloquitur: *Rogate illum meum ſacratiſſimum Confeſſorem Ambroſium, quatenus me, ut peculiarem famulum tueatur, ut proprium civem foveat, ut familiarem alumnum eruat: qui apud Dominum Jeſum quod oraverit, exorabit. Quo circa ſalutationis obſequium famulanter inſinuans, precor, ut pro beatiſſimo Viro Domino meo* Datio *Epiſcopo fratre veſtro ſemper oretis. Æquum eſt enim, ut pro eo, quem* Monaſterii ſepta *ſacrarunt Succeſſorem, etiam Confeſſorum ſucceſſor egregius beatorum exorare non deſinas.* Quomodo igitur *Monaſterii ſepta* Datium *ſacrarunt* Ambroſii *ſucceſſorem*, niſi quod e Monaſterio ereptus Ambroſianam Sedem conſcendit? Monaſticas itaque virtutes, quæ illa ætate præclariſſimæ erant & cenſebantur, ad Epiſcopatum attulit Datius, quibus ſibi magnam nominis famam comparaverat; iiſque etiam Epiſcopales addidit, quibus mirifice deinde eluxit.

X. * Felicibus ſub optima tutrice Amalaſuntha auſpiciis cœptam Eccleſiæ Mediolanenſis adminiſtrationem ad quadriennium protulit ſanctiſſimus Antiſtes. Quid enim formidare adverſi poterat, Rege rerum ignaro, Matre in publicum bonum intenta, Caſſiodorio Quæſtore, Magiſtro, & demum Prætorio Præfecto, ſe religioſiſſime Epiſcoporum precibus (65) commendante? Interim dum

Datium quadriennio poſt initum Pontificatum turbant ac vexant Gothici Regni vices, Athalarico extincto, Amalaſuntha interfecta, Theodahado Gothicum Regnum uſurpante.
*An. DXXXIV.

(65) Audiamus, quibus verbis idem Caſſiodorius tum Præt. Præf. Joanni II. Rom. Pont. an. circiter 532., & diverſis Epiſcopis, quos inter certe tum eminebat Datius noſter, humil-

hæc reipublicæ & Religioni Catholicæ commoda afferebantur Amalaſunthæ & Caſſiodorii opera; Rex ipſe Athalaricus, cujus præſertim auctoritate omnia ab illis gerebantur, omni diſciplina Matris pèr Gothorum ferociam abſolutus, præceps in vitia quum ferretur, & æqualium ſuorum non imitator ſolum, ſed princeps, Avo ac Matri diſſimillimus, ſerpente tabe per præcordia, in ipſo juventutis flore extinctus eſt poſt VIII.um Regni initi annum. Hac morte perculſa Amalaſuntha a ſua deſcivit conſtantia. Etenim quum eſſet magni Theuderici Filia, magnumque animum gereret, nec dimittere Imperium cogeretur, periculoſe retinere conſtituit. Superſtes (66) erat in Thuſcia Amalafredæ Theuderici ſororis filius nomine Theodahadus, ex Amalorum item ſtirpe, Latinis litteris & Platonis philoſophia eruditus; ſed qui ingenua ſtudia ſumma avaritia fœdaret. Ampliſſima fruens fortuna ſummiſque divitiis, in aliena (67) etiam bona, imo & in ipſum patrimonium Regium, vivente Athalarico, ſuperbe invaſerat. Qua de re quum in illum intentata de repetundis actio fuiſſet, ex Amalaſunthæ edicto

ſime ſcribat. Sic enim Joannem alloquitur verſ. fin. *Epiſt.* 2. L. XI. *Bene agere vel correptus exopto: quia difficilius errat ovis, quæ vocem deſiderat audire Paſtoris .... Sum quidem Judex Palatinus; ſed Veſter non deſinam eſſe diſcipulus.* Ad Epiſcopos autem converſus, ſic ſingulos affatur ſeq. *Epiſt.* paulo poſt initium: *Animæ veri patientes, affectuoſa & probabili petitione Vos deprecor, ut indicto jejunio Domino ſupplicetis, qui vitam Principum noſtrorum florenti Regno protendat, hoſtes Reip. defenſor imminuat, donet quieta tempora, & ad laudem ſui Nominis copioſa, faciatque rerum omnium tranquillitatem, & me Vobis reddere dignetur amabilem .... Adminiſtratio Vobis innocentiæ data eſt. Nam, ſi prædicatio Veſtra non deſinat, neceſſe eſt, ut pœnalis actio conquieſcat; & ideo dignitatem meam in omni Vobis parte commendo, quatenus actus noſtri Sanctorum orationibus adjuventur, qui minus in humana poteſtate præſumimus.* Quid juſtius Edicto ad univerſos adminiſtrantes titulos Provinciarum in *Epiſt.* 6. L. 12.? *Noſtris temporibus ſcelerata pecunia non valebunt; nec culpam ſuam redimit, qui reum ſe eſſe cognoſcit. Iniquis fraudibus non patebit occaſio: perſequimur, non vendimus excedentes. Ubi jam male capientes ſpem habebitis; quando Vobis & rerum Domini, & veſtri Judices comminantur?*

(66) Procop. Lib. 1. Cap. 3. (67) Ibid. & Cap. 4.

ab injuſta poſſeſſione fuerat deturbatus. Juſtiſſima ſententia offenſus, tanto in Amalaſuntham odio, occulto tamen, exarſit; ut nulla conjunctionis habita ratione vindictam dumtaxat anhelaret. Hinc Rege adhuc ſuperſtite, occulta ad Juſtinianum miſſa legatione, cum Auguſto pactus erat, ut Thuſciam omnem, in qua gratia & divitiis florebat, Illius ditioni ſubjiceret; quum commoda admodum offerretur occaſio Beliſarii claſſis ex Africa ovanter triumphata in Tyrrhenum mare navigaturæ. Inter hæc conſilia incidens Athalarici extremus morbus exitum meditatæ defectionis turbavit. In ancipiti enim hærens ex Filii Regii formidato interitu Amalaſuntha ut ſibi proſpiceret, & verita, Theodahadi odium nunquam reſtinctum iri, in eandem & Ipſa inclinavit ſententiam, ut ad Juſtiniani auxilium confugeret; quo cum dignitate impetrato, Italiæ totius Regnum Auguſto erat permiſſura. Hæc utrinque per legatos Imperatori denunciantur; qui *lætus admodum extemplo in Italiam Petrum deſtinat*, ut omnia ex condicto occulte tranſigeret. Sed quum interim Athalaricus *tabe exeſus* obiiſſet, periculoſum Mater tentavit cum Theodahado fœdus inire potius, quam Regnum Juſtiniano concedere, &, Regio huic nomine ac ornatu oblato, ſibi Regnum integrum ſervare. Evocatum itaque Ravennam conſobrinum Theodahadum, artificioſa oratione ad nuptias ſecum obeundas pellexit; præmiſſo tamen jurejurando, ut ipſa Regno, ille Regio nomine frueretur. Optimum videbatur & Gothicæ glorioſum genti initum ab Amalaſuntha conſilium; quo & Regni ſtabilitatem ominabatur, niſi connubium cum homine ingratiſſimo & Principum nequiſſimo junxiſſet. Expers doli Regina nuptias ipſa ſuas Juſtiniano, in aliam ſpem antea erecto, cum Theodahado firmatas denunciavit (68) datis litteris. Verum apud Theodahadum plus veteres inimi-

(68) Procop. L. 1. C. 4. cit. Item *Epiſt. Amalaſunthæ Reginæ ad Juſtinianum Aug.* ap. Caſſiodor. *Variar. Epiſt.* 1. L. X.

Digitized by Google

citiæ, quam ampliſſima in ſe collocata recenter a Regina beneficia valuere. Nondum Byzantium pervenerant Legati cum Amalaſunthæ litteris; quum perjurus Rex, mactatis prius Reginæ affinibus, quos formidabat, in Ipſam quoque ſævitiam inauditam tranſtulit, immiſſiſque ſatellitibus, non modo omni eam regio ornatu & jure ſpoliavit; verum (69) *ex Ravennate Palatio* miſerandum in modum *abſtractam in Inſulam Lacus* * *Bulſinenſis* exulem ablegavit. Dum interea Tyrannus hoc ſcelus ſuum diſſimulans per novos legatos ab ſe & Amalaſuntha, licet invita, miſſos doloſis litteris (70) Auguſti animum emollire conaretur; haud multo poſt vel ſe jubente, vel ſaltem connivente, per eorum Gothorum affines, qui juſte ab ea imperante mactati fuerant, poſtquam breviſſimum exilium ſummo animi angore & conſtantia toleraſſet, e vivis laqueo in balneo præfocata exturbatur. Manum adhuc Reginæ ſanguine fœdatam (71) Gudelinæ obſcuri nominis feminæ Theodahadus obtulit, initiſque nuptiis etiam Regium nomen.

* *Vulſinienſis*.

Liguriæ calamitates ſub Rege Theodahado exponuntur: fames ſcilicet a Datio enarrata. De hujus Sancti Antiſtitis exilio. Utrum Is auctor fuerit Mediolanenſium a Witige defectionis.

XI. Quum hæc omnia ab Utriuſque miſſis legatis audiſſet in itinere Petrus, Auguſtum certiorem fecit; cujus nomine *bellum inexpiabile Theodato Gothiſque ceteris aperte denunciavit*. Exanimatus Auguſti minis *ſtolide ineptus* Rex *Petro & Imperatori perſuadere volebat, ſe invitiſſimo Gothos hoc piaculum perpetraſſe*. Mox dolo patefacto Auguſtum ad pacem curavit reducere. Sed Is, neglectis

tum

(69) Jordan. Cap. 59. Vide & Procop. Lib. 1. Cap. 4. cit., qui poſtremus de mortis genere nihil loquitur. (70) Procop. ibid., vix enarrato Amalaſunthæ exilio & carcere, ſic ſtatim proſequitur: *ac veritus* (Theodahadus) *quod accidit, ne ea facta Imperatorem offenderet, Liberium & Opilionem Senatores Romanos, aliosque nonnullos miſit, omni ope deprecari juſſos Illius odium, affirmando, nihil mali Amalaſunthæ irrogaſſe Theodatum, quamvis ab ea prius acceptum peſſime. In eandem ſententiam litteras & ipſe Rex dedit, & ab Amalaſuntha vel invita* (fortaſſe *Ep.* 10. L. 10. ap. Caſſiod.) *expreſſit*. (71) Vide Gudelinæ Reginæ *Epiſtolas ad Juſtinianum & Theodoram Augg.* ap. Caſſiodor. Lib. X. *Epiſt.* 20. 21. 23. & 24.

tum Petri, ac ſubinde (72) Ruſtici legatorum, tum Regis ac Reginæ Gudelinæ (73) officiis & precibus, nunquam a belli propoſito potuit dimoveri, ut infra videbimus. Neque Rex minus Auguſti iracundia commovebatur, quam anni ipſius penuria, qua Liguriam Venetiamque Provincias abſumi dolebat. Subvenit utcumque tantæ calamitati Theodahadus. Exſtat enim Decretum Ipſius (74) jubentis, pauperibus erogari commeatus ex horreis Ticinenſibus & Derthonenſibus: atque in eandem ſententiam leguntur Caſſiodorii Prætorio Præfecti ad Datium litteræ (75) quibus evincitur, Theodahadum annonæ penuriæ ſuccurriſſe. Quoniam vero Famis hujus incidit mentio, ut recto ordine res a Datio geſtæ ejuſque Pontificatus anni procedant; atque difficultates effugiamus, in quas video egregios ceterá Scriptores ſe induiſſe; certa quædam prænotanda, ſtabiliendæque prius Ejus vitæ epochæ; quibus recte definitis, tempus Famis, quæ Liguriam afflixit, itemque Ipſius exilii annus, & abſentiæ ab Eccleſia noſtra terminus ſtatuatur. Quæ omnia Datii Pontificatus incommoda niſi ſecum mutuó conſentiant, & XXII. annorum tempus, quo ſedit in Ambroſii Cathedra, abſorbeatur; in ſcopulos illos impingamus neceſſe erit, e quibus tuto non poſſimus evadere. Si enim cum Fornerio (76) ac Muratorio dicamus, ea Fame in Liguria laboratum anno DXXXVIII., quomodo cum *Pontificali Libro* (77) aſſeverare poſſumus, illius mala *enar-*

(72) Procop. L. 1. C. 6. Theodahadus ad Juſtin. ſcribens (ap. Caſſiod. L. 10. *Epiſt.* 19. ſub fin.) ſic ait: Cui (ſcilicet Petro) *Virum venerabilem illum, legatum noſtrum, adjungendum eſſe credidimus*. Similia vide in *Epiſt.* 20. 23. ac 24. Num iſte *Ruſticus*, quem Procopius loc. cit. dicit natione *Romanum* ac *Sacerdotem? Hunc* (ait Baron. ad ann. 536. n. 4.) *certum eſt fuiſſe* Agapetum, *qui* Ruſticus *dictus eſt*; at id ægre concedit Muratorius ad ann. 534. (73) V. ap. Caſſiod. L. 10. Gudelinæ *Epiſt.* 20. 21. 23. & 24. (74) Lib. 10. cit. *Epiſt.* 27. (75) Lib. 12. *Epiſt.* 27. (76) In Not. ad Caſſiodor. L. 12. *Epiſt.* 27. cit. Vide Murator. ſub fin. annor. 534. & 538. (77) In *Vita Silverii* n. V. T. 1. p. 208. Ed. Vignol. Romæ 1724. Vide & *Hiſt. Miſcella* L. 16. ap. *Rer. Ital. Scr.* T. 1. p. 107. col. 1. init.

raſſe Datium uti oculatum illius calamitatis in Liguria, & in ſua ipſa Eccleſia teſtem, quum jam ante annum DXXXVIII., uti mox videbimus, exul Mediolano fuiſſet? Quod ſi, Gregorio (78) teſte, aſſerere velimus, Datium *fidei cauſa* Mediolano *exactum*, nonne adverſabimur (79) Procopio & (80) Muratorio confirmantibus, Datium Romam ad Beliſarium contendiſſe cum Legatis, ut Mediolanenſibus auxilia ſubmitteret pro Urbe a Gothorum poteſtate liberanda? Demum, ſi hanc Mediolanenſium defectionem Datio auctore excitatam velimus anno ipſo Romanæ per Witigen obſidionis, nonne mendacii coarguendus eſt totus Italiæ Clerus, qui Francorum legatis Conſtantinopolim proficiſcentibus litteras (81) dedit ad Juſtinianum exeunte anno DLI, aut ineunte DLII., conquerens, Epiſcopum Datium *quindecim* aut *ſexdecim* annis jam eo tempore Mediolano abfuiſſe? Siquidem, quum certum omnes habeant, Datii mortem initio anni DLII. (82) incidiſſe, rejiciendum omnino videtur ad Theodahadi Regis tempora Datiani exilii initium, ſcilicet ad annum DXXXVI. Cum Eminentiſſimo igitur Card. Baronio (83) libere ſtatuamus, famem eam, de qua in Vita Silverii narravit Datius, in annum DXXXIV., Theodahadi tempore, incidiſſe. Fateri tamen neceſſe eſt, parcum admodum erogatum a Rege in eam famem ſubſidium, referente Datio, nonnullas ex Eccleſiæ ſuæ familiis Matres ne a filiis quidem ſuis ea in neceſſitate abſtinuiſſe; atque illam ipſam ſubſidii parcitatem mihi videor intelligere ex ipſo Theodahadi Decreto & Caſſiodorii Edicto vix memoratis. Nam quum Venetiis (84) *vinum* & *triticum* re-

(78) *Dial.* Lib. 3. Cap. 4. Opp. Tom. 2. col. 285. Edit. Pariſ. cit. Vide infra pag. 288.
(79) Lib. 2. Cap. 7. Vide & infra pag. 296. (80) *Annali d' Ital.* ad ann. 537. ſub fin.
(81) Ap. Labbé *Concil.* T. V. col. 410. B. Vide & infra pag. 288. (82) Vide Pelagii I. *Epiſt.* 3. *Concil.* T. V. col. 792. D. Vide infra Cap. V. Sect. V. & X. & Cap. VI. Sect. III.
(83) Ad ann. 534. n. X. & ſeqq. (84) Caſſiodor. ad Paulum L. 12. *Ep.* 26.

Digitized by Google

medio gratuito ſuppeditaverit; Liguribus (85) tamen una *panici ſpecie* ex Ticinenſibus & Derihonenſibus horreis famis remedium attulit; ut facile conſtat Regis Epiſtolam cum utraque Caſſiodorii comparanti. Hæc mecum animo reputans facile adducor, ut credam, urgente vehementius per victus inopiam fame, ad impia & obſcena alimenta Liguſticas Matres confugiſſe; neque aliam potuiſſe a Datio annonæ caritatem vivente Silverio deſcribi, cujus oculatus teſtis eſſet, niſi eam, quam contra Muratorii ſententiam apud Baronium & Caſſiodorium (86) legimus dicto anno DXXXIV. in Liguria omni penitus graſſatam (ut progrediente hiſtoria facile conſtabit) quam crudelius ſæviiſſe credendum eſt inſequenti anno DXXXV. uſque ad futuram meſſem. Tanta igitur Ligures victus penuria, regnante Theodahado, laboravere, ut, parce admodum apertis Regiis horreis, ad eſculenta quæque licet horrenda eſurientes confugerent. Videbar hæc Datius, atque intimis commovebatur ſenſibus; neque Regiis deficientibus ſubſidiis ſubvenire tantæ calamitati ex Eccleſiæ patrimonio in Sicilia conſtituto poterat; quum ex ea Inſula, exſcenſione illuc facta a Beliſario, brevique in poteſtatem redacta, rei frumentariæ omnis copia interciperetur.

XII. Sed multo magis conſternatus animo Rex eo tempore videbatur, qui præter inopiæ mala quibus Liguria miſerrime conflictabatur cernebat bellum ab Juſtiniano non jam denuntiari, ſed geri. Metuebat (87) inſuper Italiæ ipſi, & Senatus Romani fidei, quem datis litteris Ravennam ſemel atque iterum evocaverat; & nonnullas Gothorum copias in Romanam Urbem juſſerat procedere. Averſante tamen Senatu durum imperium, & Ravennam ire recuſante, inſuper vidit, Romani Populi ſeditione excitata, Go-

Bellici hinc inde motus Theodahadum vexant. Stulta Ejuſdem de Regno abdicando cum Juſtiniano conſilia.

(85) Ibid. *Epiſt.* 27. Caſſiod. ad Datium cit. L. 10. *Epiſt.* 27. L. 12. *Epiſt.* 26. & 27. citt.

(86) Baron. & Murat. locis citt. Caſſiod.

(87) V. L. 10. *Ep.* 13. 14. 16. 17. & 18.

thorum præſidium mœnibus excludi. Puſilli animi Regem perculit irreverentia Senatus, & Populi Romani infidelis motus. Quare litteras (88) ad utrumque dedit fiduciæ in ſpeciem, ſed revera timoris plenas, Regiæ vero dignitatis prorſus expertes. Diffiſi tamen Romani tam ſuavibus reprehenſionibus ſtatuerunt cum Rege meticuloſo paciſci, ut de Urbe neque ſumptibus, neque præſidio militum gravanda Rex ipſe juraret. Hiſce domeſticis periculis anxius, & graviora externa veritus Theodahadus utrumque præſtitit.

* An. DXXXV. & DXXXVI. Oneravit (89) inſuper Regis timorem * intellecta Salonæ in Dalmatia deditio. Quare legato cum Juſtiniani reſponſis veniente Petro, & ad colloquium adhibito, viſus eſt dejici e ſtatu mentis adeo, ut, teſte (90) Procopio, Regnum ab Imperatore precarium non dedignaretur accipere. Tot obruto malis Regi nova acceſſit (91) ab Alpibus belli injuria, quum Francorum arma in Eum, pecunia oblata, Juſtinianus concitaſſet, Catholicæ Religionis cauſam contra imbelles Arianos prætendens: qua de re Suevi Liguriam omnem cædibus ac populationibus implevere. Quid plura? Theodahadus ipſe nativa formidine & inopia conſilii tanto undique oppugnatus eſt metu, ut in Regni ſui perniciem ipſemet conjuraret. Etenim jam cum Petro legato pactus de precario Regno accipiendo, ſana omnia conſilia jam inita ſolus evertit. Re quippe jam confecta, dimiſſum (92) vix legatum, quum jam apud Albanos eſſet, ocyus veluti amens revocavit; & ab illo percontatus eſt, num Imperator propoſitas conditiones, accepturus videretur: & quum ille reſpondiſſet, haud a fide abſonum ſibi videri, quod iis facile Auguſtus eſſet aſſenſurus; intempeſtivo metu illum Rex interpellavit, rogans, quid ſi non ſubſcribat? Quum vero is repoſuiſſet, tum

(88) Ap. Caſſiodor. L. 10. *Epiſt.* nuper citt. (89) Procop. L. 1. Cap. 5. (90) Lib. 1. Cap. 6. It. Murator. ad ann. 535. (91) Procop. Lib. 1. Cap. 5. cit. (92) Procop. Lib. 1. Cap. 6.

Digitized by Google

bellum gerendum fore; hoc belli nomine, veluti fulmine exanimatus, ſeu verius ſceleris in Reginam patrati furiis exagitatus, legatum Petrum remiſit Byzantium adjuncto comite Ruſtico (93) *Sacerdote Romano*, ſibique familiariſſimo. Quibus, dato fidei ſacramento, mandavit, ut, ſi propoſitæ jam precarii Regni retinendi conditiones Auguſto non arriderent, novam conditionem afferrent; ſcilicet ſe ſponte Regno ceſſurum, dummodo *quotannis* ſibi privatam vitam acturo *auri pondo ſaltem mille & ducenta* penderentur. Hac poſtrema conditione accepta Juſtinianus exſiliens gaudio, Regi per litteras de ſua philoſophia gratulatus, novos legatos, Athanaſium ſcilicet cum eodem Petro ad eum deſtinavit, rem omnem, addita etiam Patricii dignitate, tranſacturos; monito Beliſario, ut ex Sicilia in Italiam confeſtim veniens, iis, quæ conventa forent, extremam Auguſti nomine manum imponeret.

Felix Gothici Regis armorum eventus. Stulta item Hujus de Regno retinendo conſilia. Juſtiniani in Regem furor ac minæ. Rex Pontific. Rom. Agapitum Byzantium ire compellit ad mitigandum Auguſtum.

XIII. Verum (94) tanta ſedulitate compoſitam rem inopinatus ac felix eventus armorum evertit. Properantibus enim Ravennam legatis, ut quod ſecretis conditionibus conventum erat perficerent, Gothorum Primores in Dalmatiam irrumpentes Mauricium Mundi filium adorti majoribus viribus oppreſſerant. Et paulo poſt Mundus ipſe, filii cædem ulturus, dum commiſſo juſto prælio victor fugientes Gothos incaute nimium urget, telo ictus occubuit. Hinc Ducis morte conſternati Græci milites Salonam deſeruere, atque in ſuas domos fuga dilapſi liberam armis & belli injuriis Dalmatiam reliquere. Hiſce auditis, atque inſperato belli eventu erectus Theodahadus animum cum fortuna mutavit, æque in adverſis ac proſperis impotens ſui: exceproſque poſtremo legatos primum irridere; mox illis violatam fidem exprobrantibus etiam minari; deinde vix Jus gentium in ipſis vereri; demum ſevera ita ſeptos

(93) Vide ſup. p. 281. nota (72). (94) Procop. Lib. 1. Cap. 7.

cuſtodia, ac ſi vinculis conſtricti eſſent, tenere cœpit. Quum hæc intellexiſſet Juſtinianus, terrorem iterum perfido Regi admovere ſtatuit, juſſoque Beliſario ex Sicilia in Italiam transfretare, miſſoque in Dalmatiam cum copiis Conſtantino, Salonam cum tota Provincia & Liburnia, compulſis Ravennam Gothorum navibus, iterum in ditionem redegit. Renovato deinde cum Francis fœdere, eorum Regem ingenti pecunia delinitum concitavit, ut Liguriam omnem ac Venetiam prædabundi invaderent. Quid ageret tot malis obrutus, ſuique vix in proſperis compos eo tempore Rex infeliciſſimus? Romanæ Urbi timens, ut ſibi Regni arcem ſervaret, illuc propere contendit; Generumque ſuum *Evermundum* filiæ ſuæ Theodenanthæ maritum (95) Rhegium in Calabriam cum copiis miſit, curaturum, ne Beliſarius in Italiam irrumperet. Deinde amplioribus præmiis propoſitis pellicere Francos ſtuduit, ut a Liguria ac Venetiis abſtinerent. Sed ſanum hoc ceteroquin propoſitum conſueto mentis furore turbavit quamplurimum, cum fines Regni cuſtodiens, in ipſa Regni viſcera inſano conſilio debacchatus eſt. Scribit (96) Liberatus Carthaginienſis, Theodahadum *ſcribentem ipſi Papæ & Senatui Romano interminatum eſſe, non ſolum Senatores, ſed & uxores & filios filiaſque eorum gladio ſe interempturum; niſi egiſſent apud Imperatorem, ut deſtinatum exercitum ſuum de Italia ſubmoveret*. Quare Agapitus (97) legationem ſuſcipere coactus eſt X. Kal. Martias, ut Romanorum ſaluti conſuleret, nullis ex Ærario Regio ſuppeditatis ſumptibus: quibus ut par eſſet, vaſa S. Petri Arcariis Regiis pro opportuna habenda pecunia pignori dediſſe, Caſſiodorius in ſua Epiſtola (98) teſtatur.

---

(95) Procop. Lib. 1. C. 8. Jordan. *De Reb. Get.* C. 60. Id. Jordan. *De Regnor. Succeſſ.* p. 241. col. 1. E. (96) In *Breviar.* Cap. XXI. in *Concil.* T. V. col. 774. (97) *Lib. Pontifical.* in *Vita Agapiti*. Vide ibid. not. 4., *Hiſt. Miſcell.* L. 16. p. 104. col. 2. B., S. Gregor. *Dial.* Lib. 3. Cap. 3. (98) *Variar.* L. 12. *Epiſt.* 20.

CAPUT QUINTUM.

Theodahadus Rex Datium in exilium conjicit. Agapito Rom. Pontifici defuncto Silverius ſufficitur. Datiani exilii annus iterum diſquiritur.

Verum inclementius adhuc in Liguriam ſe geſſit Rex, quam in Romanos. Nobis enim unicum in tot malis ſolatium & tutiſſimum miſerorum perfugium non modo intercepit, ſed crudeliter abſtulit. Oderat in turbulentis Regni ſui rebus Antiſtitis noſtri ſanctiſſimi Datii pietatem ac religionem; quam anno ſuperiore, ſtatu adhuc Regni vigente, adeo dilexerat, ut in magna annonæ penuria Ipſum liberalitatis ſuæ adminiſtrum (1) eligeret. Eum vero hoc anno DXXXVI. ſuis vexatus furiis Rex Arianus, ſibi ab Illius religione timens, & peſſime Liguribus conſulens, noſtra ab Urbe exturbavit. Plena igitur apud meticuloſum Regem ſuſpicionis quum eſſent omnia, & Senatui P. Q. R.°, imo Gothis etiam ſuis jure ac merito diffideret; mirum dictu eſt, quanto terrore, velut fulmine ictum, triſtis Pontificiæ legationis atque infeliciſſimus exitus plane perculerit. Hinc, metu in rabiem converſo, non modo Pontificem, ſed Religionem Catholicam in Imperatore, in Senatu, in Romanis, in Epiſcopis exſecrati cœpit. Auditis Pontifici delatis ab Auguſto ipſo honoribus, & ſua poſtulatione rejecta, dolebat Regiam interim contemptui habitam dignitatem. Mox amentis in morem furere, bacchari in eos maxime, qui ordine conſpicui præ ceteris apud Catholicos in honore eſſent. Quare perlato Romam Agapiti obitus nuncio, qui legationi Conſtantinopolitanæ immortuus fuerat, Clero Romano ad comitia evocato, Silverium (2) eligendum Pontifi-

(1) Caſſiod. ipſe ad Datium ſcribens, *Epiſt.* 27. Lib. 12. initio, *Sanctiſſimi* Eum nomine compellat, & magnificam de eo pronunciat ſententiam his verbis: *Cui eſt ſtudium, bonum de proprio facere, laudabiliter poteſt aliena vota complere.* Item paulo inferius: *Quia totum Vobis dignum eſt, ubi pietas invenitur.* (2) *Lib. Pontif.* in Ejus *Vita*, p. 205.

cem non propoſuit modo, ſed imperavit; ratus hac ratione, amicum ſibi fore Petri Succeſſorem, quem ſibi hoc veluti beneficio obſtrinxiſſet. Hinc primo raris ſuffragiis in eam Cathedram aſſumptus eſt quidem Romæ Silverius; quanquam poſtmodum in Eundem ſibi præficiendum, cognitis Ipſius dotibus, conſenſere univerſi. Eminebat itaque in Ambroſii Cathedra Italicæ Diœceſeos Caput Datius; in quem majore exarſit odio Theodahadus, quó excelſiore fulgebat dignitatis gradu. Alia etiam furoris Regii cauſa acceſſerat, belli mox superventuri metus. Etenim ineundæ cum Juſtiniano pacis ſpe fruſtratus, irrita Agapiti legatione, ſentiebat jam accenſum anno ſuperiore in Sicilia bellum proxime per totam Italiam conflagraturum; imo jam coflagrare videbat. Corruperat præmiorum ſpe (3) *Evermundum* in Calabria Beliſarius; patentemque copiis ſuis & perviam Calabriam ipſam atque Campaniam ſibi fecerat. Qua proditione perculſus Theodahadus æſtuare animo ac furore exagitari, ad conſuetam inſaniam atque ſuum ingenium redire. Objecerat jam Regi Petrus Juſtiniani legatus, violentas ab eo in Epiſcopos injectas manus, & bona adempta. Quare in hoc rerum articulo, deſperata penitus pace, apertius denunciatum eſt Epiſcopis bellum. Neque de Datio expulſo dubitare nos ſinit Gregorius, qui Hunc ſcripſit (4) *Fidei cauſa exactum*, Ejuſque exilium ſtatim legationi Agapiti ſubjungit. Tempus autem hujus exilii evidenter colligo ex ſupra memorata (5) Cleri totius Italiæ Epiſtola, data, ut putat (6) Sirmondus, initio anni DLII., quo mortuus eſt Datius, quum Hujus obitus fama nondum in Italiam manaſſet,

(3) Jordan. & Procop. locis ſup. citt. pag. 286. nota (95). (4) *Dial.* cit. ſup. p. 282. nota (78). (5) *Concil.* Tom. V. col. 407. V. ſup. p. 282. cit. (6) In Notis ibid. col. 410.

naſſet, aut fortaſſe ante exitum anni DLI. Nimirum perſpicue in ea Epiſtola legimus, Datium jam 15. *vel* 16. *annos* exulare. Quapropter, ſi ad 15.um vel 16.um retrogradiamur annum, conſtabit, noſtrum hunc Antiſtitem Urbe ejectum Theodahado adhuc regnante, ſcilicet circiter octavum menſem Indictionis XIV. anni DXXXVI.; mortuum vero quinto Indictionis XV. menſe, quæ currebat anno DLII.: quod totum temporis ſpatium mire congruit numeratis a Clero Italiæ annis. Theodahado, inquam, regnante; nam ſi Witigis juſſu fuiſſet ejectus, non potuiſſet vere ſcribere ad Juſtinianum Witiges ante anni illius exitum Rex a Gothis ſuffectus, in hæc verba (7) *Pertulimus talia, qualia & ipſos offendere poſſunt, qui fecerunt, inſecutiones ſine reatu, odium ſine culpa, damna ſine debitis*. Ignorare enim Witiges non poterat, Juſtiniani animum a Theodahado offenſum propter Epiſcoporum mortem, eorumque bona fiſco addicta, ut exprobraverat in miſſa legatione ejus Deceſſori.

Datius Conſtantinopolim pergens, Corinthum appellit; ubi domum ab infeſto Dæmone liberat. Theodahado ejecto Witiges Rex ſufficitur.

II. Pulſus juſſu Theodahadi in exilium Datius Conſtantinopolim ad Juſtinianum, Gregorio (8) teſte, iter inſtituit; maritimum, credo, quum tota bello ferveret Italia, in quam Græci deſcenderant, fruſtra obſiſtentibus Gothis. Redundabat Campania Beliſarii copiis, Neapolis obſidionem urgentibus, Theodahado de Romanæ Urbis defenſione deſperante. Corinthum appellens Datius, quum amplam domum ibi vidiſſet comitatui ſuo ſatis opportunam, inibique vellet ſibi Suiſque hoſpitium inſtrui, audiſſetque eam domum nocturnis dæmonis larvis ac ſpectris infeſtam; ſubridens, imo ſe ibi hoſpitari velle teſtatus, interritus eam ingredi non recuſavit. Quumque cœnatus ſtrato incumbens ſomnum pla-

(7) Ap. Caſſiodor. *Epiſt.* 32. Lib. 10. (8) *Dial.* Lib. 3. Cap. 4. cit.

Digitized by Google

cide carperet, intempeſta nocte repente infinitis beſtiarum clamoribus excitatus, ad Satanam converſus: *Heus*, ait, *Diabole, dignus es porrò, qui cum ſimilis eſſe velles Altiſſimo, infra hominem dejectus beſtias imitere*. Quo dicterio illico perculſus Satan infeſtus in poſterum iis eſſe deſiit, qui eam deinceps domum incoluere. Corintho digreſſus, quum tandem Conſtantinopolim perveniſſet, turbata illic omnia invenit. Quem Catholicæ Fidei ſtatum optime conſtitutum Agapitus Romanus Pontifex moriens reliquerat, nutare jam, imo Theodoræ Auguſtæ conatibus oppugnari doluit. Res item Gothorum jam labaſcere & peſſum ire audiebat. Ejectum Regno Theodahadum; quin etiam in ſeditione a Gothis excitata e vivis exturbatum Sextili menſe ejuſdem anni (9) DXXXVI. intellexit: ante ejus obitum Witigen, ſcuto impoſitum (10) more nationis, novum Regem electum, precarium a Juſtiniano Regnum fruſtra impetrare conatum, ſe contra Beliſarii impetus accingere: demum Liguriam omnem prædæ Francorum expoſitam; poſtquam, icto cum Childeberto Francorum Rege fœdere, Galliarum arma cum eo Witiges conſociaſſet, pactus dandam pecuniam, atque inſuper conceſſis provinciis, quas cis Rhodanum Athalarico nepoti Rex Theudericus teſtamento reliquerat, & poſtmodum Theodahadus (11) ſpoponderat. Verſabatur itaque Conſtantinopoli invictus exilio noſter Antiſtes, qui, ut olim Dionyſius & Euſebius, teſte (12) Ambroſio, *pro fide exilii dura præoptavit atque elegit, & de imperio triumphans contumelia terreſtri mercabatur mentis fortitudinem*. Nihil enim ſua calamitate commotus, curas illic omnes co-

(9) Vide Pag. in Notis ad Baron. ad an. 537. n. II. (10) Vide Caſſiod. *Epiſt.* 30. Lib. 10. Procop. L. 1. C. 11. (11) Procop. Lib. 1. Cap. 13. cit. Vide & Not. ad S. Gregor. Turon. *Hiſt. Francor.* Lib. 3. n. XXXI. ap. Martin Bouquet Tom. 2. pag. 201. nota (*b*). (12) *Epiſt. ad Vercellenſ.* Opp. Tom. 2. col. 1039.

gitationeſque in Eccleſiæ ſuæ tuendæ rationes cenſendus eſt contuliſſe. Quum enim anno ſuperiore in Siciliam deſcendens Beliſarius Inſulam totam in Juſtiniani poteſtatem (13) redegiſſet; congruum Datio, atque opportunum tempus videbatur, quo Patrimonium (14) Mediolanenſis Eccleſiæ, Tyranni Gothici faucibus ereptum, intactum atque tutum ab injuriis conſervaret. Intellexit, dum inibi glorioſus Exul verſaretur, S. Pontificis Agapiti paulo ante ibidem extincti pro Catholico Dogmate tuendo geſta. Vidit Anthimum hæreſeos labe infectum, illius Urbis Sede Pontificio Decreto pulſum, & Catholicum Mennam ſuffectum, Theodora Auguſta fremente. Præſagiebat animo futuras cum Severianis & Acephalis contentiones, quas viſurus ipſemet erat, & quarum pars magna erat futurus. Horrebat jacta eo jam tempore Orientalem inter, & Occidentalem Eccleſiam diſſidii ſemina; quod ſibi deinde & infinitis concertationibus, & vitæ periculo ſtetit.

Datius Byzantio Romam proficiſcitur: fortaſſe cum Agapiti exuviis. De penuriæ damnis, quæ Liguriam paulo ante vexaverat, Silverium præſentem alloquitur: & probabiliter de Auguſtæ Theodoræ conatibus pro Anthimo in Sedem CP. reſtituendo. Byzantium revertitur.

III. Hæc omnia ſecum animo reputans Sanctus Antiſtes Datius, & Eccleſiæ conſulturus, Conſtantinopoli diſcedens, animum appulit ad navigationem Italicam mari ſuſcipiendam, nequid periculi aut ſuæ, aut Catholicæ Eccleſiæ crearetur; quum ſecurum ſibi perfugium illic videret patefactum, ſcilicet Romanam Urbem, quæ novis Beliſarii victoriis ſibi veluti portum a Gothica violentia & jactatione tutiſſimum aperiebat. In eam igitur Italiæ partem deſcendens, non dubito, quin Eccleſiæ Mediolanenſis patrimonii cauſam, nuper cum Juſtiniano ſuſceptam, cum Beliſario etiam egerit, qui rerum potitus late in Sicilia dominabatur. Neque fortaſſe quid a veritate abſonum dicerem, ſi Pontificis Agapiti menſibus ſuperioribus extincti ſacris exuviis in Italiam devehendis piam

(13) Procop. Lib. 1. Cap. 5. V. ſup. p. 283. (14) Vide ſup. pag. 256. nota (*).

Digitized by Google

impendiſſe operam, conjecturæ in morem aſſeverarem; quum ex *Libro Pontificali* (15) conſtet, eas Conſtantinopoli Romam advectas & ibidem ſepultas XV. Kal. Octobris: cui officio intereſſe Italicæ Diœceſeos Antiſtitem & Datii in Petri Sedem veneratio, & res ipſa poſtulaſſet. Nonnulla etiam mihi ſuppeditat indicia Romani hujus itineris ipſe *Pontificalis Liber*, qui Silverii Vitam (16) deſcribens, in ejus Pontificatu certe teſtatur, Datium ipſum Silverio *narraſſe evidenter relatione ſua* Famis, quæ Liguriam paulo ante (17) vexaverat, horrendum ſolatium, quo nonnullæ Matres *de familia Eccleſiæ ſuæ* uſæ fuerant, mactatis & devoratis filiis. Vox enim *narrare* intuitu primo objicit legenti Datium cum Silverio colloquentem. *Narrare* ſcilicet quid proprius eſt, niſi præſentem præſenti aliquid referre aut deſcribere, non autem ſcripto conſignare? ex quo falſo putarunt nonnulli, Datium noſtrum auctorem eſſe *Chronici* (18) hujus Præſulis nomine in aliquo Codice inſcripti, quod vere eſt *Landulphi* Senioris opus. Famem igitur deſcripſit Silverio Pontifici Datius, cujus mala viderat, quum Mediolani adhuc pacifice ageret. Et quamvis Vitæ Silverii Scriptor utatur hac formula *eodem tempore*, quam Auctor *Miſcellæ* (19) in aliam male tranſtulit, ſcribens *eo anno*; certe patet, eo dicendi more nihil aliud intelligendum eſſe, niſi *per ea tempora*, ſive *annos*, ut reapſe nos docet Hiſtoria: nimirum in Liguria & Venetia fame laboratum ad annos DXXXIV. & DXXXV., quum de

(15) In *Vita S. Agapiti* num. ult. pag. 204. Vide & *Martyrol.* ad diem XV. Kal. Oct.
(16) Ibid. num. V. pag. 208. (17) Vide ſup. pag. 281. (18) Confutant hanc ſententiam, diverſa quamvis incedentes via, Puricellius *Diſſ. Nazar.* Cap. 39. §. XI. & ſeqq., & in *Vita Laurentii* pag. 64. & 163. atque Muratorius *Anecd.* T. 1. p. 221. & in *Prolegom.* ad *Landulphi Sen. Hiſt.* in *Rer. Ital. Scr.* T. 4. p. 51. & ſeqq. (19) Lib. XVI. in *Rer. Scr.* T. 1. pag. 107. col. 1. A.

Digitized by Google

more penuriæ damna in annum inſequentem redundent: anno autem DXXXVI., quo Silverius liber Romæ ſedebat, itemque DXXXVII., quo Romæ obſidio perſeveravit, hanc Urbem ex maxima annonæ caritate vehementer afflictam: atque demum in eandem calamitatem recidiſſe Ligurlam a Gothis & Francis obſeſſam anno inſequente DXXXVIII., de qua calamitate nihil narrare poterat Silverio Datius. Nemo enim ignorat, ſediſſe in Petri Cathedra Silverium annum I., menſes V., dies XI., ut nos idem *Pontificalis* docet, ſcilicet a die VIII. menſis Junii anni DXXXVI., uſque ad diem XIX. Novembris ſubſequentis anni, qua indigne depoſitus (20) Pataram exulare juſſus eſt. Quo autem tempore Romam advenerit Datius, licet intelligere ex tempore, quo Gothorum jugo Roma liberata eſt; neque enim tutum erat, *exactum fidei cauſa* a Gothis Præſulem in poſſeſſam a Gothis Urbem remeare. Quum autem Beliſarius, fugientibus ex altera porta hoſtibus, Romam ingreſſus ſit IV. Idus Decembris ejuſdem anni DXXXVI., ſecurum ſibi aditum patefactum Datius vidit, ut Silverium alloqueretur. Neque ambigo, quin violentos Theodoræ Auguſtæ in Catholicos motus & ſeditiones Conſtantinopoli excitatas atque a ſe viſas pro Anthimo reſtituendo fidelius enarraverit, quam Mediolanenſem famem; unde Paſtoralem ejus curam non ſolum excitare poſſet, verum etiam contra futuram vim potenter armaret. Quum autem intentum Beliſarium videret Urbi muniendæ, noviſque exſtructis operibus pertimeſceret (21) obſidionem, qua paulo poſt, IX.° ſcilicet Kal. Martias anni DXXXVII., cincta & propemodum oppreſſa reapſe fuit; Conſtantinopolim rurſus remeaſſe mihi videtur,

(20) Vide infra p. 295. (21) Hæc Romæ obſidio cœpta fuit ineunte Martio anni 537., ut ap. Procop. L. 1. C. 24. verſ. fin. & Pagium in Notis ad Baron. an. 538. n. II.

ubi ſollicitus, tanquam e ſpecula excubans, animum intendit, nequid a Severianis atque Acephalis, imo ab Auguſtis ipſis, contra Religionem periculi crearetur.

Romæ obſidio a Witige tentata. Silverii exilium. Vigilius in Petri Cathedram intruditur. *A. DXXXVII.

IV. * Interea dum Silverium de Theodoræ conatibus contra Agapiti decreta plenius edocet Datius; ejuſque animum contra fraudes & invidiam Orientalium confirmat; & vix reſtaurantur a Beliſario neglectæ dudum Urbis Romanæ munitiones: infeſta adhuc hieme, & nondum vere appetente, collectis undique raptim Gothorum copiis, de Imperio Italiæ diſputaturus cum Græcorum Duce Witiges, Romæ ipſius cum Beliſarii exercitu opprimendæ ſpe illectus, vallo & foſſa munitis caſtris, mœnia vix refecta circumſedit; atque muros tentare, vallum reſcindere, æquare foſſas (22) aggreditur. Mox intercepto aquarum ſubſidio, perruptiſque earum ductibus ad deſperationem cives erat adducturus; niſi Urbis (23) *Nympharium* præſto fuiſſet ſitientibus, & incolarum animos Beliſarii virtus & providentia ſuſtentaſſet. Diuturnæ illius obſidionis mala & vices narrat eſſuſe (24) Procopius (quæ integrum annum tenuit) hærentibus ſemper inter ſpem metumque civibus. Quod ad Religionem noſtram pertinet, duo admiror eo tempore Urbis mala: primum quidem, quod adhuc ibi ethnicæ ſuperſtitionis exſtabant veſtigia, teſtante (25) Procopio, nocte quadam nonnullos Romanos *foribus vi illata fanum Jani clam aperire* conatos: qui certe ſupremus mihi videtur fuiſſe morientis ſuperſtitionis anhelitus. Alterum, quod Beliſarius, armis Gothicis invictus, molitus eſt Arcem ipſam noſtræ Religionis invadere. Nimirum acceptis Auguſtæ Theodoræ litteris, quibus jubebatur Silverium Pontificia

(22) *Lib. Pontifical.* in Vita Silver. n. IV. (23) Ibid. n. V. pag. 209. cit. (24) Lib. 1. Cap. 16. & ſeqq. (25) Lib. 1. Cap. 25. pag. 270. D.

Digitized by Google

Sede exturbare, & Vigilium Diaconum in eam intrudere, Eundem vi & dolo abductum Sede ac dignitate privavit. Exhorruit Roma intentatam Silverio vim, flevitque Pontificem ſuum repente in Palatium evocatum, omnibus dignitatis inſignibus ſpoliatum per ſatellites, Monachi veſte indutum, cymbæ noctu impoſitum, & Pataram (26) in Lycia ablegatum. Infremuit poſtmodum, quod Vigilius, vivente Silverio, ſine comitiis, refragantibus omnibus Ordinibus, juſſus in Petri Cathedra ſederet. Hujus Tragœdiæ dramma integrum concinnaverat Auguſta Juſtiniani Uxor; quæ Silverii primum conſtantiam tentare auſa, & poſtulare, ut Anthimum ad Byzantii Sedem contra Agapiti decreta revocaret; ſpe & voto dejecta, & plus quam femineas iras in conſtantiſſimum Pontificem fovens, nefarium Ejuſdem perdendi conſilium animo agitavit atque ad exitum, Beliſario adminiſtro, perduxit. Fuerat Conſtantinopoli Vigilius Romanæ Sedis Apocriſiarius, cujus oculos dudum Pontificiæ dignitatis ſplendor perſtrinxerat; ad quam quum meritis deſperaret aſcendere, ſcelere aſpiravit. Id honoris itaque nundinatus eſt cum Theodora Vigilius; fidemque ſuam interpoſuit, pactus cum Auguſta, ſe Pontifice utcumque creato, redditum ocyus iri Conſtantinopolitanæ Sedi depoſitum ab Agapito Anthimum. Prompta in omne facinus Juſtiniani Uxor atque Hæretico illi addictiſſima, conſilium avide arripuit; & confeſtim litteras ad Beliſarium ſcripſit, quibus Silverium deponere, & Vigilium ejus loco ſufficere jubebatur. Græcorum Dux non ſine Romanorum fletu ac lacrymis confictis Silverianæ proditionis litteris, deſcriptæ Tragœdiæ (27) finem clauſit. Utrum luctuoſæ huic ſcenæ interfuerit Datius Me-

(26) V. ſup. p. 293. (27) Rem totam narrat Auctor *Libri Pontifical.* in *Vita* ejuſdem *Silverii* n. V. & ſeqq. Vide & *Hiſt. Miſcell.* L. 16. pag. 107. col. 1. C. Procop. L. 1. C. 25., *Liberati Breviar.* cit. in *Concil.* T. 5. col. 775. B. C., Baron. ad ann. 538. num VIII.

diolanenſis Epiſcopus; an potius ante Romanam obſidionem Conſtantinopolim, ut reor, regreſſus fuerit, aſſeverare non audeo. Scio equidem, ut prædixi ex *Pontificali Libro*, enarratam Romæ ab Eodem Mediolanenſis præteritæ Famis calamitatem; neque poſt Silverii Pataram relegati exilium enarrari potuiſſe, quum eó exulaverit die XIX.ª Novembris anni DXXXVII.

An Datius princeps legationis ad Beliſarium fuerit pro Patria Græcis prodenda, contra Procopium, ejuſque exſcriptores denuo expenditur

V. Quare miror, Procopium Græca, qua pollet, fide auſum fuiſſe novam mihi & poſteris fabulam propinare; ſub prædicti anni exitum, pulſo jam in exilium Silverio, Datium inducens principem Mediolanenſium legationis Romam venientem, auxilium a Beliſario poſtulaturum, ut patriam ſuam proderet, & Græcorum ſervitutem Gothica multo deteriorem dementer mercaretur. Sed audiamus ipſum fabulæ totius architectum in hæc verba (28) narrantem: *Sub idem tempus Mediolanenſis Antiſtites Datius ac cives primarii cum Romam veniſſent, a Beliſario modicum petiere præſidium; ſatis virium ſibi fore aſſeverantes ad eripiendum Gothis nullo negotio, vindicandumque Imperatori non modo Mediolanum, ſed Liguriam quoque univerſam ..... Illorum petitioni ſatisfacturum ſe pollicitus Beliſarius ibi* (Romæ) *hiemem egit*. Sicciue igitur nobis imponet Græcæ fidei Scriptor, poetica nobis potius commenta venditurus, quam narrans hiſtorica? Audes ergo, Procopi, totius Italiæ Clerum mendacii inſimulare, qui ineunte, uti (29) innuimus, anno DLII., vel ſuperiore exeunte, apud Juſtinianum dolet, Datium 15., *vel* 16. *annos* Mediolano abeſſe, quem tu modo Mediolano Romam legatum mittis? Credibiliorane te afferre putas, verſi-

(28) Procop. Lib. 2. Cap. 7. pag. 281. col. 2. V. ſup. p. 282. (29) Vide ſup. p. 282. cit. & infra Sect. IX. & Cap. VI. Sect. III.

Digitized by Google

verſipellem (30) & maledicum *Arcanæ Hiſtoriæ* ſcriptorem, quam tot Sacerdotes, & Clericos ſanctiſſimos & integerrimos? Si alterutri credendum, certe tutius fidem habeamus neceſſe eſt Italico Clero res teſtatiſſimas Auguſto exponenti, quam tibi Beliſarii aſſentatori. Itane vero? Mediolano Romam advenit Datius, qui jam inde a Theodahado fuerat multo ante expulſus? Cur legationem comminiſcitur a Liguria, eamque Datio imponit, in quam jam Ravenna tranſfugerant Senatus Romani obſides ad novas res ibi moliendas aptiſſimi, Reparatus & Cerventinus, ut ipſemet (31) teſtatur Procopius? Porro quam amplis in hac legatione ſpirant tibiis Mediolanenſes, illi ſcilicet, qui biennio ante præ fame vix ægre ſpiritum ducebant! Quid autem poſtulant? *modicum præſidium*, quum *ſatis virium* habeant, non ad Urbem dumtaxat ſervandam, ſed totam ſubjiciendam Liguriam. At tam validi illi Legati adeone hebetes ſunt, ut non libertatem ſibi vindicent, ſed mutari in deterius famulatum depoſcant? Num ignorant, hærere ad latera Gothos rerum jam dominos; nec vident ab Alpibus fulgentes Alemannorum & Burgundionum gladios pro Witige diſtrictos? Vident imo ingentem depopulationem agrorum, abductam prædam: & *modico præſidio* tot ſubventum iri calamitatibus putant? Sed ut mitius cum noſtro Hiſtorico Muratorio agamus, certe diligentiſſimus hic Antiquitatum inveſtigator (32) ſubdubitare videtur de hac publica legatione; atque ingenue fatetur, ſe nullo modo capere, quo pacto tam fidenter ac palam, tota exardeſcente bellis Italia, legati Romam poſſent ad hoſtem ex meditullio Regni Gothici con-

(30) De hac *Arcana Hiſt.* vide ſententiam Muratorii ad an. 565. Tom. 3. pag. 463.
(31) Lib. 1. C. 26. V. & infra p. 299. (32) *Annal. d' Ital.* ad an. 537. V. infra p. 312.

tendere. Neque enim terreſtri per Gothorum caſtra, neque maritimo itinere, intercluſis Gothico præſidio Tiberis oſtiis, proficiſci Legati potuiſſent. Si autem ſolertius ſcrutemur narrationem Procopii, multo abſurdior legatio iſta videbitur. Primo enim me ipſe Procopius docet, ſe hanc legationem non vidiſſe, neque ei intereſſe potuiſſe, dum peragеretur. Scilicet ille (33) tum Romæ abſens in Campania frumentandi cauſa verſabatur. Itaque ea, quæ de hac legatione conſcripſit, vel ab ignaro rerum aliquo audivit, vel ex trivio hauſit, vel marte ſuo ad augendam Herois ſui gloriam confinxit. Quis enim ignorare poterat, Datium tum Romæ verſatum eſſe; qui ibi paulo ante, Silverio ſedente, de Mediolanenſium Fame & pabulo exſecrando (34) *relatione ſua narraverat*? Quod ſi nullus ignorare potuit, reliquum eſt, ut Græca fide uſus ea in legatione deſcribenda fucum legentibus faceret. Deinde rogo Procopium, cur, quum perfricta fronte Datium, qui Romæ erat inter miſſos Mediolano Legatos, falſo indigitaverit; ex reliquis primariis Civibus Mediolanenſibus deſignaverit nullum, ex quorum nomine eam ſibi fidem conciliaret, quam nominando Datium amiſerat? Ego itaque de ea legatione ſic ſtatuo: Beliſarium, ut Witigem longius Roma amoveret, conſultationem de Ligurum animis ac voluntate in Gothos, eorumque viribus, atque opportunitate ac natura regionis, habuiſſe cum Datio Epiſcopo ac Fidelio Mediolanenſibus: quorum uterque Romæ tum verſabatur; Ille ſcilicet *exactus Fidei cauſa*, alter (35) Præfectus Prætorio. Ex qua conſultatione id conſilii ceperit Beliſarius, ut negotium hoſtibus in Liguria remotiore Provincia faceſſeret. Neque inficiabor, fortaſſe additos Græco-

(33) Vide Procop. Lib. 2. Cap. 4. (34) Vide ſup. pag. 282. 283. & 292. (35) Procop. Lib. 1. Cap. 20. ſub fin.

rum Duci ad id tentandum ſtimulos a geminis Romanis obſidibus (36) Cerventino, & Reparato Vigilii paulo ante ſummi Pontificis a Beliſario creati fratre; qui, imperata a Witige Senatorum obſidum morte, feliciter Ravenna dilapſi fuga, *in Liguriam profecti ibi manſerant*, & in obſeſſa Urbe poſtea fuerunt. Neque diffitebor, etiam a nonnullis civibus cum his conſpiratione facta, Magiſtrum illum Militiæ litteris ſollicitatum ad eam expeditionem. Qua de re vel caſu emanavit aliquis poſtulati auxilii rumor, vel artificioſe diſſeminata eſt publicæ legationis Mediolano miſſæ fama; quam avide a Procopio arreptam ſuæ etiam Hiſtoriæ callide intexuit; præſertim ut conſilii tam male initi & infeliciſſimæ hujus expeditionis exitus labem atque maculam in Legatos rejiciendam a Beliſario prorſus (*) depelleret. Quamobrem reor, Beliſarii conſilio factam eſſe infeliciſſimam hanc in Liguriam expeditionem, ut videbimus; non vero per legatos Mediolanenſes exoratam: neque Patriæ proditæ accuſandum eſſe Datium, ſed intempeſtivam potius illius Ducis temeritatem arguendam.

VI. Verum ut ad inſtitutum redeamus; fatigati laboribus Gothi atque exanimati Græcorum conſtantia; imo paucitatem Suorum formidantes; & imminuto copiarum numero, quibus nec obire op-

Cum Witige pacem petente Beliſarius trimeſtre induciarum tempus paciſcitur: ſed vix cœptum violat; & Gothos perſequitur.

(36) Idem Lib. 1. Cap. 26.

(*) Siquis præfracte tueri vellet narrationis Procopianæ veritatem, nunquam evidenter probabit, in ea legatione *Datium Epiſcopum* noſtrum fuiſſe. Ipſe enim Procopii textus indicare videtur quempiam fortaſſe *Sacerdotem* aut *Clericum* Mediolanenſem, nomine itidem *Datium*. Vox enim *ἱερεὺς*, qua Procopius hoc loco, & alibi (Conſule Lib. 1. Cap. 3. 6. 9. &c.) utitur, non tam *Epiſcopo*, quam *Sacerdoti* aut *Clerico* cuique convenit: & apud hunc Scriptorem præſertim, qui Lib. 3. Cap. 9. *ἱερέας* vocat etiam Arianos *Sacerdotes* ab Urbe Roma expulſos: Lib. vero 2. Cap. 22. verſ. fin. plane diſtinguit *Sacerdotes* ab *Epiſcopo* voce *ἱερέων*, & voce *ἐπισκόπῳ*. Vitio igitur Latinorum Interpretum fieri potuit, ut, quum notiſſimum eſſet nomen *Datii* Epiſcopi, & ignotus vir ſacer, qui legationem obivit, Illum pro iſto ſuppoſuerint. Atque ea potiſſima videtur fuiſſe cauſa, quod in *Sacerdotes* Mediolanenſes, capta Urbe, ferociſſime ſæviretur; quos, ut videbimus infra (Sect. X.) ex Mario, inter ipſa mactatos fuiſſe & jugulatos altaria intelligimus.

Digitized by Google

portune cuſtodiam in ampliſſimæ Urbis ambitu, nec obſiſtere frequentibus hoſtium eruptionibus poterant; finem tandem aliquem obſtinati & diuturni belli reſpicere & optare videbantur. Neque imparibus votis Romani peſte ac bello ferme obtuti a pace abhorrebant. Superbe diſſimulabat Beliſarius, utile pacis conſilium fore, quod tamen animo preſſum fovebat: ſed ut honeſte rogaretur, differebat, ratus ſplendidius eſſe poſtulatam concedere, quam ultro offerre. Ut vero Dux hujus pacis mentionem injici ab hoſtibus audiit, facile accommodavit aures; utpote jam in maritima Campaniæ ora ac ſtatione naves re frumentaria atque annonæ copia oneratas haberet in promptu ad Romanorum famem ſublevandam, *anno*, ut Procopius ejus ſubſidii procurator (37) narrat, *iam ſe ad brumale ſolſtitium circumagente*, ſcilicet ſub Decembrem anni DXXXVII. Quum itaque Gothorum legati Romæ excepti a Beliſario fuiſſent, & multa invicem de pace ineunda agitaſſent; callide Græcorum Dux ſibi liberum non eſſe inconſulto Auguſto eam concedere reſpondit. Qua deſperata, de induciis dandis utrinque conſultum eſt. Iis conventum, ut (38) *tres menſes mutuis incurſibus forent vacui, donec reverſi Byzantio legati, qua mente Imperator eſſet, renunciarent*. Sollicite itaque expeditis nunciis, curavit Beliſarius rem annonariam omnem in Campania a Procopio comparatam in Portum Romanum ocyus advehendam. Auſi minime obſiſtere præſidiarii Gothi, quum jam *inducias promiſſo firmaſſet Beliſarius*, ut verbis (39) Procopii utar. Hac itaque ratione depulſo obſidionis & hoſtium metu, cibariis illico abundavit Roma. Quumque Gothi, laxatis non minus Urbis, quam proximarum

(37) Lib. 2. Cap. 7. p. 281. col. 2. init. (38) Ibid. paulo poſt. (39) Ibid. p. 280. col. 2. in fine.

regionum cuſtodiis, tranquille (40) *ſederent* indulgentes otio, & commeatus inopia in unam aciem coeuntes; reſumptis viribus fraudulenter uſus Beliſarius Centumcellas, Portum, & Oſtia Tiberis, per inducias a Gothis deſerta, occupavit. Qua ratione libera lævorſum maritima Tyrrheni loca habuit: mox dextrorſum Albanum Caſtrum vi ingreſſus, Joanni in mandatis dedit, ut apud Albam (41) in Piceno hiemaret. Quum itaque nondum exactum eſſet trimeſtre induciarum tempus, imo vix cœptum; fremere Barbari; exſecrari Beliſarii perfidiam; clamare violatam fidem; *eamque* (42) *ob rem pactiones reſcindere, & Romanis parem creare fraudem* minabantur; perjuro tamen Beliſario eorum clamores & minas irridente. Quum igitur, latius exundante Græcorum acie, divina humanaque jura per ſummam injuriam nihil prodeſſe cernerent Gothi, atque induciarum tempus nihil a veteri bello diſtare: iterum urgere obſidionem aggreſſi, primo (43) per aquæductum moliri aditum in Urbem Romanam cœpere, & paulo poſt iterum in Tranſtiberinam regionem vires ac copias convertere. Utrinque tamen depulſi intellexere tandem, ſe induciarum obtentu in inſidias præcipites agi; & paulo poſt, de Ravenna ipſa armis fore dimicandum. * Etenim nullo adhuc habito Legatorum (44) reſponſo, vigente etiam induciarum ſpatio, *per litteras* (45) commonetur Joannes a Beliſario, ut *agrum Picenum percurrens obvia quæque rapiat, & hoſtium liberos uxoreſque abſtrahat in ſervitutem.* Obſecutus imperio copiarum Ductor, primo impetu obvium ſibi Ulitheum Witigis patruum pugna commiſſa interfecit: Gothoſque diſſipatos *A. DXXXVIII

(40) Ibid. pag. 281. col. 2. lin. 3. (41) Ibid. p. 281. col. 1. D. (42) Ibid. p. 281. col. 1. C. (43) Lib. 2. Cap. 9. (44) Lib. 2. Cap. 10. p. 283. col. 1. E. (45) Ibid. pag. 283. col. 2. initio.

Digitized by Google

perſecutus Auximum uſque progreditur: neque ejus Urbis ſatis validæ & munitæ obſidione tentata, ulterius movens perrexit: Urbino item neglecta & poſt tergum relicta, *Ariminum* uſque *contendit*, *Ravenna diei iter diſſitam* Urbem: qua ſtatim potius, præſidiariis Ravennam fugientibus, ibi conſedit.

Witiges cogitur Roma recedere; & ad Ravennæ defenſionem properare.

VII. Dum hic agit Joannes, clanculum inire conſilia de novis cum Mathaſunta Witigis uxore nuptiis per nuntios & litteras cœpit. Illa enim Witigi per vim conjuncta uxor *graviter marito erat offenſa*. Perlato ad Witigem de' Græcorum motibus atque inſidiis rumore, periculoſum ratus diutius ad Romæ mœnia ſubſiſtere; collectis raptim undique copiis, antequam in Flaminiam redeundi interciperetur facultas, Ravennam (46) quam citatiſſimo curſu redire feſtinavit. Hæc omnia nativis expreſſa coloribus ex Procopio ipſo decerpſimus: quæ tamen Scriptor ille per ambages & ſarcaſmos fucata involvit; & trimeſtri eo ſpatio geſta fatetur, quo pactæ induciæ nondum effluxerant. Nam quum, *anno ſe ad ſolſtitium brumale circumagente*, *tres menſes mutuis incurſibus fore vacuos* (47) fuiſſet conventum; omnia ſuperius narrata exponit, ac demum ſic paulo poſt (48) concludit: *Jam annus circa vernum Æquinoctium* (*) *ſe vertebat*, *in obſidione contritus totus*, *cum diebus præterea novem*; *quando Gothi caſtris ſuis omnibus incenſis*, *prima luce ſe in viam dederunt*. Et nequis ambigeret de præterito induciarum tempore, antea (49) præmiſerat, Gothos *accedente trimeſtrium induciarum exitu abſceſſiſſe*, *etſi de Oratoribus nihil dum acceperant*. Quibus omnibus con-

---

(46) Lib. 2. Cap. 10. & 11. (47) Lib. 2. Cap. 7. cit. V. ſup. p. 300. (48) Lib. 2. Cap. 10. cit. (*) Optime inivit calculos Procopius; etenim, ut vidimus (ſupra p. 293.) IX. Kal. Martias anni 537. Witiges Romam obſidione cinxit: quare reliquum eſt, ut ineunte Martio paulo ante Æquinoctium ſubſequentis anni 538. inde Gothi, re infecta, receſſerint. Vide & Pagium in Not. ad Baron. an. 538. n. II. (49) Lib. 2. Cap. 10. cit.

Digitized by Google

ſtat, quæ Græci hujuſce Scriptoris verbis fides ſit adhibenda. Witiges ergo, Roma & Beliſario omiſſis, quum Latino ſemiuſtulatus agro exceſſiſſet; primo Ravennam, uti (50) diximus, contendens, cum Joanne Arimini ſedente rem ſibi gerendam unice intellexit. Non ita tamen deſpondit animum, ut ſe Italiæ Dominum obliviſceretur. Intacta itaque Græcis loca in itinere præſidiis vel augere, vel munire non (51) deſtitit. Cluſium in Thuſcia, Urbem Veterem, & Tudertum, optimis Ducibus & ſelectis militibus firmavit. In Piceno Petram eodem præſidio, quod impoſitum erat, ſatis firmam ratus; Auximum regionis caput quatuor millibus virorum fortiſſimorum, adjecto egregio Duce Viſaudro, Urbinum vero mille bellatoribus ita communivit, quemadmodum Cæſenam ac Montem Feretrium; ut ea Joanni prius neglecta & intentata loca metuendum illi a tergo ac inſuperabile receptui impedimentum objicerent. Mox feſtinato itinere Ariminum cum exercitu proficiſcens, ejus Urbis obſidionem feliciſſime urgebat; oppreſſurus etiam inibi Joannem, niſi Beliſarius præmiſſo cum copiis Ildigere & Martino opportune ſubveniſſet. Demum Beliſarii ipſius (52) & Narſetis cum novo exercitu advenientium terrore perculſi, ſoluta Arimini obſidione Gothi præcipites *ruere in fugam*, *obſtupefacti*: ſeque cum Rege Witige Ravennam recepere. Tum Beliſarius (53) Piceno Flaminiaque, paucis exceptis urbibus, longe lateque potitus, Narſetem in Æmiliam præmiſit, nequid inde Gothi molirentur: mox animum appulit, ut Regiam ipſam Witigis terra marique obſideret. Quumque liberum ſibi feciſſet Superum atque Inferum mare, propulſique Ravennam Gothi pro ſua ipſorum ſalute eſſent dimi-

(50) Pag. præced. init. (51) Procop. Lib. 2. C. 11. cit. (52) Id. L. 2. C. 17.
(53) Id. Lib. 2. Cap. 18. & 19.

Digitized by Google

caturi; opportunum viſum eſt, ut conſilii antea Romæ vel mente, vel procurata Mediolanenſium legatione concepti, de Liguria obtinenda, maturitas nunc tandem erumperet.

Beliſarius interim Mundilam cum ſubſidiariis Mediolanum mittit ad Civium defectionem fovendam.

VIII. Etenim ad eam expeditionem ſuſcipiendam (54) *viros mille partim Iſauros, partim Thraces*, Mundila duce, cum paucis ſuis ſcutariis elegit, adjunctiſque Mediolanenſium Legatis e Portu Romano ſolvere, & navibus Genuam juſſerat appellere Alpium maritimarum Portum. Fidelium iis Mediolanenſem Civem, Romæ Prætorio Præfectum, comitem adjunxerat, utpote apud Ligures mire gratioſum, ſummaque etiam dignitate commendatum. Genuam quum omnes appuliſſent cum auxiliaribus copiis, *relictis* (55) *ibi navibus terra viam procedunt cum earum lembis* (*) *in plauſtra impoſitis, nequid trajectum Padi amnis moraretur*, ut Procopius narrat. Superatis igitur Alpibus in Derthonenſem agrum effuſi, nullo Gothorum obvio, aut obſiſtente, ad Padum uſque feliciter proceſſere: eoque per lembos tranſmiſſo ad urbem uſque Ticinum progreſſi in hoſtes inciderunt *numero pollentes & animis*. Ibique, ſi Procopio credimus, *commiſſa acri pugna, ſuperiores Romani dantem terga hoſtem magna clade afficiunt, atque Urbem tantum non capiunt, inſtando Barbaris, qui ſane ab hoſte preſſi vix portas claudendi ſpatium habuerunt*. Incommodum autem Græcis maximum attulit

(54) Id. Lib. 2. Cap. 12. (55) Ibid. pag. 285. col. 1. B. (*) Ceterum hic quoque fabuloſum aliquid de more Græcus Scriptor intermiſcet. Quis enim credat, tam facile ac pervium Græcis ad Padum Genua contendentibus iter fuiſſe; ut iis temporibus lata ac ſecura curribus & ſcaphis impoſitis via pateret per illa Alpium inaceeſſa juga? Illud mihi certe conſtat ex Langobardorum Hiſtoria horum Reges Alboin, Clephum, Autharith & Succeſſores late in Liguriæ planitie dominatos, eorum montium aſperitate territos impervia ea cacumina nunquam tentaſſe, neque pedeſtribus etiam copiis pervia credidiſſe: quare vix centum poſt annos Rotharis maritimam Genuenſem oram primus occupavit. (Vide Paul. Diac. L. 4. C. 47. & Fredegar. ibid. in notis & infra Lib. III. Cap. V. Sect. X.).

tulit conſequuta conflictum Fidelii mors; qui a victoribus retrogreſſis deſtitutus, poſtmodum *equo excuſſus*, mox a Ticinenſibus interceptus oppreſſuſque interimitur. Sic amiſſo Fidelio, opportuniſſimo ad Liguriæ defectionem ſuſtentandam fomite, victor Mundilas Mediolanum cum ſuis mille auxiliariis (ſi integri e Ticinenſi prælio evaſerant) contendit. Auxiliariam hanc militum paucitatem credo tunc formidaſſe Cives Mediolanenſes, ac præſertim *Reparatum* Vigilii Pontificis fratrem ac *Cerventinum* Senatores Romanos, qui huc Ravenna profugerant, ne cum reliquis Romæ obſidibus Witigis juſſu (56) mactarentur: quoſque pronum eſt credere; præcones fuiſſe noſtræ a Gothis defectionis & belli hujuſce tubas. Nam totam belli molem unis Mediolanenſium viribus ſuſtinendam apparebat; præſertim quum auxilium iſtud Mundilas ipſe extenuaret quotidie, impoſitis ſubinde præſidiis Como, Bergomo, Novariæ, aliiſque opportunis locis, poſtquam *citra pugnam reliquam Liguriam*, uti (57) Procopius ſcribit, *obtinuiſſet*. Quem quidem Procopii locum obſervatum Cl. Scriptori Mario Lupo (58) maxime vellem, ne tam longe *veteris Venetiæ* fines extenderet; neque eam Provinciam cum *poſterioris Venetiæ* ditione, Langobardorum ætate, ex Pauli Diaconi fide (59) permiſceret. Bergomum enim hoc tempore, de quo agimus, non intra *Venetiæ*, ſed *Liguriæ* noſtræ fines videtur fuiſſe a Procopio comprehenſum. Alterutrum itaque tam infirmo in Liguriam miſſo ſubſidio videtur ſpectaſſe Beliſarius, ut, ſi ſuis viribus Mediolanenſes invicti in perduellione perſtitiſſent, amicam ſibi atque pro opportunitate pa-

(56) Procop. Lib. 1. Cap. 26. cit. (57) Lib. 1. Cap. 12. cit. ſub fin. (58) In *Cod. Diplom. Eccl. Bergom.* Prodrom. Cap. 1. n. 1. (59) *De Geſtis Langob.* Lib. 2. Cap. 14.

tentem Liguriam haberet, frugibus Provinciam affluentem; ſin minus, magnum Witigi negotium nullo ſuo periculo faceſſeret, & mille militum diſpendio ingentes a Witige copias facile avelleret.

Infeliciſſimus hujus expeditionis exitus.

IX. Brevi revera tempore noſtris civibus comperta fuere Mundilæ & Beliſarii conſilia. Ille enim hinc inde diſſipatis auxiliis, hic miſſis paucioribus, quam res poſtulabat, noſtro ære ac corpore totum Martem regi volebant: quare patuit, prius Gothos a Mediolanenſibus, poſtea a Græcis proditos Mediolanenſes. Furens enim Witiges accepto inexſpectatæ defectionis nuncio, & retinendæ Liguriæ, unde alebatur, quam Ravennæ cupidior, *Uraiam Sororis ſuæ filium cum exercitu confeſtim miſit*, non autem *magno*, ut falſo Procopius ſcripſit. Nam ocyus in Urajæ ſubſidium evocatis & convolantibus ad perduelles Ligures vindicandos decem Burgundionum millibus, quos a Francorum Rege Theudeberto impetraverat, Beliſarii eluſit conſilium: ſcilicet neque Ravennam defenſoribus nudavit, neque inultam Mediolanenſium defectionem dimiſit. Imo ſaniore Gothos conſilio, quam Græcos eo tempore uſos fuiſſe conſtat; ſi Mundilæ imprudentiam longius a primaria Urbe evagantis, neque in futurum providentis, comparemus cum illorum feſtinatione. Etenim, quum *trecentos* vix Mediolano impoſuiſſet præſidiarios Dux ille improvidus; neque Urbem populo & imbelli multitudiue refertam comportatis commeatibus muniviſſet; neque amplius comportandorum tempus haberet: ocyus ſe obſeſſum ſenſit circumſidentibus hoſtibus, quam obſidendum præſentiret. Quare nec ſubſidio erat, deſperationem imo civibus inferebat, Græcorum præſidium, eo quod cibaria civibus detrahebat, nec ſpem ſalutis dabat. Si vera retulit Procopius, occiſa in excidio, de quo mox infra dicemus, *trecenta minimum millia* Mediolanenſium (60)

(60) Lib. 2. Cap. 21. ſub fin.

Digitized by Google

recenſens; unum ex *trecentis* præſidiariis Mundilas, *mille* autem Mediolanenſes Gothis in ea obſidione opponebant: & cuſtodiendorum mœnium cura, vigiliarum ſolertia, munitionum labor, vis repellendæ induſtria ab unis civibus certe pendebat: & die noctequе diſpertita *trecentorum* Græcorum ſollicitudo neque laborantibus ſolatium, neque oppreſſis offerebat auxilium. Initio urgebant Barbari; ſed procedente obſidione acrius cives urgebat penuria. Urbis noſtræ denuntiato (61) periculo, puduit Beliſarium, fidam ac ſociam civitatem non ſolum obſidionis objeciſſe diſcrimini; verum etiam indefenſam veluti prædæ Barbaris reliquiſſe. Mox cópias, ducibus Martino & Uliari, huc miſit, obſeſſis futuras ſubſidio. Multas haſce copias affirmat fuiſſe Procopius; res tamen ipſa impares Urbi liberandæ teſtatur. Nam quum ad Padi ripas feſtinato agmine ſubſidiarii milites amnem trajicere ſubſtitiſſent ſive metu, ſive deliberandi ergo; tantum trivere temporis, ut Mundilas ipſe, per certum nuntium ad eos Duces miſſum periculo ante oculos defixo, tanquam proditores Auguſti eoſdem inſimularet, niſi progredi & auxilium ferre maturarent. Remiſſo cum ſpe nuntio, ſe mox adfore polliciti tot adhuc moras nectere perſeverarunt; ut offenſionem Beliſarii veritus Martinus, ad Illum datis litteris, cunctationem ſuam in militum timorem rejiceret; qui ſe Padum tranſituros negarent, niſi copiarum Joannis, qui tum in Æmilia hiemabat, numero augerentur. Acceptis litteris Beliſarius Joanni mandat, ut ad Padum properet, qui conſtanter ſe iturum negat, niſi de Narſëtis mandato. Urget Narſetem Beliſarius acri epiſtola, ut mandata Joannes exſequatur, qui tandem Narſeti obtemperans,

---

(61) Ibid. toto Capite.

prius ſcaphas contrahere ex ora maritima ad Padum trajiciendum curat; ſed morbo ſuperveniente movere ab Æmilia caſtra non poteſt.

Mediolani a Burgundionibus capti cruentum excidium. Novis argumentis Datius proditionis nota vindicatur.

X. Tot objecta Mediolanenſium ſaluti impedimenta perditum iri Urbem, & certiſſimum illi impendere exitium ominabantur. Mundilas quidem, & Reparatus qui ſtatim poſt Fidelii necem Prætorio Præfectus declaratus fuerat, & Cerventinus, ſuo periculo præſentiſſimo exterriti, adeo Mediolanenſium animos in fide confirmaverant dictis atque præſentia, & ſpe inter tot calamitates erexerant; ut Cives hoſtium repetitis impreſſionibus obſiſtentes ſalutem ſanguine ſuo & periculo diutius mercarentur; imo in tanta cibariorum egeſtate inhoneſtis etiam & abominandis cibis famem extraherent. * Tandem viribus deſtituti, inedia enecti, a Suis deſerti Urbem hoſtis arbitrio permiſerunt. Sic (62) civitatem Mediolanenſem *amplitudine, frequentia, opibus* (uni) *Romæ cedentem, Occidentis urbes ceteras ſuperantem, a trecentis minimum civium millibus*, ſi Procopio fides (63) habenda, defenſam Beliſarius amiſit; qui octo millibus Græcorum indefenſam a civibus ſuſpectis Romam (64) contra CL. Gothorum millia ſervaverat. Sive, ut verius dicam, Mediolanum Beliſarius tenui miſſo præſidio, Mundilas imminuto auxilio, Martinus retardato, Joannes negato, Narſes ſerius conceſſo, prodidere, Gothi vero fame & ferro perdiderunt. Urbem nimirum ingreſſi ſive per vim, ſive per deditionem, hoſtes crudelitatem anhelantes barbarici furoris monumenta non fixa leviter, ſed ad ſempiternam impreſſa memoriam hic reliquere. *Urbem* ſcribit Procopius (65) *ſolo æquatam, viris omnibus ſine ullo ætatis diſcrimine ad trecenta minimum millia peremptis, & mulcta-*

* A. DXXXIX.

(62) Procop. Lib. 2. Cap. 7. Simile Urbis noſtræ præconium iiſdem omnino verbis habetur etiam Cap. 21. verſus init. (63) Lib. 2. Cap. 21. cit. (64) Lib. 1. C. 16. 22. 24. (65) Lib. 2. Cap. 21. cit. ſub fin.

Digitized by Google

ſis libertate feminis, quas Burgundionibus donarunt. Præſidiarios quidem a vexatione intactos in cuſtodia cum Mundila habuere. Marius vero Aventicenſis (66) in *Chronico* ad annum DXXXVIII. tragœdiam hanc (licet falſo annum deſignans, ut infra videbimus) ſic deſcribit: *Hoc anno * Mediolanus a Gothis & Burgundionibus effracta eſt; ibique Senatores ac Sacerdotes cum reliquis populis etiam in ipſa ſacroſancta loca interfecti ſunt ita, ut ſanguine eorum ipſa altaria cruentata ſint.* Neuter ex hiſce Scriptoribus huic cladi interfuit; uterque autem audivit. Ille, cujus intererat Gothis invidiam conflare, occiſorum numerum plus nimio mihi aliiſque (67) videtur auxiſſe. Si *trecenta minimum millia* (*) *virorum* obtruncata & quæſita ad cædem ſunt, laſſari certe, aut refrigerari ſaltem crudelitas debuit: ſi trecenta millia feminarum (totidem enim in tam populoſa Urbe eſſe debuiſſent) certe grave nimis tantum munus Burgundionibus fuiſſet. Præterquamquod, licet comprehenſis in eo numero etiam ſuburbiorum incolis anguſtiore (68) murorum ambitu ea ætate excluſis, quinquies circiter amplius civium, quam nunc temporis, Urbs noſtra numeraſſet. Inflare etiam buccas mihi videtur, cum *ſolo æquatam* Urbem deſcribit Procopius. Etenim Romana

* ſic

(66) Ap. Martin. Bouquet *Rer. Gallic. & Francic. Script.* T. 2. p. 16. Vide infra Cap. VI. Sect. VI. (67) Vide Cl. Auctores Operis, *Vicende di Milano &c.* p. 132. &c. (*) Emendatiore certe Procopii textu uſus mihi videtur Leonardus Aretinus in Libris, quos *De Bello Gothico* inſcripſit, editis Fulginei 1470. in 4., in quibus (L. 2. p. 17. lin. 14.) diſerte legitur: *Interfecta ſunt] in ills vaſtitate Mediolanenſium civium ſupra XXX. millia.* Hæc eadem pene verba mutuatum eſſe crediderim Triſtanum Calchum *Hiſt. Patr.* Lib. 3. ſic ſcribentem: *Cæſa in ea vaſtitate feruntur circiter triginta hominum millia.* Hos vero Aretini Libros (quæ ſua eſt in Litteratos humanitas ſingularis) ſicuti perraros, legendos atque expendendos commodavit Excellentiſſimus Comes atque Hieroſolymarius Ordinis Primi Eques, & educandis Regiis Filiis FERDINANDI AUSTRIACI ARCHIDUCIS & Inſubricæ Ditionis Supremi Moderatoris Præpoſitus, Cajetanus Valentius Gonzaga; obtulitque ex ornatiſſima ſua Bibliotheca, quam ſumma diligentia parique impenſa ſelectis Sæculo XV. editis Voluminibus, & Aldi utriuſque ferme univerſis Editionibus locupletavit. (68) V. Gratiol., Julin. &c.

Digitized by Google

quædam antiquiora Ædificia ſtetiſſe ex ſubſequentium ætatum Hiſtoriis (69) diſcimus: imo etiamnum Thermarum Maximiani Herculei non veſtigia ſolum, ſed erectas Columnas intuemur. Aventicenſis igitur potius opinioni lubet ſubſcribere, qui *Mediolanum effractam* ſcribens, ſignificare voluit vel in Muros impreſſionem per vim ab aggredientibus hoſtibus factam, vel munitiones dumtaxat Urbis fuiſſe everſas. Quæ poſtea pergit Marius narrare, mire Gothorum iram ac furorem depingunt. Primarios enim Viros fœde mactatos inter ipſas, ad quas confugerant, aras, polluta Sacerdotum ſanguine Templa, in quibus verſabantur, quis non facile credat, animo reputans hoſtes proditione accenſos, iracundia inflammatos potuiſſe ſuam antea Civitatem totius internecione populi delere? Multo acerbiorem Procopius exaggerat furoris ſignificationem, cum deſcribit *Reparatum*, proditionis, ut ſuſpicor, auctorem, Vigilii Pontificis fratrem, Prætorio Præfectum, Romanorum Senatorem obſidem, & fuga Ravenna elapſum, forte in Urbe capta repertum, *minutatim* fuiſſe *in fruſta conciſum*, & canibus objectum ad cibum. Par certe ſupplicium *Cerventino*, item Senatori obſidi, impendebat; qui per Urbis captæ tumultum feliciter in Agrum Venetum fuga evadens, & inde Dalmatiam profectus, demum Byzantium ſe recipiens in ipſis Juſtiniani oculis noſtram cladem expoſitam defixit. Atque hoc loco libenter rogarem Procopium, cur de Sancto noſtro Antiſtite Datio, quem legationis Mediolanenſium principem dixerat, quum a Beliſario peterent auxilium, nullam neque quum legati huc cum Mundila & auxiliaribus copiis remitterentur, neque quum Mediolano capta Gothi ſævirent, nullam,

(69) Vide præfert. Gratiol. *Differt. De Præclaris Mediol. Ædificiis, qui Ænobarbi cladem anteceſſerunt;* Cap. VIII. & ſeqq.

inquam, prorſus mentionem injecerit. Nimirum in Datio proditionis patriæ ſuſpicionem commoverat, quam antea in Silverio (70) Romæ prodendæ confinxerat. Quare fateor, mirari me, quomodo eximii atque omni certe laude digniſſimi (71) Card. Baronius, & (72) Muratorius, Eccleſiaſticæ ille parens hiſtoriæ, hic Italicæ maximum lumen & ornamentum, tantam Græco huic Scriptori fidem habuerint, ut in eundem impingerent lapidem, Sanctum hunc Epiſcopum proditæ Urbis accuſantes: quanquam alter nullam in Eo noxam agnoſcat, alter vix effugiſſe ſuſpicetur. Etenim, quum certo ſcirent ex S. Gregorio, Datium Mediolano *fidei cauſa exactum* regnante Theodahado; itemque Rege Witige Mediolanum captam anno DXXXIX.; obiiſſe autem Datium paulo poſt diem IV.am Februarii (73) anni DLII.; ac demum ex Cleri Italiæ ad Legatos Francorum (74) Epiſtola, Illum *quindecim vel ſexdecim annos* Conſtantinopoli præſertim in exilio ſubſtitiſſe: quomodo initis calculis id ſequi poterat, Sanctum Præſulem ſcilicet Mediolani excidio dicti anni DXXXIX. interfuiſſe, aut Eum anno præcedenti cum legatis Mediolano Romam veniſſe?

Hujus Mediolanenſis excidii annus ſtatuitur. Quo id dolore affecerit Beliſarium, Juſtinianum Aug., & Datium noſtrum. De Larienſi ſeu Comenſi Inſula, *Chriſtopoli* nuncupata.

XI. Quo autem tempore ad internecionem deleti ſint Mediolanenſes, ſatis diſerte Procopius (75) docet, cum ſcribit, Beliſarium *exacta jam hieme*, quum Agrum Picenum petere intenderet, in itinere, quæ Mediolani contigerant, audiſſe. Profecto hæc hiems erat (*) initium anni DXXXIX. Hoc igitur initio

(70) Vide ſup. pag. 295. (71) Ad ann. 538. n. 89. (72) *Annal.* ad ann. 539. pag. 386. init. Vide & ſup. p. 297. ſub fin. (73) Pag. in Not. ad Baron. ad ann. 552. n. XXV. Vide infra Cap. VI. Sect. IV. (74) Vide ſup. p. 282. 288. 296. & infra Cap. VI. Sect. III. (75) Lib. 2. Cap. 22. (*) Procopius poſt enarratam Cap. 21. Lib. 2. Mediolanenſium cladem, ſic ſubſequens Caput concludit: *Porro hiemis exitus quartum clauſit annum iſtius belli; cujus hiſtoriam Procopius condidit.* Porro juxta calculos a Pagio initos in Not. ad Baron. an. 535. n. XV. & XVI. T. 9. p. 520. & ſeqq., *primus belli Gothici*

tam memoranda inuſta fuit Gothis & Græcis crudelitatis labes nullo unquam tempore eluenda, atque utriſque certe pœnitenda; quum Gothi illato excidio ſui Imperii nervos inciderint, Græci deſertam amicam ac potentiſſimam Urbem hoſtium furori objecerint. Atque Beliſarius quidem penitus videtur fuiſſe commotus, ſuis detractum civibus intuens quidquid hoſtibus acceſſiſſet. Juſtinianus autem minus vicem noſtram doluiſſe viſus eſt; quum Cerventinum mali noſtri auctorem cum Suis Conſtantinopolim (76) apud ſe profectum mitius exceperit, nihilque grave aut acerbum in reliquos Duces, unde mali origo proceſſerat, conſtituerit. Narſetem quidem non ex privata Ligurum, ſed publica Græcorum cauſa revocavit extemplo; nequid damni ex domeſticis illius atque Beliſarii diſſidiis oriretur. Satius enim putavit, optimam Liguriæ Civitatem deletam pati, nullo quidem rerum ſuarum detrimento, quam adverſus Ravennam ſuſceptam expeditionem retardari. Perlata igitur Byzantium direptæ nobiliſſimæ Urbis & Mediolanenſium cladis fama minus Juſtinianum perculit, quam Datium ibi exulantem. Auguſtus enim Gothos irridebat in tanto excidio ſibi ipſis infeſtos, qui Civitatem Liguriæ principem inſana vindicta per fœderatos Burgundiones perdiderant, nervisque potentiæ ſuæ incisis Regnum ad infirmitatem perducere ipſimet conabantur. Ex adverſo noſter Antiſtes dolebat ex animo, perrupto ovili fures & lupos ingreſſos, ut oves mactarent, perderent, dilaniarent. Quare percuſſus & ipſe

---

annus incipit verno tempore anni 535., *annorum enim militarium initium ducit* Procopius *a vere, quo ſolent exercitus ad bellum produci:* hinc *annus quartus* inchoaſſe debuit vere anni 538., & claudi exeunte hieme, ſeu ante vernum tempus anni 539. Ad hunc annum referunt etiam *Marcellini Continuator* in *Chron.* ap. Pag. & Pagius ipſe, in not. ad an. 539. n. VII. Tom. IX. cit. pag. 600. (76) Procop. L. 2. C. 21. cit. ſub. fin. V. ſup. p. 310.

ipſe cum ovibus Paſtor, non ſolum præſenti, ſed futuræ etiam Diœceſeos Italicæ calamitati illacrymabatur. Neque enim ignorabat, qualis, quamque inimica Catholicæ Religioni Burgundionum atque Alemannorum gens eſſet, quam poſtremam Agathias (77) ea ætate deſcripſit nulli Religioni addictam, arbores & flumina inſana ſuperſtitione colentem. Atque acrius infixus Datii animo hærebat hic dolor, quod impune barbara Natio per Liguriam bacchabatur, & locuſtarum more pulcherrimo ſolo incubabat. Etenim ex quo tempore conceſſa per Theodahadum tranſalpina, a Theuderico Rege poſſeſſa, Gothia fuerat; imo etiam antequam a Francis Burgundiones vincerentur, ſub Gundobado, ut (78) vidimus, Barbari illi ad noſtram Liguriam oculos cupiditatis adjecerant, pluresque Ligures in ſervitutem abduxerant. Quibus redemptis, iterum ſub finem Regni Theodahadi novas irruptiones per Alpes moliebantur. Quare Witiges initio Regni in concione apud Gothos (79) dolebat, ſe ancipiti contentione diſtractum; quum Barbari ab Alpibus occurrerent repellendi; atque a Sicilia jam copias tranſmiſiſſet in Italiam Beliſarius, & Romæ imminerent. Harum nationum utramque, Alemannorum ſcilicet & Burgundionum, deinde victam ac proſtratam (80) Gothorum Rex denuntiat Æmiliæ & Liguriæ. Nunc vero mutata in deterius Gothorum fortuna, a Romana obſi-

(77) De *Belle Goth.* inſ. *Rer. It. Scr.* T. 1. p. 383. col. 1. E. De *Francorum* moribus, *qui Germani olim dicebantur*, vide ibid. pag. 381. col. 2. A., Procop. Lib. 1. Cap. 12. pag. 258. D., Lib. 2. Cap. 25. init., & *De Belle Vandal.* Lib. 1. Cap. 3. init. Vide & Murat. ad ann. 539. pag. 387. (78) Vide ſup. pag. 171. 183. & ſeqq. & 210. nota (*). (79) Ap. Procop. Lib. 1. Cap. 11. pag. 258. C. D. (80) Caſſiodor. Lib. 12. num. XXVIII. ſic in *Edicto* ſuo Ligures alloquitur. *Nam cum ſe feritas gentilis prioris temporis animaſſet, Æmilia & Liguria veſtra, ſicut vos retinere neceſſe eſt, Burgundionum incurſione quateretur, gereretque bellum de vicinitate furtivum, ſubito præſentia Imperii, tanquam Solis ortus, fama radiavit. Expugnatum ſe Hoſtis ſua præſumptione congemuit*,

dione depulſus, & in Ravennatem Regiam tuendam intentus Witiges, contractiſque ad ſui præſidium omnibus in Flaminiam copiis, quum a Theudeberto Francorum Rege pacem pretio emiſſet, præſidiarias etiam Burgundionum decem millium cohortes ad Liguriæ ferme Gothorum præſidiis nudatæ defenſionem impetraverat. Qua de re ad vindicandam Mediolanenſium defectionem acciti Barbari, everſa primaria Liguriæ Urbe, reliquiſque potiti, unde incolumes præſidiarios Græcos ex pacto dimiſerant; adeo impotenter uſi ſunt victoria, ut ubique crudelitatis veſtigia imprimerentur; iis dumtaxat locis exceptis, quibus Gothi præſidia impoſuerant, ut Ticino & Therdona, in quibus ad horreorum cuſtodiam Gothi aſſiduo (81) evigilabant. Hinc factum arbitror, ut in Barbarorum venirent poteſtatem montana Orientem verſus Liguriæ loca, Comum & Bergomum, quibus Mundilas præſidium Græcorum dederat; & Occidentem verſus Novaria aliaque oppida, quæ dudum annis inſequentibus eorum incendiis prædæ & injuriis conſtat fuiſſe obnoxia. Mirifice in hunc locum facit altera Floriani Abbatis ad Nicetium Trevirenſem Epiſcopum (82) Epiſtola; ex qua colligitur, in Larienſem Inſulam Catholicos Co-

quando Illum cognovit nominatæ gentis eſſe Rectorem; quem ſub militis nomine probaverat eſſe ſingularem. Quoties ſe optavit de ſuis finibus non exire Burgundio, ne Principe noſtro pugnaret adverſo; cujus licet præſentiam relevatus evaſerit, felicitatem tamen præcipitatus incurrit? Nam mox ut Gothi ad belli ſtudium gemina ſe fortitudine contulerunt; ita proſpera concertatione cæſa eſt rebellium manus, quaſi inde nudos, hinc ſtare contigiſſet armatos: divini æquitate judicii, ut in ipſis campis præda corrueret, quos vaſtare præſumpſit. Exſulta, adverſariorum cadaveribus ornata Provincia: acervum vide funerum, quem inimicorum vitio conſtat effectum. Nunc melius culta Liguria, cui negato fructu ſegetis, meſſis provenit hoſtilis. Nam etſi tributa tua minus potuerunt accipi; triumphos in te natos feliciter obtuliſti. His additur Alemannorum nuper fugata ſubreptio, quæ in primis conatibus ſuis ſic probatur oppreſſa, ut ſimul adventum ſuum junxiſſet & exitum, quaſi ſalutaris ferri exſecatione purgata; quatenus & male præſumentium vindicaretur exceſſus, & ſubjectorum non omnino graſſaretur interitus.

(81) Procop. Lib. 2. Cap. 9. 10. 11. 12. 21. citt. (82) Ap. Bouquet Collect. cit. T. 4. p. 67. *Epiſt.* 27. *Illud autem ſuppliciter quæſo, ut Domino Filio veſtro glorioſiſſimo Regi Theudebaldo Inſulam Larienſem, quæ* Chriſtopolis *dicitur, plurimum commendetis* &c.

menſes profugiſſe tanto numero, ut *Chriſtopolis* (83) nomen per hæc tempora uſurparet. Quare Gothorum & Burgundionum fœdus Witigi maxime obfuit. Pulcherrimam namque Provinciam eorum latrocinio & crudelitati expoſuit ac pene dedidit: a qua nonniſi poſt Totilæ interitum ultra annum DLII. avaras & rapaces abſtinuerunt manus. Nequid autem miſerrimæ Liguriæ calamitatibus deeſſet, eodem, quo *Mediolanus effracta eſt*, anno perjurus ipſe Rex Theudebertus (84) nova *centum millium* Francorum ſuorum irruptione quicquid Burgundionum immanitas reliquum fecerat, corradere penitus, ne dicam ſtirpitus evellere, conatus eſt.

Datius Byzantii exul Hæreticorum turbas in Chalcedonenſ. Synodum pro condemnatione *Trium Capitulorum* excitatas ſtudet compeſcere.

XII. Interea Datius Conſtantinopoli exulans, quum Paſtoralem Eccleſiæ ſuæ operam non poſſet impendere; ſtudium omne & curas ad Chalcedonenſis Concilii fidem integram retinendam convertens, pro Occidentalis Eccleſiæ ſententia tuenda acerrimas dimicationes ſuſcipiebat. Non eſt mei inſtituti *Trium*, ut dicitur, *Capitulorum* Schiſmatis originem altius repetere; quæ notior eſt poſt Eminentiſſ. Card. Noriſii (85) Diſſertationem, aliaque recentia eruditorum Virorum Opera, quam ut uberiori perfundi lumine oporteat. Fervebant itaque cum Datio Orientalium continua diſſidia atque concertationes. Cum Africa enim, Græcia, Illyrico, Gallia, atque univerſa Italia diſſentiebat Antiſtes noſter ab Orientalibus, *qui in præiudicium Sancti Concilii Calchedonenſis* (ſunt verba (86) Facundi Hermianenſis Epiſcopi) *per quoſdam ſubripiebant*, *ut Epiſtola Ibæ Edeſſeni Epiſcopi*, *quam ad ſe delatam memorata Syn-*

(83) De *Chriſtopoli* infra Cap. VI. Sect. V. (84) Procop. L. 2. C. 25. Marius Avent. *Chron.* ad ann. 539. Ind. II. ap. Bouquet T. 2. p. 16. citt. *Plusquam ducenta millia* numerat Jordan. *De Regn. Succ.* p. 241. C. (85) Opp. T. 1. col. 553. Ed. Veronæ 1729. (86) In Præf. ad Libros XII. *pro Defenſ. Trium Capitul. Concil. Calched.* ap. Sirm. T. 2. col. 399. Vide ſis eund. in Lib. *contra Mocianum*, paulo poſt init. ap. eund. Sirm. T. 2. cit. col. 826. B.

odus catholicam iudicavit ; ſed & Theodorus Mopſueſtenus, eiuſque doctrina, quæ in eadem Epiſtola Ibæ laudata eſt ; nec non & quædam Theodoreti Cyrri Epiſcopi ſcripta, qui in prædicto Calchedonenſi Concilio Epiſtolam Dogmaticam Papæ Leonis aſſeruit, ſub anathemate damnarentur. Iis ſcilicet Datius non aſſentiebatur, qui hoc tempore ex Juſtiniani Aug. præcepto (87) contendebant, Ibæ & Theodoriti ſcripta, Theodori vero perſonam & errores eſſe damnandos. Ex adverſo Orientalibus optimum pro ineunda Acephalorum cum Catholicis concordia conſilium videbatur, prædictam condemnationis notam iis inurere, a quorum ſcriptis ipſorum aures, atque animi ſummopere abhorrebant. Efferbuere itaque per integrum ferme ſexennium contentioſæ iſtæ Datium inter & Orientales Epiſcopos diſputationes; Illo de integritate Chalcedonenſium Decretorum nihil imminui nitente; iſtis in mortuorum nomen & Opera declamantibus atque furentibus, quorum ſcripta & nomina ab omni labe ac cenſura intacta Chalcedonenſes Patres ſervaverant. Quum nihil proficere Datius poſſet, & Mennam ipſum Regiæ Urbis Epiſcopum, Augg. favore ſuſtentatum, haberet adverſarium maxime infenſum, ſatis duxit communionem cum ipſo (88) dirimere.

(87) De primo Juſtiniani Edicto deperdito, de quo loquitur Facundus Hermian. Op. cit. vide Pag. in not. ad Baron. ad an. 546. n. III. Alterum Aug. Edictum habetur in T. 5. *Concil.* col. 683. quod incipit : *Scientes* &c. Vide & notas Binii ibid. col. 323. Sirmond. in *Synopſi Chron.* ad Libros Facundi Herm. refert hoc Edictum ad ann. 546. (88) Lege ſis Facund. Herm. L. 4. C. 3. col. 525. & 526. ſic loquentem : *Ille* (Vigilius) *cujus dicebatur exſpectari ſententia, profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa Fidem exciderunt, in ipſius facti auctoribus judicaverat arguendas. Denique B. Dacium Mediolanenſium Epiſcopum, quem hinc reverſum in Sicilia ſe vidiſſe perhibuit, & alios Conſacerdotes ſuos, ſed & venerabilis memoria Stephanum Diaconum, quem Romana Eccleſiæ, cui per Dei gratiam præſidet, hic habuit Reſponſalem, & per multos Eccleſiæ filios approbavit, quod ſe pro hac cauſa a venerabilis Menna, hujus regia civitatis Epiſcopi, communione ſuſpenderit, & eos, qui ei communicaverant, ſub debita ſatisfactione ſuſceperit. Quod non faceret, niſi contrarium Synodo Calchedonenſi,*

XIII. Dum hæc verbis bella Conſtantinopoli fervent, ſerio interim in Italia res armis gerebatur. Soluta Romæ obſidione Witiges progreſſo in Picenum & Flaminiam Beliſario ut obſiſteret, Sedem Regni Ravennam, quo ſpectare Græcorum arma, & conatus videbat converti, feſtinato itinere cum reliquis copiis ingreſſus fuerat. Proximis Flaminiæ Urbibus ex tempore munitis, inſtantia pericula ſatagebat avertere, contractis in Urbem ipſam & opportuniora loca Gothicis præſidiis. Icto cum Theudeberto Francorum Rege fœdere, provide immiſſis in Liguriam decem Burgundionum millibus Regi eidem ſubditis, feliciter quidem, ſed crudeliter Mediolanenſium, ut vidimus, defectionem non oppreſſerat ſolum, ſed civium cæde ſæviſſima (89) vindicaverat. Poſtmodum vero adverſa fortuna uſus, adjacentes Flaminiæ, imo & Æmiliæ civitates, & reliqua munitiora Thuſciæ & Piceni oppida, alia ex aliis partim fraude, partim virtute Græcorum occupata quum videret: gravius

Beliſarius Ravennæ obſidionem urget: ea potitus Witigem cum familia captivum, & regias opes ad Juſtinianum abducit.

quod factum eſt, ſicut & alii, judicaret. Non autem ſolos, quos memoravimus, ſanctos & venerabiles Viros hoc ſecum judicaſſe monſtravit; quando non tacuit, quod Romana quoque univerſitas egredientem, quod venientem Africa etiam atque Sardinia, quanquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica Eum conteſtatione pulſaverint; ſicut Hellas & Illyricus provinciæ, per quas venit, ut nullatenus novitati, quæ facta eſt, acquieſcat. Non ergo civilis hæc cauſa credenda eſt, nec talis, quæ pro Eccleſiarum pace ferenda ſit; ſed quæ merito judicetur contra ipſius catholicæ Fidei ſtatum hæreticorum ſurreptione commota, pro qua pars maxima Orbis Chriſtiani, quæ potuit, primum inter primos Chriſtianos Sacerdotem, publica conteſtatione pulſavit. Proſequitur referre, quod inter primos hujus quæſtionis motus Pelagius & Anatolius Romani Diaconi Ferrandum Carthaginienſem Diaconum conſuluerint, quid faciendum videretur; ab eoque reſponſum, retractandam non eſſe Epiſtolam, quam univerſalis Synodus approbaſſet. Item in Libro *contra Mocianum* ſic inducitur Vigilius ad Mennam ſeribens de itinere Conſtantinopolitano (Ibid. col. 836. C.) *Quando Nobis non ſit incognitum, quia Diaconus Stephanus tunc Reſponſalis noſtræ, cui per Dei gratiam præſidemus, Eccleſiæ, cum plurimis Chriſtianis, quandiu vixit, a tua ſe communione ſuſpenderit: & in Sicilienſi inſula conſtituti, fratre & Coepiſcopo noſtro* Datio *referente, didicimus, quid & Ipſe & alii Conſacerdotes noſtri & multi filii Eccleſiæ Chriſtiani, a tua ſe nihilominus communione ſubtraxerint: & dum cauſas exorti quæreremus ſcandali, antedictus frater & Coepiſcopus noſter reſpondit, hoc Fraternitatis tuæ feciſſe perſonam, quod a nullo Deceſſorum tuorum Deceſſorumque noſtrorum temporibus qualibet fuiſſet ratione commiſſum,*

(59) Procop. Lib. 2. Cap. 10. 11. 13. 16. 17. 18. 19. 20. & 21. cit.

Juſtiniano faceſſere negotium meditatus eſt, legatis (90) ad Choſroen Medorum Regem miſſis, qui hunc per litteras rogarent, ut, violato fœdere, Juſtiniano novum bellum in Oriente denunciaret. Feliciter ſane Witigi hoc ceſſiſſet conſilium, niſi Beliſarii in Ravennæ obſidione (91) urgenda celeritas, & fortuna Perſici belli, periculum antevertiſſent. Etenim, intonante in Orientis partibus armorum ſtrepitu, finem Gothico bello impoſiturus Auguſtus, revocate hinc Beliſarium novo in Perſas exercitui præficiendum meditabatur. Quare, miſſis in Italiam legatis, pacem Witigi (92) offerebat hac conditione, ut Græciæ & Italiæ partem, quæ trans Padum erat, in jus Imperii tranſiret; Gothi autem quidquid eis Padum habebant, retinerent. Beliſarius vero, qui non minus Ravennæ poſſeſſionem, quam Gothici Regni excidium ſpe conceperat, oblatis ab Auguſto per legatos conditionibus ſubſcribere conſtanter recuſavit, interceptiſque feliciter ab Urbe obſeſſa com-
* A. DXL. meatibus, intercluſoque undique auxiliis aditu, * tandem cives Gothoſque fortuna hoſtium perculſos ad deditionem compulit: Urbemque, Gothis (93) acclamantibus, & feminis ex adverſo frementibus, pacifice ingreſſus Witigen ocyus in cuſtodiam ſuam tradidit. Conjecto in vincula Witige, regnum obtulere (94) Beliſario Gothi; ſed ille fidei Juſtiniano datæ memor eorum vota diu diſtulit, & demum eluſit, ac ſplendide repudiavit. Etenim obſequuturus Auguſto (a quo ipſe Dux, in Italico bello præclarus, Perſico, ut diximus, viriliter proſequendo præfectus fuerat) maritimo itinere captivum cum Regia Familia Witigem (95) ſecum abduxit. Conſtantinopolim pergens Gothorum Regem cum Ravennatis Palatii præda Imperatori obtulit anno Sæculi VI. quadrageſimo: quo etiam

(90) Lib. 2. Cap. 22. (91) Lib. 2. Cap. 28. (92) Lib. 2. Cap. 29. init. (93) Lib. 2. C. 29. ſub fin. (94) Ib. p. 300. col. 1. init. & Cap. 30. ſub fin. (95) Id. L. 3. C. 1.

Digitized by Google

Alexander Logotheta Beliſario in Italia ſufficitur. Sub hujus tyrannide Greci labuntur, Gothi reviviſcunt, qui Ildibado & Erarico Regibus interfectis Totilam ſubſtituunt. Egregia Totilæ Regni initia.

ad exercitum contra Choſroen deſtinatum contendit. Interim ſubſtituto in Italia Alexandro Logotheta, cognomento *Forſicula*, & Provinciam ſibi concreditam exactionibus vexante, ſenſim Græcorum res in deteriorem labi ſtatum cœpere; atque ex adverſo erigi Gothorum. Diſcedente enim Beliſario, unanimi horum conſenſu (vivo adhuc Witige, qui biennio vel triennio poſt deceſſit) Verona evocatus, Ticinenſi demum in Urbe regni habenas ſuſcipiens Ildibadus recreare aliquantiſper afflictum Gothicæ nationis ſtatum videbatur. Sed quum vix coaleſcere, Illo fovente, res cœpiſſent; importuna morte * inter epulas ab offenſo cive ſublatus Regnum Erarico (96) a Rugis, Gothica gente, electo reliquerat. Cujus clandeſtina cum Juſtiniano conſilia timentes, ſuſpectamque habentes fidem, repente ipſum de medio tollere intra ejuſdem anni ſpatium auſi ſunt Gothi. Huic Juvenem manu promptum & ingenio militari, ex Ildibadi fratre filium, Totilam, *Baduillam* (97) etiam nuncupatum, ſuffecere. Is opportune Italorum in Logothetæ avaritiam odio uſus, & Ducum (98) diſſenſionibus, qui præter Ravennam fortiora tenebant loca; primum futuris proluſit victoriis, ad Padum (99) cum Græcis viriliter feliciterque congreſſus. Illis fuſis ac diſſipatis, veluti belli fulmen, Italiam in Campaniam uſque pervadens, Neapolim (100) diuturna obſidione afflictam demum (101) vi cepit. Eoque ordine, quo Beliſarius Italiæ poſſeſſionem inierat, meditatus Græcos detrudere; atque erectus (102) S. Benedicti vaticinio decem adhuc ſibi regni annos deſpondentis; ad Romanæ (103) urbis obſidionem aſpirabat.

* An. DXLI.

(96) Id. Lib. 3. Cap. 2. (97) Marius Aventic. in *Chron.* ad ann. 547. Ind. X. Ap. Jordan. *De Regnor. Succeſſ.* ſub fin. legitur *Badiula*. *Hiſt. Miſcella* Lib. 16. p. 107. habet *Badvillam*, *Lib. Pontif.* in Vita Vigilii *Badwillam*. (98) Procop. L. 3. C. 3. (99) Lib. 3. Cap. 4. (100) L. 3. C. 6. (101) L. 3. C. 7. (102) S. Greg. *Dial.* L. 2. C. 14. & 15., *Hiſt. Miſcella* loc. cit. (103) Procop. L. 3. Cap. 9., *Hiſt. Miſcella* loc. cit.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

Vigilius Papa ab Juſtiniano Aug. in controverſiam *Trium Capitulor.* Conſtantinopolim evocatus, primo in Siciliam navigat: unde Datio comite ad Regiam Urbem proficiſcitur.

Hic erat Italiæ ſtatus eo tempore, quo Orientalis Eccleſiæ arma in Occidentalem pro *Tribus* Chalcedonenſis Concilii *Capitulis* expungendis convertebantur. Ad quam pugnam dirimendam, repetitis Juſtiniani mandatis, Vigilius Romanus Pontifex (1) Conſtantinopolim ante annum DXLV. evocabatur. Hic rite ſedebat in Petri Cathedra tunc temporis, etſi vitio in eam, vivente adhuc Silverio, ex Theodoræ Auguſtæ præcepto intruſus. Nam, Deceſſore inedia atque animi angore confecto in Inſula Palmaria, & deinde extincto, Romanus Clerus, diſſentire non auſus Auguſtæ, electionem Vigilii ratam habuerat & ſuffragio comprobaverat. Quare Çatalogo Pontificum legitime adſcriptum legimus. Hunc Præſulem ſui ſtudioſum habebant Theodora & Juſtinianus Augg., utpote utrique adepti Pontificatus beneficio obſtrictum. Diuturna interim aſſidue fervebat *Trium Capitulorum* controverſia, quæ ab Orientalibus Epiſcopis Juſtiniano favente adverſus Datium propugnabatur. Quum itaque invicti hujus Chalcedonenſis Concilii defenſoris aut conſtantiam flectere, aut auctoritatem eludere non poſſent; id conſilii cepit Imperator, ut Romani Pontificis calculo lis tota dirimeretur. Sed in Petri Cathedra tum ſedens legitime Vigilius non eo erat animo, quo Byzantii Apocriſiarius Romanæ Sedis verſabatur; aut quum Romanum Pontificatum Silverio vivente ambiret. Non ignorabat, Decretis in Chalcedonenſi Concilio ſancitis *nihil addendum aut minuendum*

(1) Vide Murator. *Annal. d'Ital.* ad ann. 545. It. Pagium in Not. ad Baron. ad ann. 546. n. V. ex Procop. L. 3. C. 16.

Digitized by Google

nuendum ex definitione (2) S. Leonis Prædeceſſoris ſui, metuebatque Occidentalium ferme omnium ſententiæ mordicus eam retinentium refragari. Quare ut impotentis Auguſti præſertim iram effugeret, frequentibus de itinere Conſtantinopolim ſuſcipiendo miſſis nuntiis, impedimenta & moras nectebar in ancipiti ſemper hærens veſtigio, nequid a ſe indecorum aut Augg. potentia, aut Orientalium fraus extorqueret. Tandem ut Roma excederet, Gothorum ejus Urbis obſidionem molientium importuna celeritas compulit. Capta Neapoli Totilas militarem conatum omnem ad Romæ poſſeſſionem ocyus contulit. Antevertit impendens periculum Vigilius * in Siciliam navigans: ubi diutius (3) honeſto conſilio commeatus ad Romanorum famis præſidium transvehendi verſatus; ab Antiſtite noſtro Datio, qui propere illuc (4) Byzantio navigaverat, probe de Orientalium rerum ſtatu edoctus atque in propoſito confirmatus; tandem * Conſtantinopolim verſus maritimo itinere advenit. Erat in Vigilii comitatu ipſe Datius ex Sicilia Conſtantinopolim redux, Romanique Diaconi (5) quos ſecum Roma adduxerat, Ruſticus & Sebaſtianus & pauci alii Latini Epiſcopi. Perhonorifice ab Auguſtis, & populo acclamante, exceptus, brevi poſt tempore, Theodoræ Auguſtæ conviciis ſtrenue diſſimulatis, acerrima cum Juſtiniano tolerare diſſidia cœpit, ut Edictum de *Tribus Capitulis* ab Ipſo promulgatum refigeret. Longum eſſet enumerare, quas uſque ad quinquennium in utramque partem anceps Vigilius, nunc fautor, nunc hoſtis Orientalium, ſententias aperuit, quæ fuſe apud *Synodi V.ª* Hiſtoricos (6) habentur.

* An. circiter DXLV.

* An. DLXVI.

(2) *Epiſt.* 145. & 149. Opp. T. 1. col. 1301. & 1311. Ed. Venet. 1753. & alibi ſæpe.
(3) Procop. L. 3. C. 15. (4) Facund. Herm. loc. cit. (5) Vide ſententiam Excommunicationis in eos latam a Vigilio, in *Concil.* T. V. col. 550. Vide Pagium in Notis ad Baron. ad an. 548. n. III. & V. & ad ann. 550. n. IV. (6) Vide *Differt.* Petri de Marca in *Concil.* T. V. col. 601. & ſeqq., Card. Noris; de Rubeis, & a.

Digitized by Google

Summi Pontificis conſtantia adverſus *Trium Capit.* hoſtes, duce potiſſimum ac præſente Datio. Injuriæ ac contumeliæ utrique illatæ ex Vigilii ipſius teſtimonio deſcribuntur.

II. Tandem, quum diu anceps hæſiſſet, Datii præſertim ſequutus conſilia, & auctoritate utiliter uſus, ad Pontificiam conſtantiam & animum rediit. Neque enim dubitavit in Datii ipſius præſentia Theodorum Cæſarienſem Pontificali dignitate ſpoliare, ſacroque miniſterio interdicere; imo Mennæ ipſi Conſtantinopolitano Epiſcopo interminari, fore, ut Se ab ejus communione ſejungeret, niſi ea *Capitula* defenderet ac retineret; nihil veritus offenſionem iramque Auguſti, cujus Edicto publice adverſari etiam non formidavit. Præſtat hoc loco Vigilii ipſius verba ac ſententiam referre, qui ſemper coram noſtro Datio ſe Occidentalis Eccleſiæ patrocinium contra Orientales ſuſcipere non ambigue teſtificatur. In Damnatione enim Theodori Epiſcopi (7) ſic ait: *Ideoque ex perſona & auctoritate beati Petri Apoſtoli .... cum Dacio Mediolanenſi, Joanne Marſicano, Zacchæo Scyllaceno* &c. *fratribus & Coepiſcopis noſtris hac Theodorum, Cæſareæ Cappadociæ Civitatis quondam Epiſcopum, ſententiæ promulgatione, tam Sacerdotali honore & communione Catholica, quam omni officio ſpoliatum eſſe decernimus* &c. Quod autem ad Mennam ſpectat, iiſdem præſentibus Epiſcopis in eadem Damnatione ſic eum alloquitur: *Teque Mennam Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum, qui non diſſimili culpa conſtringeris, cum omnibus metropolitanis & micropolitanis Epiſcopis ad tuam Diœceſim pertinentibus, ſed & tuos Orientales, vel diverſarum Provinciarum majorum minorumque Civitatum Epiſcopos, qui his exceſſibus, pro quibus Theodorum Cæſareæ Cappadociæ quondam Epiſcopum condemnavimus, præbuiſtis aſſenſum, humaniore ſententia, pro Dei conſideratione, tamdiu a ſacra communione ſuſpendimus, donec unuſquiſque veſtrum errorem ſuæ prævaricationis agnoſcens, culpam apud Nos propriam competenti ſatisfactione diluerit.*

(7) *Concil.*. T. V. col. 336. D. E.

Digitized by Google

Neque ſolum præſentia & conſilio Datius Vigilii auctoritatem corroboravit; ſed ſocius etiam & particeps doloris & calamitatum fuit, quæ eam Damnationem ſummo Vigilii periculo ſunt conſequutæ. Nemo enim ignorat, quot adverſis fuerit conflictatus infeliciſſimus Pontifex, in quorum communionem ſemper venit noſter Antiſtes. Legi ſane abſque dolore & Datii commendatione non poteſt *Encyclica* ipſius Vigilii, in qua fuſe narrantur injuriæ ac contumeliæ illis illatæ; crudeliter quidem, ſed vere. Exponit (8) nimirum, quomodo, quum Auguſto menſe, in Baſilicam S. Petri in Hormiſda fugiſſet, & ibi cum comitibus ſuis verſaretur, *Prætoris comitatus cum multitudine armatorum militum tanquam ad bellum inſtructa acie venerit*; ibique, Suis ſtupentibus, indigniſſime habitus, *a ſancto eius altari pedibus tractus fuerit, ut ipſa altaris menſa in Eum ceciderit, niſi Clericorum* ſuorum *fuiſſet manibus ſuſtentata*. Mox (9) ſacramento ſecuritatis accepto, neque aliquid in poſterum laturos ſe rati, Auguſti fide interpoſita, ad *Placidianas* Vigilius cum Datio & Suis regreſſus fuit. Ibi quum *multa intolerabilia mala ſæpius paterentur*, ſeque undique cuſtodiis obſeptos cernentes, graviora adhuc formidarent; tandem (10) *ante biduum Natalis Domini*.* (anni DLI.) Vigilius cum Datio Byzantium deſerere, & Chalcedone aſylum ſibi quærere conſtituit. Noctu enim *diſcrimina* omnia *deſpicientes per parvam muri maceriem ſub gravi deſperatione, & maximi pavoris ægritudine, audientes etiam cuſtodiarum clamores*, fuga dilapſi ſunt Chalcedonem verſus, ſeque in S. Euphemiæ Templum recepere. Ad Templum illud ſcilicet confugerant, in quo Chalcedononſis Synodus (11) habita

* An. DLI.

(8) *Epiſt.* XV. in *Concil.* T. V. cit. col. 330. C. Vide fuſius in cit. *Epiſt. Cleri Italiæ* ibid. col. 409. A. B. (9) Ibid. col. 330. E. & col. 409. C. (10) Ibid. col. 331. initio. (11) Vide *Concil. Chalcedon.* Act. I., in *Concil.* T. IV. col. 78. B.

eſt, atque ad eam ipſam (12) Aram, in qua *Fidei definitionem* (13) collocaverant Chalcedonenſes PP., teſte (14) Anatolio ipſo. Quinque

* An. DLII.

Viris tandem (15) *V. Kal. Febr.* * anni DLII. ad Vigilium expeditis Imperator, inter quos (16) III. Exconſules & Patricii, Exconſul alter & Curapalatii, poſtremus Quæſtor, rogavit, ut *ad Civitatem Regiam remearent*. Poſtque geminas alias Petri Referendarii legationes (17) *prid. Kal.*, & (18) *prid. Non. Februarii*, qui tamen re infecta redierunt, iis tandem Vigilius reſpondit, a ſe miſſum iri Datium, aut alios Imperatoriæ fidei obſides & legatos, *ut* (19) *per eos de eccleſiaſtica cauſa, quæcunque mandaverit, innoteſcerent*.

Item ex univerſi Italiæ Cleri Epiſtola; quæ ipſorum Italorum pro Datii reditu conatus ac ſtudia abunde teſtatur: exinde etiam Datiani exilii annus ſtatuitur. Gallorum Epiſcoporum cura pro Datio tam indigne habito.

III. Tot turbarum & vexationum fama in Italiam permanante, univerſus Italiæ Clerus commotus Datii periculis, totius Provinciæ veluti humeris Eum ad Sedem ſuam reportare conabatur. Maxime omnium intereſt, Epiſtolam, quam idem Italiæ Clerus (hoc anno DLII. ut Sirmondus (20) ibidem animadvertit) Childeberti legatis Byzantium profecturis (21) obtulit, referre ea in parte, quæ Datium ſpectat; ut conſtet, quot calamitatibus noſter Antiſtes obnoxius eo tempore fuerit, malorumque ſeriem, quæ paſſus eſt, ſuis coloribus depingamus. Ibidem enim ſic legitur (22) *Sed & Sanctus Dacius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit, dicens: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Eccleſia mea conſtituta eſt, ideſt Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, conteſtor*,

---

(12) Vide *Epiſt. Anatolii ad S. Leon.* inter hujus Opp. *Epiſt.* 101. T. 1. col. 1128. in fine Edit. cit. & *Epiſt.* 98. col. 1094. (13) *Concil. Chalced.* cit. Act. VI. col. 579. & ſeqq. (14) In *Epiſt. Anatol.* loc. cit. (15) Sic emendant Sirmond. & Pag., & hos ſecutus novus *Concil.* Editor., non vero *Kal. Febr.* ut in Edit. Labb. (16) *Epiſt. Encycl.* cit. init. col. 328. (17) Ibid. col. 330. B. (18) Ibid. col. 333. C. (19) Ibid. ſub fin. (20) Vide ſup. pag. 282. nota (81). (21) *Concil.* T. V. cit. col. 407. (22) Ibid. col. 408. E.

quia quicunque in Edicta iſta conſenſerit, ſupraſcriptarum Provinciarum Pontifices communicatores habere non poterit; quia conſtat apud me, Edicta iſta Sanctam Synodum Chalcedonenſem & Fidem Catholicam perturbare. De qua re accenſa eſt contra beatiſſimum Papam, & contra Dacium Epiſcopum iracundia principalis; & tanta contra eos agere cœperunt, ut, niſi ad Sanctorum Baſilicas confugiſſent, ad interitum vitæ * *pervenerant*. Inferius (23) autem: *Poſtea tamen* * ſic *ſacramenta accepit beatiſſimus Papa & ſanctus Dacius Epiſcopus, vel omnes, qui cum ipſis ad loca ſancta confugerant, quia eis nemo ultra violentiam faceret, nec invitis de eccleſiaſtica cauſa aliquid extorqueret, & ſic interim* (e Baſilica S. Petri in Hormiſda ad Placidianas) *ſunt egreſſi. Sed & hodie tam ipſis, quam diverſis, qui in obſequio eorum ſunt, varias inquietudines & moleſtias generant, præmiis clericos & ſervos eorum immittentes, ut in facie ipſorum ſtantes iniurias eis publice faciant, & de manſionibus aliquos in obſequio eorum poſitos iactant. Sed illi omnia cum Dei auxilio patienter accipiunt, dummodo nullis præiudiciis ſanctæ Eccleſiæ, nullis novitatibus præbere videantur aſſenſum. Miſſi ſunt etiam aliqui in provincias Italiæ, ut, ſi poſſent, mentiendo aliqua de nomine ipſorum, hoc eſt beatiſſimi Papæ, & ſancti Epiſcopi Dacii, odia eis in illis partibus faciant, & in locum eorum alios Epiſcopos, qui novitatibus conſentiant, ſuadeant ordinari*. In fine autem Epiſtolæ (24) ſic monent: *Hæc ergo Prudentia veſtra . . . . ad Provinciam dignetur ſcribere admonendo, ut Epiſcopi illarum partium beatiſſimo Papæ, & ſancto Dacio Epiſcopo Epiſtolas dirigant, conteſtantes, ne novitates aliquas recipere patiantur, & ut animos eorum fraterna conſolatione confirment. Sed & in Civitate Regia, quod po-*

(23) Ibid. col. 409. C. (24) Ibid. col. 410. A.

Digitized by Google

teſtis in ipſa cauſa, maxime ſancto Epiſcopo Dacio adeſſe cum Dei auxilio feſtinate: poſtulantes, ut Eum poſt 15. aut 16. annos ad ſuam Eccleſiam redire concedat: quia, cum pene omnes Epiſcopi, quos ordinare ſolet, ſicut bene ſcitis, mortui ſint, immenſa populi multitudo ſine baptiſmo moritur. Petite etiam, ut eundem ſanctum Dacium vobis videre liceat, & ab ſe quærere, quæ cauſa ſit, quod tam longo tempore ad Eccleſiam ſuam minime ſit reverſus. Hic igitur alte infixus Clero Italiæ hærebat dolor, quod integer jam XV.^us aut XVI.^us evolveretur Datii ab Italia abſentiæ annus. Nam quum valide probet Sirmondus, datam eſſe illam Epiſtolam anno, uti diximus, DLII., noſtra confirmatur ſententia de Datii exilio, quod ſub Theodahado (25) ſtatuimus anno DXXXVI. Etenim legati, qui hanc commendatitiam Epiſtolam acceperant, Byzantium quum perveniſſent, mortuum jam Datium reperere, ut ex inferius dicendis apparebit. Neque minor erat in Galliæ Epiſcopis cura, & doloris ſenſus propter Datium tam indigne apud Regiam Urbem habitum, ut in Floriani Abbatis ad Nicetium Epiſtola (26) jam ſupra obſervavimus.

Datius Chalcedone ſanctiſſime moritur. Injuſtæ in Eum calumniæ refutantur. Totilas totam Italiam vaſtat. Tejas Rex a Gothis eligitur. Totilas interficitur. Orientalis Imperii & Gothici Regni vices.

IV. Irrito tamen conatu pro vita Datii protrahenda Clerus Italiæ apud Francorum legatos & Juſtinianum Aug., ac Florianus Nicetiuſque apud Deum laboravere. Nam brevi poſt tempore deceſſit glorioſus noſter Antiſtes; incertum quidem quo die, ſed anno certe DLII., & nuper elapſis Nonis menſis Februarii, ut contra *Catalogi* noſtri (27) auctoritatem probavit (28) Pagius, ante Totilæ interitum, qui hujuſmet anni Junio menſe fortiter

(25) Vide ſup. pag. 282. 287. 297. 311. (26) Sup. pag. 277. (27) In *Catal.* noſtro ſic: *Datius ſedit ann. XXII.* (in *Catal.* Murat. T. IV. cit., *ann.* XXIV.) *Depoſ. XVIIII. Kal Febr. ad S. Vict.* (hic fortaſſe mendum vel pro *XIX. Febr.*, vel pro *XIX. Kal. Martii*). Vide infra p. 328. initio. (28) Vide ſup. pag. 311.

cum Narſetis exercitu pugnans occubuit. Chalcedone autem extinctum Datium arbitror, quum ibi eſſet in comitatu Vigilii Pontificis, ut ex hujus reſponſo dato Juſtiniani Referendario pridie Non. Febr. (29) conſtat. Imo jam tum ægritudine aliqua ibi fuiſſe detentum, ſuſpicor ex ipſis Vigilii jam relatis (30) verbis, quibus ſpondebat Juſtiniano, ſe aut Datium, aut alios nuntios hujus loco miſſurum. Quum autem in *Encyclica* ſua Chalcedone data ex S. Euphemiæ Baſilica Nonis Febr. anni DLII. teſtetur (31) Vigilius, *nihil aliud* in cauſa *eſſe*, *præter ſcandalum*, cur *amplius* ibidem ſubſiſteret; hinc pronum eſt credere, nunquam adduci potuiſſe, ut Conſtantinopolim regrederetur, niſi hoc *amputato ſcandalo* in Eccleſia exorto propter Cæſareum Edictum (32) De *Tribus* damnandis *Capitulis*, & Theodori Cæſarienſis (33) depoſitionem, & niſi poſt Sibi oblatos ab Epiſcopis pœnitentiæ libellos (34) *Theophaniorum die*, aut ſaltem (35) poſt illos Mennæ & Theodori, plurimque aliorum Epiſcoporum: quos, quamvis de tempore ſatis non conſtet, Chalcedone tamen & in ipſo S. Euphemiæ templo (36) recepiſſe, certo ſcimus. Quum vero Mennas uſque ad diem XXV. menſis Auguſti anni DLII. (37) vitam protraxerit, & Datius certe ante Junium ejuſdem anni deceſſerit; hinc credibilius videtur, Datium Chalcedone obiiſſe. Recte igitur deſignat vetuſtiſſimus noſter *Catalogus* (38) XXII. Illius Pontificatus annos; qui revera ab anno DXXX., quo inauguratus eſt, uſque ad jam inchoatum annum DLII. vere effluxerunt. Quod

(29) *Epiſt. Encycl.* cit. in *Concil.* T. V. col. 333. C. (30) Vide pag. 324. (31) Sub fin. *Epiſt.* cit. col. 334. It. initio col. 329. (32) Vide, quæ diximus ſup. p. 316. nota (87). (33) Data eſt XIX. Kal. Sept. an. 551. Vide *Concil.* T. V. col. 334. (34) *Conſtitut. Vigilii Papæ*, *De Tribus Capit.* ibid. col. 338. ſub fin. (35) Ibid. (36) Ibid. col. 337. E. (37) Vide *Art de verifier les Dates* p. 258. Ed. Pariſ. 1770. (38) V. ſup. p. 326. nota (27).

Digitized by Google

vero Sancti hujus Antiſtitis depoſitio ibi deſignetur ad diem XIV. Januarii, quo etiam Ejus feſtum recolitur; id probat, aut aliquid mendi irrepſiſſe, aut celebrari fortaſſe in Ambroſiana Eccleſia Translationem illius a Chalcedonenſi Urbe Mediolanum, non autem diem, quo vita eſt functus; quum certe adhuc ex dictis (39) viveret pridie Nonas Februarii ejuſdem anni. Coluntur ſacræ Illius exuviæ in *Portiana*, ſive ad Sanctum Victorem, ſæpius recognitæ & venerationis cauſa decerptæ. Quum ſexennium ferme præſens Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſet, deinde *cauſa fidei exactus* Suis prodeſſe non poſſet; ad univerſæ Eccleſiæ utilitatem curas omnes intendit. Scilicet infracto animo quoad vixit, integritatem Chalcedonenſis Concilii ſartam tectamque conſervare ſtuduit. Adverſus injurias & contumelias invictus adeo fuit, ut Ipſo vivente multa præclare atque conſtanter egiſſe Vigilius ipſe crederetur, Datio autem extincto aliquantulum de priore conſtantia remiſiſſe: quum novis ſubortis rationibus poſt Synodum ad concordiam Eccleſiæ fovendam nonnihil de diſciplina (40) Chalcedonenſis Concilii, licet nihil de Dogmate, immutaverit. Certe Occidentalibus omnibus magnum dolorem & diuturnas calamitates Datii mors attulit; quemadmodum noſtræ etiam Eccleſiæ diuturnum illius exilium certe obfuit. Flevit univerſus Occidens tanti Paſtoris interitum, qui *propiore* (41) *Martyribus titulo in exilii locis vitam exhalavit*, inter Orientalium concertationes & contumelias ſemper ſibi conſtans: eamque jacturam maxime idem Occidens ſenſit poſt Synodum V.am, quæ tot in ejus regiones mala invexit. Fama Illius quidem plurimum apud Hiſtoricos laboravit, Procopium

(39) Sup. pag. 311. & 326. (40) Vide Petri de Marca *Differt.* cit. in Concil. T. V. cit. col. 602. & ſeqq. (41) S. Ambr. loc. infra cit. pag. ſeq.

copium (42) præſertim, unde ceteri Scriptores hauſere, & (43) Victorem Tunnunenſem, illum Græcæ, hunc Punicæ fidei Scriptorem. Quorum alterum ſuperius (44) refellere contendimus, hunc non vacat, quum ſuo ipſe ſe mendacio damnet, atque configat, aſſerens contra rei veritatem manifeſtiſſimam, Datium *Tria Capitula* damnaſſe triennio poſtquam vita exceſſerat. Ceterum hæ calumniæ nihil poſſunt de tanti Antiſtitis ſanctitate decerpere, cui cæleſtes honores univerſa decrevit Antiquitas. Et cenſeo, divinitus factum, quemadmodum de Sancto Dionyſio prædeceſſore ſcripſit (45) Ambroſius, *id ſuis votis Datium exegiſſe, ut in exilio vitam poneret, ne regreſſus confuſa inſtitutis & uſu Infidelium* (Gothorum) *ſtudia plebis aut Cleri inveniret*: imo ne fœdata undique omnia, everſam propemodum patriam, diſperſas paſſim aut errantes oves, invectam Alemannorum ſuperſtitionem, Burgundionum rapaces manus, Gothorum rabiem, incenſa mapalia, & Totilæ furentis ſtrages ac minas, exhorreſceret. Revera, quo anno mortuus eſt Datius, mutata in deterius univerſæ Italiæ facies videbatur. Capta novennio ante (46) Neapoli, impune per Campaniam graſſabantur Gothi: deinde tertio poſt captam Neapolim anno arctiſſima obſidione preſſam Romam (47) ad deditionem Totilas compulerat, quum fruſtra (48) opem ferre ſtuderet Beliſarius jam in Ita-

Tt

(42) *De Bello Goth.* L. 2. C. 7. ſæpe cit. Vide ſup. pagg. 282. 288. & 289. 296. & ſeqq. (43) Hic in *Chronico* ad ann. XIV. P. C. *Baſilii*, hoc eſt anno 555. (ap. Henr. Caniſ. *Theſaur. Monum. Eccleſ. & Hiſtor.* &c. T. 1. p. 333 initio) ſic ait: *Dacius Mediolanenſis Epiſcopus Conſtantinopolim venit, & damnationi eorundem Trium Capitulorum conſentiens eo die percuſſus occubuit*. Jam triennio ante, ideſt certe ante Junium anni 552. (Vide ſup. p. 311. & 326.) Datius occubuerat. Hinc quæ fides huic Afro habenda? (44) Sup. pagg. 282. 296. citt. 310. & ſeqq. (45) *Ep.* 63. n. 70. Opp. T. 2. col. 1039. Ed. Pariſ. 1699. cit. (46) Procop. L. 3. C. 6. & 7. citt. (47) Id. L. 3. cit. C. 20. (48) Id. ibid. Cap. 19.

Digitized by Google

liam ex Perſide (49) revocatus. Recepta (50) a Beliſario Roma, ab ipſo ſubitariis aggeribus munita, & Totila repulſo, hic (51) biennio poſt iterum Romam obſidet, eaque potitur. Qui tandem everſis ubique captarum urbium munitionibus, & metu ipſius Beliſarii liber tota Heſperia vagatus fuerat. Denique poſt Datii mortem appulſo in Italiam Narſete cum pecunia, noviſque copiis, Totila (52) interfecto, Francis (53) Venetiæ montana tuentibus, & Teja, qui jam ante Totilæ obitum Rex fuerat creatus, Veronam (54) tenente cum Gothis, lux aliqua Græcis affulgere viſa eſt.

Montana Liguriæ & ipſius Venetiæ loca in Francorum poteſtatem redacta vexantur. Larienſis Inſula, ſeu *Chriſtopolis* graviſſime conflictatur. Vitalis in Datii locum eligitur. A Macedonio Aquilej., nondum, vel verius nunquam Schiſmatico, rite Ravennæ conſecratur. Ab inuſta Schiſmatis nota expurgatur.

V. Quoniam vero Francorum per Venetiam incurſionis per ea tempora ex Procopio mentio incidit, juvat prævia quædam in proxima nobis Liguriæ parte damna ex Abbate Floriano ediſcere, quæ Comenſem regionem graviſſime affecerant. Commotus ille patriæ communis, ſcilicet Liguriæ, calamitatibus (patriam quippe ſortitus eſt, uti jam ſupra (55) innuimus, Urbem Ticinenſem) Nicetio Trevirenſi Epiſcopo, utpote apud Theodebaldum tunc Francorum Regem gratioſo, data ad eum efficaci (56) epiſtola commendat *Larienſem* (poſtea *Comacinam* Langobardorum tempore appellatam, ut ex Paulo Diacono (57) liquet) *Inſulam*, quæ & *Chriſtopolis* tum dicebatur, ſic ſcribens: *Illud autem ſuppliciter quæſo, ut Domino filio veſtro score glorioſiſſimo Regi Theodebaldo* Inſulam Larienſem, *quæ* Chriſtopolis *dicitur*, *plurimum commendetis*, *ut Romanis ſervis eius ſacramenta*, *quæ data ſunt*, *omnimodis conſerventur*. Ex hoc novo *Chriſtopolis* nomine eidem Inſulæ indito (58) ſuſpicor,

(49) Id. *De Bello Perſico* L. 2. C. 21. ſub fin., item *De Bello Gothico* L. 3. C. 9. ſub fin. (50) Id. L. 3. C. 24. (51) Id. L. 3. C. 36. Murator. ad an. 549. (52) Lib. 4. C. 32. (53) Lib. 4. Cap. 33. (54) L. 4. C. 26. & 33. cit. (55) Pag. 276. (56) *Epiſt.* 27. ap. Bouquet in Collect. cit. T. IV. p. 67. citt. (57) L. 3. C. 26. L. 4. C. 3. L. 5. C. 38. & 39. L. 6. C. 19. & 21. (58) De *Chriſtopoli* vide infra Lib. III. Cap. IV. *Digreſſ. De Comenſi Eccleſia* Sect. II. & III.

Chriſticolas omnes, qui in planitie & Urbe Comenſi eo tempore degebant, ut tutiorem ſe in locum reciperent, illuc confugiſſe, ut efferatam Alemannorum e proximo per Alpes Rhæticas minitantium iram & barbariem, atque ethnicam ſuperſtitionem effugerent. Florianus in hac ſententia confirmat, cum laude auditum tum primum ejus Inſulæ nomen; cujus aucta ſubinde fama (ut ex Inſcriptione ſuo loco (59) referenda videbimus) in ea Comenſes etiam Epiſcopi perfugium nacti fuerunt. Mirifice demum huic conjecturæ conſonant Pelagii I. (60) ad Narſetem Epiſtolæ ſcribentis, *Francos cuncta vaſtaſſe*, quo tempore de Datii Succeſſore eligendo agebatur. His obiter prælibatis, ut ad inſtitutum redeamus; diuturnæ Datii abſentiæ ejuſque morti remedium promptiſſimum videbatur Mediolanenſi Clero nova in demortui locum Antiſtitis electio. Quare cunctorum votis in Vitalem, notæ probitatis presbyterum, conſpirantibus, datæ ad Narſetem, qui tum recens Ravennam cum copiis advenerat, Mediolanenſium litteræ fuere pro Electi facienda Conſecratione. Morem antiquitus jam ſupra vidimus obtinuiſſe, ut (61) per Aquilejenſem Epiſcopum Electi Mediolanenſis fieret inauguratio. Narſes itaque probe ſciens, quantum Italiæ Epiſcopi ab Orientalibus in cauſa *Trium Capitulorum* diſſiderent, ne Auguſtum offenderet tum Synodi V. cogendæ cauſa laborantem, rem integram ad Imperatorem retulit: & reſponſo accepto, ex Juſtiniani mandato juſſit Aquilejenſem conſecraturum, & Electnm Mediolanenſem Ravennam venire, ibique omnia rite perfici. Rem plane docent jam laudatæ (62) Pelagii I. ad Narſetem

(59) Lib. III. Cap. IV. Sect. VIII. *Digreſſ.* cit. (60) *Concil.* T. V. col. 792. D. Vide quæ mox infra recitabimus. Eadem plane verba habentur Lege, in Fragmento ab Holſterio edito Pelagii *Epiſt. Valeſiono Patricio*, ibid. col. 808. B. (61) Lege, quæ infra recitabimus pag. 341. nota (105). Vide & ſup. pag. 163. (62) *Concil.* T. V. col. 792. D. It. iiſd. omnino verbis in Fragm. Holſten. Pelagii *Epiſt. Valeriono Patricio*, ibid. col. 808. B. citt.

Litteræ ſic ſcribentis: *Recolere enim debet Celſitudo veſtra, quid per Vos Deus fecerit tempore illo, quo, Iſtriam & Venetias Tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum* (Vitalem ſcilicet) *fieri permiſiſtis, niſi ad clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis, &, quid fieri debuiſſet, eius iterum ſcriptis recognoviſſetis; & inter ubique ferventes hoſtes, Ravennam tamen, & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat* (ideſt Macedonius tum Aquilejæ Epiſcopus) *providentia Culminis veſtri deducti ſuut*. Hæc igitur Narſes ſtatuit Aprili menſe, aut ad ſummum ineunte Majo. Quantum enim temporis exinde fluxit uſque ad Totilæ mortem Junio menſe anni DLII. conſequutam, totum terendum erat in exercitus apparatu inſtruendo, augendo, & in Etruriam promovendo, uſque dum (63) ad *Buſta Gallorum* ultimo prælio decerneretur. Hæc certe geſta ſunt ante Synodum V.am, inchoatam (64) IV. Nonas Maji anni DLIII. Nondum igitur Schiſmatis claſſicum cani potuerat, quod nonniſi perfecta Synodo, & *Tribus* damnatis *Capitulis*, & poſt Vigilii ſubſcriptionem oriri debuit. Neque Macedonius Aquilejenſis Epiſcopus, qui Vitali manus imponere debuit, aut unquam (65) Schiſmati faverat, aut adhuc ab unitate Romanæ Eccleſiæ deſciſcere potuerat; quum huic defectioni originem dediſſet Synodi illius approbatio a Vigilio Papa facta aut menſe Decembri (66) ejuſdem anni DLIII., aut verius VII. Kal. Martii (67) ſubſequentis. Hæc tamen obiter dicta ad tuendam Vitalis famam, quem nonnulli (68) Schiſmati faviſſe licentius ſcripſerunt; imo ex verbis jam relatæ Epiſtolæ dubita-

(63) Procop. Lib. 4. Cap. 29. Murat. ad ann. 552. (64) *Concil.* T. 5. cit. col. 416. (65) Vide infra p. 338. & ſeqq. (66) Vide ſubſcript. Decreti ibid. col. 602. B. (67) Vide infra p. 335. & nota (79) ibid. (68) Ughell. *Ital. Sacra*. De Rubeis Op. infra cit. p. 343.

Digitized by Google

vere, an Vitalis ipſe manus Paulino Aquilejenſi, a Summo Pontifice Pelagio I. exſecrato, impoſuerit; eaque de cauſa cum Paulino Ravennam a Narſete fuerit evocatus: quod quidem re ipſa abſurdum probabit inferius dicendorum ſeries.

Gothico Regno per Tejæ obitum penitus a Narſete everſo, fervent in Oriente diſſidia pro *Trium Capitul.* damnatione. Juſtiniani Aug. juſſu *Quinta Synodus* cogitur; cui Vigilius intereſſe recuſat.
* An. DLIII.

VI. Vitalis adminiſtrationis initia Italicæ tranquillitati auſpicatiſſima affulſere. Narſetis enim armis profligato Gothorum exercitu, atque ipſo Totila ex vulnere, quod in prælio acceperat, paulo poſt (69) extincto, Gothicum Regnum vergere ad interitum videbatur: quod revera * anno inſequente Tejæ Succeſſoris obitus (70) plane & funditus evertit. Cis Padum ſcilicet compulſis Gothorum reliquiis, & multis ad ſtipendia Græcorum ultro venientibus, identidem receptis in deditionem munitioribus oppidis, urbibuſque, quæ ab hoſtium præſidio tenebantur, Narſes Campaniam Romanamque ditionem cum Etruria, Flaminia, & Æmilia furore hoſtium liberaverat, & Gothicam ditionem ac nomen omnino trans Padum deleverat. Una ſupererat eximenda hoſtium captivitate (71) Liguria cum Venetia, quibus ferociſſimi Gothi crudelius inſidebant: utque divelli nullo pacto ab illis poſſent, iniquiſſimam cum Francis atque Alemannis coiverant ſocietatem. Inter has vices evolvebatur ſecundus ab inita Sede Vitalis annus, quum Is graviore bello urgeri vicinas urbes videret ob *Trium Capitulorum* in Urbe Regia damnationem, quorum defenſio tot periculis ac laboribus deceſſori ſuo Datio ſteterat. Poſt hujus mortem oblatis Libellis pœnitentiæ a Menna aliiſque Epiſcopis, & data ab Juſtiniano ſecuritatis fide; reverſus Chalcedone Conſtantinopolim Vigilius fuerat; atque cum Auguſto convenerat, ut

(69) Procop. L. 4. C. 32. cit. (70) Procop. L. 4. C. 35. & ult. (71) Vide *Excerpta ex Agathiæ Hiſtoriæ* Libro I. & II. & Murat. ad ann. 553. p. 437. & ſeqq.

Digitized by Google

ea de re in Synodo ex parí Patrum Occidentalium & Orientalium numero congregata decerneretur. Hac igitur cogitatione V.ª imperata eſt Synodus, Vigilio ac Juſtiniano annuentibus. Quumque de loco ad eam habendam deſignando ageretur, atque Ille in Italia cogi mallet, Hic in Oriente congregandam præoptaret; *tandem*, ait (72) Petrus de Marca, *inter eos convenit ante diem Paſchæ* (anni DLIII.) *ut exæquato Latinæ Linguæ Epiſcoporum numero iis Pontificibus Græcis, qui tunc Conſtantinopoli præſentes aderant, de* Tribus Capitulis *tractaretur, quemadmodum teſtatur Vigilius in* Conſtituto. *Sed moræ impatiens Princeps Synodum coegit adverſus pacta conventa; litteriſque ſuis datis ad Patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Vicarios Hieroſolymitani Patriarchæ, & ceteros Epiſcopos Orientales, qui erant in Urbe, ad controverſiam de* Tribus Capitulis *aggrediendam hortatur. In quibus litteris* Judicati *olim a Vigilio editi mentionem iniecit, ut de Pontificis ſententia nullus videretur ambigendi locus; diſſimulata tamen illius* Judicati *reſciſſione & ceteris conditionibus cum Vigilio depactis. Convenit ergo*, proſequitur idem Auctor, *Synodus IV.° Nonas Maii, & illuſtri legatione Eutychii Conſtantinopolitani, atque aliorum Patriarcharum, atque ſexdecim Metropolitanorum, Vigilium convenit, ab Eo poſtulans, ut cauſam* Trium Capitulorum *cum ceteris Epiſcopis diſceptare vellet; quemadmodum ſuis litteris Eutychio* pollicitus *erat*. Sed rogatus, ut Concilio intereſſet, primum *valetudinem cauſatus; deinde in alteram diem reſponſum differens*; tandem ſe nolle, artificioſis verbis reſpondit, pollicitus, *ſe manifeſtare, quid ſibi de tali conventu placeret*. Id autem eó dixerat, quó indicaret,

(72) *De Vigilii Decreto pro confirmat. V. Syn. Diſſert.* n. IX. & X. in *Concil.* Tom. V. col. 605. B.

ſe illum Canonicæ Synodi loco non habere. Rogatus iterum a legatis Synodi *abſciſſe reſpondit*, *ſe cum illis convenire non poſſe*. Tum timens Auguſtus, ne fraudes ſuæ ac doli manifeſte paterent, quum datam Vigilio fidem de exæquando Patrum Orientalium, atque Occidentalium numero fefelliſſet; ira furere, æſtuare animo, ac demum id conſilii præceps inire, atque imperare, ut in exilium Pontifex cum Suis deportaretur. Locum exilii ſubobſcure indicat (73) *Pontificalis Liber*, ſcilicet *Proconiſum*, Propontidis Aſiaticæ Inſulam, licet exulaſſe Vigilium Evagrius (74) diſſimulet. Quidquid ſit, haud diuturna ibi fuit Pontificis mora. Nam, quo tempore habita eſt Octava Synodi Collatio, IV.° Nonas Junias, abfuiſſe Vigilium Byzantio putat etiam (75) Petrus de Marca; ſed certe ibi jam adfuiſſe affirmat *ante* (76) *ſextum Idus Decembris eiuſdem anni* (DLIII.) quando *Decretalem Epiſtolam dedit ad Eutychium*, *qua Tria Capitula condemnat*. Verum, quum de hac *Epiſtola* dubia ſit apud Eruditos (77) fides; tutius (78) cum Baronio, Pagio, & Muratorio ad * ſequentem annum Vigilii reditus eſt referendus. Quo certe anno, ad VII. Kal. Martii, ſincerum magis ac genuinum habemus, a Baluzio (79) editum, *Conſtitutum Vigilii pro damnatione Trium Capitulorum*, quo Synodum V.am confirmavit. Re quippe melius conſiderata, ad tollenda Eccleſiæ ſcandala, nihil refragante Africa, cujus Archiepiſcopus Primoſus Carthagi-

Vigilius Auguſto imperante in exilium detruditur. Paulo poſt, *Quinta Synodo* ab ſe confirmata, & *Tribus Capitulis* condemnatis, ab exilio revocatur. Hinc origo *Schiſmatis Aquilejenſis*.

* An. DLIV.

(73) In *Vita Vigilii* T. I. p. 221. Ed. cit. (74) *Eccleſ. Hiſt.* L. 4. C. 38. (75) *Diſſert.* cit. in *Concil.* T. V. col. 609. n. XIV. (76) De Marca ibidem. Hanc *Epiſt.*, quæ habetur in *Concil.* T. V. cit. col. 595. & ſeqq., eruit De Marca ex veteri Cod. MS. Bibl. Regiæ (col. 599. D.). (77) Pag. in Not. ad Baron. an. 554. n. III. (78) Baron. ad hunc ann. n. I. Pag. in Not. n. II. auctoritate fretus Continuatoris *Marcellini*. Murat. ad ann. 555. p. 445. (79) Ap. Pag. ibid. n. IV. Evulgavit Baluz. ex veteri Cod. MS. Bibl. Colbert. in nova ſua *Collect. Concil.* pag. 1551.

nienſis per Sextilianum legatum (80) jam Octavæ Collationi ipſius Synodi ſubſcripſerat, anathemate (81) confixit *Theodorum Mopſueſtenum* cum ejus ſcriptis; *Ibæ* quoque *Epiſtolam*, quæ dicebatur ad Marim miſſam, & *Theodoreti ſcripta* adverſus XII. Cyrilli Alexandrini Capita, condemnavit. Reputaverat ſcilicet animo, re optime perpenſa, Pontifex, hanc damnationem ad diſciplinæ regulas dumtaxat pertinere, non autem ad Chalcedonenſis Concilii infirmanda dogmata de Fide conſtituta. Neque ignorabat, ſuffragium Leonis ad illud approbandum verſatum eſſe unice (82) *in cauſa Fidei*, atque ad hanc Fidei defenſionem neceſſariam eſſe eorum *Capitulorum* confixionem, quæ pluribus offendiculum præbebant. Placet audire ipſum Vigilium (83) mutatæ ſententiæ rationes in Decretali ſua aperientem: *Sed quoniam Chriſtus Deus noſter, qui eſt Lux vera, quem tenebræ non comprehendunt, omni confuſione a mentibus noſtris remota, univerſum Orbem & Eccleſiam ad pacem vocavit ita, ut, quæ a nobis definiri debeat, revelante Domino, & veritate inveſtigata, ſalubriter impleta ſint*. Fatendum eſt tamen, pacem quidem invectam in plurimas Chriſtiani Orbis provincias, ſed non omnes. Dolemus enim, tum *Schiſmatis*, quod deinde *Aquileienſe* dictum eſt, jacta primum ſemina, unde tot mala fluxere. Quum enim percrebuiſſet per Iſtriam, Venetiam, atque Liguriam rumor, Vigilium *Tribus Capitulis* damnandis aſſenſum fuiſſe, pudenda defectione harum Provinciarum Epiſcopi, qui Vigilio, quum

(80) *Concil.* T. V. cit. col. 580. E. Vide & *Collat.* V. col. 479. lin. ult. & notas Binii col. 738. D. (81) *Conſtitut.* cit. ap. Pag. loc. cit. Hujus condemnationis formula concepta eſt iiſdem pene verbis, ac in laudata *Decretali Epiſtola ad Eutych.*, in *Concil.* T. V. cit. col. 594. D. (82) *Epiſt.* 119. Cap. 5. col. 1217. Edit. cit. & al. paſſim. (83) *Concil.* Tom. V. cit. col. 598. A.

Digitized by Google

quum diſſentiret Juſtiniano, aſſentiebant; poſtquam Is cum Auguſto ſenſit, ab eodem Romano Pontifice diſſenſere, cum quo tam diſſentire, quam ſentire ſemper erat Catholico glorioſum.

Vigilius Romam revertens Syracuſis in itinere moritur. Pelagius I. Schiſmaticorum hoſtis ſufficitur. Vitalis obitus. Schiſmaticus Epiſcop. Mediol. Sedem uſurpat. Utrum Macedonius, an Paulinus Aquilejenſe Schiſma inchoaverit. Hic quando, & a quo fuerit conſecratus.

VII. Sed antequam de hujus Schiſmatis eruptione & maturitate inſtituendus ſit ſermo, expedienda prius ſunt nonnulla, quæ mortem Vigilii præceſſere ac conſequuta ſunt; & de Italiæ ſtatu; atque Epiſcoporum a *Synodo* V.[a] diffidentium electione; & de eorum nominibus, qui Ambroſianam Sedem tenuere, atque in Schiſmatis partem venere, ut certa dicendis lux afferatur. Vigilius, itaque ope Narſetis (84) Clericorum Romanorum preces Auguſto admoventis, una cum ipſis Clericis *per diverſa loca in exilium deportatis*, juſſione Principis ab exilio redux in ejus conſpectum adductus eſt; hac tamen conditione, ut antea (85) *Synodo* V.[a] ſubſcriberet. Quum vero Is pacis concordiæque ſtudioſiſſimus, nihil imminuta fide Chalcedonenſis Concilii, *Tria Capitula* condemnaſſet, nihilominus infenſum habuit Juſtinianum, ac ſi eadem defendiſſet. Si enim fidem *Pontificali Libro* habemus, Romanis Clericis, quos ſecum Pontifex habebat, novo & ad illud uſque tempus inaudito exemplo dixit: *Si* (86) *vultis recipere Vigilium, ut ſit Papa veſter, gratias agimus: ſin autem, hic habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea erit vobiſcum. Reſponderunt omnes gratias agentes: Imperet Deus pietati Tuæ, ut reſtituas modo nobis Vigilium: & quando eum voluerit Deus tranſire de hoc ſæculo, tunc cum Veſtra præceptione donabitur nobis Pelagius Archidiaconus noſter.* Paratus igitur erat Auguſtus Romanum Pontificem exauctorare,

(84) *Lib. Pontif.* in Ejus *Vita* T. 1. pag. 221. Ed. cit. (85) Murator. ad an. 555.
(86) *Lib. Pontif.* ibid. V. Murat. ad hunc ann. p. 445. & 446.

ſi Clerus conſenſiſſet. Poſtquam autem magna ex parte anni DLIV. Byzantii tædio & animi angore contabuiſſet, inde circa menſem Auguſtum reverſus, Syracuſas appulit, ubi * VII. Id. Junias (87) ſubſequentis anni DLV. calculi dolore correptus tandem vita exceſſit. Sedem vacuam die XII. Sept. (88) implevit Pelagius hujus nominis I.us, qui antea Romanus Diaconus Totilæ Romam captam ingredientis furorem emollierat; & poſtea Romanæ Sedis Apocriſiarius, præſente illic Vigilio, ſocius ac particeps huic illatarum ab Juſtiniano injuriarum Byzantii fuerat. At quo magis Romanæ Eccleſiæ gratulandum, quod propter Vigilii obitum ſucceſſorem habuerit Pelagium, acerrimum Schiſmatis oppugnatorem; eo magis dolendæ ſunt Mediolanenſis Eccleſiæ noſtræ vices. Hæc enim, quum Vitalem Antiſtitem inito tantum Pontificatus ſui quadriennio ſub exitum hujus anni amiſiſſet, in cognominis Martyris Baſilica tumulatum, ut *Catalogus* noſter (89) teſtatur, Pſeudoepiſcopum Schiſmaticum (90) ſortita fuit, qui XI. circiter annorum ſpatio hanc Liguriæ Metropolim veneno ſuo labeſactavit. Pelagius ergo, vix cum Petri Sedem aſcendit, viſus eſt juſta iracundia in Schiſmaticos Aquilejenſes inflammari, iiſque denuntiare bellum, qui unitatem Catholicæ Eccleſiæ lacerabant. Porro hujus Schiſmatis occaſione duplex, neque inepta, exorta eſt inter Eruditos quæſtio; I.° utrum Aquilejæ Macedonius (91) an Paulinus hoc Schiſma inchoaverit. II.° quoto hujus Sæculi anno Paulinus Aquilejenſem Cathedram occupaverit; ac proinde quis ejus fuerit (92) conſecrator. Equidem intime doleo, nullam mihi æque a Scripto-

* An. DLV.

(87) Vide Animadverſ. in Pagium ad ann. 555. n. VII. nota (1). (88) Ibid. (89) Sic ibid. nec non & in al. ap. Murator. locis citt. *Vitalis ſedit ann. IIII. Depoſ. ad S. Vitalem.* (90) Vide Papebr. *Exeg.* cit. n. 40. Sax. in *Tab. Chronol. Archiep. Mediol.* T. 1., & in *Vitalis Vita* ibid. pag. 177. (91) V. ſup. pag. 332. (92) V. ſup. p. 333. init.

Digitized by Google

ribus Aquilejenſibus atque ex veteri Hiſtoria tanquam Ariadnæ filum ſuppeditari, quo certum initium, imo nec finis de Paulini Schiſmatici Pontificali Sede ſtatuatur. Vetuſtiora enim Epiſcoporum *Chronica* univerſa Sæculum IX.[um] attingunt; atque unus Paulus Diaconus, qui exeunte VIII. ſcripſit, nihil de hoc certi exhibet. Is ſcilicet (93) ipſa Indictione III.[a], qua Alboin III.° Non. Sept. anni DLXIX. Liguriam eſt ingreſſus, Paulini etiam obitum deſignat, poſtquam XII. annos Aquilejenſem rexiſſet Eccleſiam. Immemor certe tum erat eorum, quæ jam ſupra (94) narraverat, ubi ſcripſerat, ſub Benedicto Papa Paulinum fugiſſe in Gradum inſulam, eóque theſaurum Aquilejenſis Eccleſiæ aſportaſſe. Quæ, Superi, temporum inverſio, ut, qui Ioanne III. ſedente obiit circa annum (95) DLXIX., fugerit in Gradum (*) ſub Benedicto, qui Petri Cathedram conſcendit anno DLXXIV.! Sed utinam lux aliqua affulgeret ſaltem ex anno, quo deceſſor Paulini Macedonius vita exceſſit. Verum quum ancipites ſint Aquilejenſium Scriptorum ſententiæ, quorum alii (96) XXVI. alii (97) XVI. dumtaxat Sedis annos huic attribuunt; in eoſdem recidimus ſcopulos, e quibus non ſit promptum evadere. Chronica item aliquot anteſignanum Schiſma-

---

(93) Lib. 2. Cap. 25. (94) L. 2. cit. C. 10. Vide ibid. not. (76) & infra Lib. III. Cap. I. Sect. I. (95) Vide De Rubeis Op. *Monum. Eccl. Aquil.* Edit. Argentinæ 1740., in *Ind. Chron.* Append. col. 60. (*) Murat. hanc fugam refert ad ann. 568. Alboino ex Pannonia in Italiam adveniente. (96) In *Chron. Patriarchar. Aquilejenſ.* ap. De Rubeis Op. cit. in *Append.* pag. 7. col. 2. (97) Dandulus in *Chron.* cit. ap. eundem De Rubeis C. 23. p. 201. ſic: *Hic Macedonius Epiſcopus dum ſediſſet annis XVI. menſ. V. diebus V. durante Schiſmate defunctus eſt .... Paulus Epiſcopus Aquilejæ factus eſt anno Domini noſtri DLVII.* Satis ſibi non conſtat Dandulus, quum jam dixiſſet (ſup. Cap. XXI. p. 189. col. 1.) Macedonium *ſubrogatum eſſe* anno Domini DXXXIX. Ergo poſt annos XVI., quos ipſemet numerat, obiiſſet anno circiter DLV., quo anno, ut probabilius eſt, aut ſerius ſubſequente ſucceſſiſſet Paulinus. Ipſe autem de Rubeis in *Ind. Chronol.* Append. col. 60. figit Macedonii initium ad ann. 539., finem vero ad ann. 557.

tis (98) intento veluti digito ipſum deſignant, alia prorſus hoc crimine abſolvunt. Nonne inter tot ambages hæreamus in vado potius neceſſe eſt, quam alterutri ex partibus faventes inimicitias ſuſcipere?

Paulinus Schiſmatis Aquilej. auctor. Mediolanenſem haud rite conſecrat. Paulini Sedis initii certior epoches exinde ſtatuitur. Mediolanenſis Epiſcop. dux Schiſmatis in Liguria: Aquilej. conciliabulo intereſt. Pelagii querelæ. Narſes ab Schiſmaticis ſua communione prohibetur.

VIII. Tutior igitur videtur ineundæ pacis via, tutius externo abſtinere bello, & Pelagii *Epiſtolas* æqua lance expendere, ac ratione duce ex *Catalogo* noſtro Mediolanenſium Epiſcoporum ſeriem potius, quam Aquilejenſium, ad trutinam revocare. Quibus geminis firmiſſimis graviſſimiſque monumentis innixi duplici etiam propoſitæ ſuperius (*) quæſtioni ſatisfaciemus. Quoad I.um, quum Pelagius in ſuis *Epiſtolis* earumque *fragmentis* ab Holſtenio editis, & in Labbeana Conciliorum Collectione exſtantibus, aperte de *Paulini* defectione loquatur, ſed nulla ibi ne obſcura quidem de *Macedoniano* Schiſmate injecta ſit mentio; juſta admodum dubitatione commoveor, utrum hic Aquilejenſe, poſt Quintam abſolutam Synodum, Schiſma inchoaverit, an potius earum partium Schiſmatis auctor & dux fuerit Paulinus, ut opinatus eſt etiam (99) Muratorius. Quoad alteram; quid ſi eædem Pontificiæ Epiſtolæ ſedulo examinatæ cogerent me nunc primum ab inveterata jamdudum ac vigente apud Scriptores omnes opinione recedere? Quæritur enim hodienum, quis Paulinum conſecraverit; quum ex adverſo de Mediolanenſi a Paulino conſecrato foret inquirendum: ex quo etiam ad Paulini *Sedis initium* propemodum deveniamus. Porro video in Pelagii *Epiſtolis* earumque *fragmentis* agitari de gemina Mediolanenſis Antiſtitis Conſecratione ab Aquilejenſi facta. Prima fuit *Vitalis*, qui Datio ſucceſſit, & certe ante menſem Junium anni DLII., adhuc ſcilicet vivente Totila, fuit ex Juſtiniani Aug. decreto Ravennæ a *Ma-*

(98) Dandul. in *Chron.* apud De Rub. Op. cit. Cap. XXI. col. 100. & ipſe de Rub. in *Ind. Chron.* Append. col. 60. citt. (*) Sup. pag. 339. ſub fin. (99) Ad ann. 556. & 570.

cedonio (100) conſecratus. Altera deinde poſt *Vitalis* obitum, qui quadriennio circiter in hac Sede tranſacto ex hac vita deceſſit exeunte anno (101) DLV. Hæc utique ea eſt, de qua nova hodie agitur quæſtio: utrum nempe Mediolanenſis Paulinum conſecraverit; an potius Paulinus Mediolanenſem, ut nos ex Pelagii Epiſtolis contendimus. Cur enim revocare in mentem Narſetis (102) debuiſſet Pelagius, quid in prima Vitalis Conſecratione factum fuerat, niſi de nova Mediolanenſis Conſecratione id ipſum faciendum fuiſſe cenſuiſſet? In alia item Epiſtola (103) dolet cum Narſete Pelagius, ſecundam hanc Mediolanenſis Conſecrationem diverſimode a prima fuiſſe peractam & minus caute proceſſiſſe, utpote in Aquilejæ Urbe, in qua Schiſmatis prima inſonuerat tuba; quum *inſenſati* (104) *& perverſi homines ſuam diviſionem, Catholicam eſſe crederent Eccleſiam*. Hoc tempore Aquilejenſis Eccleſiæ regimen ſuſceperat, vel arripuerat Paulinus, qui Schiſmaticorum anteſignanus defectionis Aquilejenſis ſignum extulerat. Interim *Ille Mediolanenſis* a Pelagio innominatus, neſcio quomodo electus, quum vitio in Ambroſii Cathedram optaret irrumpere, neque rite electionem ſuam probare poſſet, aut probare reformidaret; Aquilejam ad Paulinum profectus eſt; ab eoque inaugurationem ſuſcepit, vel eblanditus fuit. Hinc eſt, quod Pelagius juſtiſſima accenſus ira in Conſecrationem Mediolanenſis conqueritur, quod (105) *ipſarum conſuetudinem partium*

(100) Relege, quæ ſup. recitavimus pag. 332. *Recolere* &c. (101) Vide ſup. pag. 338. Nota (89). (102) *Epiſt.* ſup. recit. pag. 332. (103) *Epiſt.* V. in *Concil.* T. 5. cit. col. 794. B. It. iiſdem omnino verbis in Holſten. Fragm. *Epiſt. Valeriano Patricio*, ibid. col. 807. B. *Iſtud eſt, quod a vobis* &c. (104) Pelag. *Epiſt.* IV. ad Narſetem, ibid. col. 793. C. (105) Vide in Fragm. Holſten. *Epiſt.* Pelag. *Joan. Patricio Coburtario*, ubi col. 805. D. ſic legitur: *Videamus tamen, utrum vel ipſorum conſuetudinem partium in ſua Ordinatione conſervaverint. Nempe is mos antiquus fuit, ut, quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari, ipſi ſe invicem Mediolanenſis & Aqui-*

non ſervaverint. Neque igitur inſtituta eſt inquiſitio de electione rite peracta, neque Mediolani facta inauguratio; quorum utrumque ex veteri conſuetudine erat præſtandum. Cedo Epiſtolam ipſam: *Iſtud eſt, quod a vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquileienſem Pſeudoepiſcopum & Illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis*. Paulinum *Pſeudoepiſcopum* vocat, utpote jam Aquilejæ ſedentem, ſed Schiſmati addictum; Mediolanenſem vero, *Epiſcopum*, mitiore vocabulo appellat, utpote talem fortaſſe adhuc ac legitimum vulgi exiſtimatione habitum ob ejus conſecrationem a Paulino factam. Clarius id ipſum evincitur ſequentibus verbis: *Ut & Iſte, qui Epiſcopus eſſe nullatenus poteſt, quia contra omnem canonicam conſuetudinem factus eſt, alios ultra non perdat*; & Ille, *qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit, canonum vindictæ ſubiaceat*. Quem porro deſignat pronomen *iſte*, qui *contra omnem conſuetudinem factus eſt*, niſi Mediolanenſem, qui tum *contra morem antiquum* ordinatus fuerat a Paulino? Nam vox *iſte* ex conſueta loquendi formula ad ultimo loco nominatum refertur; vox autem *ille* non ad *Illum Mediolanenſem* ſpectat, uti facile omnes hallucinati ſunt, ſed *Paulinum* nobis indicat primo loco appellatum. Adde cauſam, quam Pelagius allegat contra utrumque, ſcilicet; *ne ordinatus* (Mediolanenſis) *alios perderet*; nam vitio conſecratus alios conſecrare non poteſt, ut decebat Metropolitam; & ut Aquilejenſis conſecrans, *qui ordinare præſumpſerat*, juſtæ Ca-

---

lejenſis ordinare Epiſcopi debuiſſent: ita tamen, ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuiſſet, ut & ordinandi electio a præſenti Ordinatore, ex conſenſu univerſalis, cui præficiendus erat, Eccleſiæ, melius ac facilius potuiſſet agnoſci, & in ſua, qui ad Epiſcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori ſuo ſubdendus fuerat, ordinaretur Eccleſia. V. ſup. p. 169. & 331.

Digitized by Google

nonum vindictæ ſubiaceat. Corroborat hanc aſſertionem Fragmentum illud (106) Holſtenianum, ſcilicet *pudenda rapina in diviſione non conſecratum fuiſſe, ſed. exſecratum Epiſcopum: ab Eccleſiæ viſceribus diviſum, & ab Apoſtolicis Sedibus ſeparatum exſecrare ipſum potius & non conſecrare*. Rogo enim, quis Mediolanenſis foret *in diviſione* cum Eccleſia Romana? non Vitalis (ut credunt (107) Ughellus & (108) De Rubeis) qui mortuus jam erat, nullumque nobis Schiſmatis veſtigium reliquit: non Anxanus: neque, juxta (109) Danduli ſententiam, Honoratus; quorum utrique cæleſtes honores tribuuntur. Cui ergo magis, quam *Paulino* conveniunt recitata Pelagii verba, qui eundem jam *Pſeudoepiſcopum* appellaverat? Quærebatur poſtremo loco, quo tempore Paulinus Aquilejenſem Cathedram aſcenderit. Porro, quum hic Mediolanenſem Epiſcopum conſecrare ſeu *exſecrare* debuerit haud diu poſt mortem *Vitalis*, ut in *Catalogo* noſtro ſibi recte conſtet (110) ſubſequentium Epiſcoporum chronologia; hinc ſequitur, nec uſque ad annum DLVII., ut definivit (111) de Rubeis, retardandum eſſe, nec aute Vitalis obitum, etiam juxta calculos ex Dandulo (112) initos, præfeſtinandum Paulini Sedis initium. Quis demum huic Pſeudoepiſcopo manus impoſuerit, aliorum eſto judicium: Mediolanenſis minime ſane; nullus enim erat, Vitali defuncto, Mediolani conſecrator. Reliquum igitur eſt, ut adverſariis Romani Pontificis favens ab Schiſmatico aliquo Epiſcopo conſecraretur. Quum ſacrilegæ hujus Conſecrationis, ſive exſecrationis beneficio Paulinus

(106) *Concil.* T. V. col. 805. (107) *Ital. Sacra* T. 4. col. 57. V. ſup. p. 332. ſub fin. (108) Cap. XXIV. col. 214. (109) *Chron.* Cap. X. P. XV. in *R. It. Scr.* T. 12. col. 90. It. *Hiſt. Quintæ Syn.*, in *Concil.* T. V. col. 416. A. Vide not. 77. ad P. D. Lib. 2. Cap. 10. (110) Vide infra Sect. X. & ubi de Laurentii, & Conſtantii Epiſcopor. annis. (111) Op. cit. C. 23. col. 201. It. in *Ind. Chronol.*, Append. col. 60. (112) Conſule not. (97) p. 339.

Digitized by Google

* An. DLVI. ſibi *Illum Mediolanenſem* obſtrinxiſſet, videtur hic * (113) Aquilejenſi etiam non Concilio, ſed *Latrocinio* interfuiſſe: in quo iniquiſſime ſtatutum fuit, ut repudiaretur V.ª Synodus; quique huic aſſentirentur, veluti Catholicæ Religionis hoſtes haberentur, atque veræ Fidei inimici. De hac porro injuria Sedi Romanæ illata conquerebatur Pelagius apud Narſetem (114) iis verbis: *Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare: ſed quoties aliqua de univerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut ſponte ii, qui ſalutem animæ deſiderant, ad Apoſtolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant: aut, ſi forte . . . . . ita obſtinati & contumaces exſtiterint, ut doceri non velint; eos ab eiſdem Apoſtolicis Sedibus aut attrahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe eſt, aut (ne aliorum perditio eſſe poſſint) ſecundum Canones per ſæculares comprimi poteſtates*. Tum primum Liguriam noſtram (115) afflavit Schiſmatis lues, & conjuncto cum Venetis & Iſtriis perverſo fœdere impune volitabant perduelles, & *de ſua*, ut Pelagius dolet, *ruſticitate gloriabantur*. Quid plura? eò erupere, audaciæne dicam, an dementiæ? ut Narſetem ipſum Italicæ ac Græcæ Militiæ Imperatorem, religioſiſſimum ceterá Virum atque optime de Romana ac Catho-

(113) Vide ap. De Rubeis Op. cit. Cap. 24. n. 3. col. 220. (114) *Concil.* T. V. cit. col. 794. B. Item iiſdem omnino verbis in *Epiſt.* ad *Valerian. Patric.* ibid. col. 807. C. (115) Id evincitur ex ipſis Pelagii verbis *Epiſt.* 3. *ad Narſ.* col. 792. E. *De Liguribus atque Veneticis & Iſtriis Epiſcopis quid dicam? quos idonea eſt Excellentia veſtra & ratione & poteſtate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apoſtolicarum Sedium de ſua ruſticitate gloriari: cum, ſiquid eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam Indictionem actum eſt, forte movebat, ad Sedem Apoſtolicam (quomodo factum eſt) electis aliquibus de Suis, qui dare & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt; & non clauſis oculis Corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt Sanctam Eccleſiam lacerare.*

Catholica Fide ſentientem communione ſua privarent, tanquam diris devotum; ac ſi, quum Romano eſſet Pontifici addictus, a vera ſe Eccleſia ſejunxiſſet. Irriſit quidem Pelagius tantam Aquilejenſium temeritatem, neque admiratus eſt, profanum Virum ab Eccleſiæ ſinu exturbatum, quum *ſui* Ipſius quoque *nominis memoriam* ab. inſanis Thuſciæ Schiſmaticis *inter ſacra myſteria* extra conſuetudinem *reticeri* (116) ſciret. Unde eum *Epiſtola* IV. conſolatus eſt hiſce verbis: *Relegentes litteras Excellentiæ veſtræ, de injuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præſumptio ingeſſit, valde doluimus. Sed quia ſcimus, occulto Dei iudicio animam veſtram, etſi per aliorum iniquitatem & ſuperbiam, a contaminatione ſchiſmatis cuſtoditam; egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari conſuevit. Nec enim ſine Illius providentia factum eſſe credendum eſt, ut inſenſati & perverſi homines ad hoc uſque proſilirent, ut, ſuam diviſionem Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, a ſua vos pollutione prohiberent. Sic enim per miſericordiam Dei, etiam neſcientibus illis, hoc factum eſt, ut a Schiſmaticorum factione eruti, Catholicæ, quam diligitis, ſervari vos contigiſſet Eccleſiæ.*

IX. Hinc impoſitas religioni ſuæ & dignitati injurias has ſtrenue & prudenter diſſimulavit Narſes; quanquam crebros ſibi Pontifex Romanus ad juſtiſſimam vindictam ſtimulos admoveret. Etenim Dux ſapiens non ignorabat, e re Auguſti eſſe, prius Francici & Gothici belli reliquias perſequi, quæ conſici nonniſi multorum ſpatio annorum vix poſſent; quam novam pro privato aliquorum de Religione diſſidio adoriri pugnam. Præſertim quum in illo

Narſes, diſſimulatis interim injuriis, Francici & Gothici belli reliquias perſequitur. Hoc tempore ortum eſt primum Aquilejæ *Patriarcharum* nomen. Narſes Mediolanum reficit. Schiſmatico Epiſc. in exilium abducto, legitimum Ambroſianæ Sedi præficiendum curat.

(116) *Epiſt.* VI. ad *Epiſcopos Thuſciæ*, in *Concil.* T. V. cit. col. 794. lin. ult.

Italiæ angulo tum contumaci, in Venetia ſcilicet & Hiſtria, Gothorum vires laterent, & ſuppoſitus cineri perſeveraret ignis, qui deinceps in apertum erupit incendium poſt Pelagii obitum, ut ex
* An. DLXIII. Theophane * ad annum DLXIII. probat eruditiſſimus Muratorius (*). Hinc, puto, in illa Schiſmatis tranquillitate exortum tum Aquilejæ primùm (117) & auditum *Patriarchæ* nomen, quod retroactis ſæculis in Occidente (118) uno Romano Pontifici attributum, ut Sirmondus (119) probavit. Quanquam Cl. De Rubeis in ſua Hiſtoria (120) remis veliſque contendit, ut ab Africo & Hiſpanico mari conetur hoc nomen in Italiam advehere. Triumphabant itaque per hæc tempora, ſcilicet Pelagio I. vivente, tam *Pſeudoepiſcopus Paulinus*, quam *Ill. Mediolanenſis*, omni metu liberi, atque incredibili utriuſque Eccleſiæ damno *de ſua*, uti jam diximus, *ruſticitate glorîantes*; donec Narſes, compoſitis Italiæ rebus, Mediolani vulneribus medicam, ut reor, manum admovit, & noſtræ Civitatis dedecus penitus abſterſit. Nulla porro per hæc tempora erat Civitas Mediolanenſis. Ab anno DXXXIX., uti jam ſupe-

(*) En militares ac civiles curæ, quibus Pſeudoſynodi Aquilejenſis tempore Narſes erat implicitus; quarum cauſa Pelagii iterata geminis Epiſtolis vota non exaudivit, ut Regni temporibus ſerviret; ſivitque Eccleſiæ Ædificium in Unitate conſiſtens labefactari, ut labefactatas pluribus bellis urbes ædificaret. Accedebat altera diſſimulandi cauſa, turbatæ ſcilicet identidem, poſt Bucellini & Lentharis compreſſas anno 554. (Murat. ad hunc annum) eorum interitu populationes, Italiæ tranquillitas. Teſte enim Cl. Muratorio (in *Annal.* ad ann. 555. & 563.) ad hunc ann. 563. & 566. referenda videntur Hamingi certamina ad Atheſim, & Sindevalis defectio, de quibus mentionem injecit Paulus Diac. L. 2. C. 2. & 3., & Menander Protector relatus a Du-Cheſnio *Script. Rer. Franc.* Tom. 1.; præſertim quum *Liber Pontif.* ea bella referat luculentis verbis ad Joannis III. Papæ tempora, ut in ejus *Vita* legimus. Quare profligandæ adhuc erant bellorum Gothici & Francici reliquiæ hinc inde ſubnaſcentes. Atque in varias partes diſtracta Narſetis virtus præpediebatur, quominus Schiſmaticorum, & pacem Eccleſiæ exſpectantium clamores inter armorum ſtrepitum audiret. (117) Vide Cl. Jo. Rinaldi Com. de Carolis *Diſſ.* 2. T. 15. p. 252. & *Antich. d'Ital.* P. 3. I. 2. C. 14. pag. 106. De orig. *Primatus* huj. Eccl. vide ſup. huj. Op. p. 32. & ſeqq. (118) V. Murat. ad ann. 532. p. 361. & an. 570. p. 482. (119) *De Eccleſiis Suburbicariis, Propemptici* L. 1. C. 10. Opp. T. 4. p. 229. Ed. Pariſ. 1696. (120) Op. cit. C. 21. n. 4. col. 194.

Digitized by Google

rius (121) deſcripſimus, jugulatis ſuper aras Sacerdotibus, trucidatis viris, feminiſque ac pueris in Burgundiam abductis, omnia ſqualebant vaſtæ inſtar ſolitudinis, Datio per annos complures Conſtantinopoli ſemper agente. Poſt cujus obitum Vitali ſuffecto, per inſequens quadriennium nullam comperio exſtitiſſe Civitatis ſpeciem; neque Cleri, aut Civitatis Ordines, aut incolarum in unam ſocietatem coitionem, legibus aut inſtitutis temperatam. Quare vetera quum exoleviſſent inſtituta, neque unquam in formam aliquam eſſet Civitas redacta, eó ventum eſt audaciæ, ut *Ill. Mediolanenſis contra omnem conſuetudinem* Aquilejæ a Paulino inaugurarerur, nulloque de Ipſius electione facto rite examine in Ambroſii Cathedram irrumperet. Hinc facta cum Paulino conſpiratione Schiſmatis peſtem ut diximus, in Liguriam induxit. Hic alios Liguriæ Epiſcopos eadem lue inficiens, quum *nullo modo eſſe Epiſcopus poſſet, alios perdidit*, ut vaticinatus (122) fuerat Pelagius, imo & doluerat. Fauſtiſſimum tandem Urbi noſtræ tempus illuxit, quo obliteratis barbaricæ feritatis veſtigiis deleta eſt macula illa Burgundico & Gothico bello viginti & amplius ante annis ſuſcepta. Jacebant adhuc Mediolanenſium munitionum rudera Witigis tempore everſa. Angebant maxime piiſſimum Narſetis animum exſtantia hæc alienæ crudelitatis teſtimonia: præſertim quum, ut ſupra vidimus, ſua ipſius mora in denegandis Urajæ ad Ticinum ſubſiſtenti auxiliis, & diuturna pertinacia opportunitatem hoſtibus Urbis perdendæ obtuliſſet. Manum itaque reficiundis dirutis mœnibus admovit, civeſque vicatim diſperſos, ſiqui dilapſi fuga commune exitium declinaverant, in Patriam revocavit, &, congregatis ex aliis locis conciliis cœtibuſque hominum, juribus iiſdem

(121) Pag. 308. & ſeq. (122) *Epiſt.* IV. ſub fin., *Epiſt.* V. Vide ſup. p. 342.

comprehenſos in unam Civitatem ſociaverat. Sic legitimum conflaverat incolarum corpus, diverſa fortaſſe religione diviſum, ſed habitationis & convictus jure conjunctum. Id ipſum contigiſſe arbitror finitimis urbibus Novariæ & Bergomo pari exitio eadem occaſione involutis. Hoc nos perſpicue docet Marius Aventicenſis in ſuo *Chronico*; qui enumeratis beneficiis, quæ Italiæ jam impertiverat egregius ille Italicæ rei univerſæ Adminiſtrator, demum conqueritur, Byzantium fuiſſe ab Juſtino II. Aug. revocatum. Ipſum (123) audiamus: *Hoc anno* (nimirum anno II. Conſ. Juſtini Jun. Aug. Indict. I., qui eſt DLXVIII.; ſed verius id accidit anno DLXVII. juxta Muratorium) *Narſes ex Præpoſito & Patricio, poſt tantos proſtratos tyrannos, ideſt Baduilam & Teiam Reges Gothorum, & Buccelenum Ducem Francorum, nec non & Sindevalem Erolum; Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi deſtruxerant, laudabiliter reparatas; de ipſa Italia a ſupraſcripto Auguſto remotus eſt.* Itaque antequam Byzantium ab Juſtino evocaretur; in meliorem, imo in novum reſtituerat ſtatum (124) Mediolanenſem Civitatem. Quumque ſchiſmaticam labem intueretur in Sedem ipſam Ambroſii invectam, Lupumque, imo furem, in ovile ingreſſum, ut illud mactaret & perderet; prout erat ab ea peſte abhorrens, & religioſiſſimus Romanæ & Catholicæ Unitatis defenſor, teſte Pelagio I., ad abſtergendam e renovata Civitate Schiſmatis maculam uſus demum mihi videtur Pelagii ipſius conſilio ſibi multo ante dato, ut *Ill. Mediolanenſem Epiſcopum* a Paulino Aquilejenſi *Pſeudoepiſcopo* conſecratum in cuſtodiam traditum a Sede hac exturbaret, novumque curaret Mediolanenſibus præficiendum Antiſtitem.

---

(123) Ap. Martin. Bouquet Collect. cit. T. 2. p. 18. Vide & Murator. *Annali d'Italia* ad ann. 567. p. 470. (124) Vide infra pag. 353. & ſeq.

Digitized by Google

Ille, innominatus a Pelagio, Schiſmaticus Mediol. Epiſc., electus poſt Vitalis obitum, *Frontus* fuiſſe affirmatur ex *Catalogo* noſtro. Hujus *Catalogi* Prima Pars quo tempore & ordine fuerit conſcripta.

X. Verumtamen hoc loco nequis mihi objiciat, propinari ſibi fabulam marte meo confictam, neceſſarium reor, prius perſonam *Illi* Mediolanenſi Epiſcopo tandem detrahere, atque nominatim omnibus deſignare. *Frontus* hic ſcilicet eſt, ſive *Fronto*, qui primæ *Catalogi* noſtri antiquiſſimi Partis nomenclaturam claudit, quemque certis, ut mihi videtur, argumentis indicari ex ſupputatione arbitror, & chronotaxi. Equidem ſolerter expendamus, hæc prior Pars Catalogi primó quo ſcripta ſit tempore; deinde quo ordine ibi recenſeantur Epiſcopi. Quod ad primum ſpectat, omnes hactenus cum Papebrochio (125) conſenſere, hanc priorem Partem ſcriptam fuiſſe circa annum DLXXX. quum Genuæ degeret Laurentius, ſed verius *Honorati* tempore, ut mox diſſeremus. Quum enim primævus ille Scriptor probabiliter vivere potuiſſet ab ea ætate, qua Datius & ſubſequentes ſedere Epiſcopi uſque ad finem I.ª Partis; ignorare ſane non poterat, quoto quiſque tempore ſediſſet & qua die fuiſſet depoſitus. Attamen, quum Honorati annos non deſignaſſet, neque depoſitionis diem, ut in prioribus fere ſingulis, quod maxime reſcire potuiſſet; hinc facile adducor, ut mihi perſuadeam, Præſulem illum adhuc in vivis fuiſſe, dum ſcriberet ille *Catalogi* nomenclator. Et hic maxime vellem, ut lyncéus ille Antiquitatis, ac veterum MSS. Codicum indagator ac judex Mabillonius intentiore acie obſervaſſet numerum annorum, quibus ſediſſe Honoratus in eo *Catalogo* deſignatur. Duplex enim (126) illud *iota*, *JJ*, quo binarius numerus connotatur, manifeſtiſſime apparet expendentibus

(125) In *Exegeſi* præfixa T. 7. Maji *Act. SS.* n. 2. p. LVII. col. 1. & n. 48. p. LXVI. Vide & Mabill. nota *a* ad hunc *Catal.* in *Muſ. Ital.* T. 1. P. 2. p. 111. (126) Vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. III. & V.

quibuſque altera manu adjectum, utpote longiore ductu, & ſubtiliore expreſſum, & diverſæ omnino formæ, ac ceteræ unitates, quæ in tribus prioribus hujus *Catalogi* Partibus uno charactere exaratis inſcriptæ videntur. Conſtat ergo, primævum hujus Primæ Partis Scriptorem vacuum reliquiſſe ſpatium, in quo deſignandus, moriente Honorato, Illius Sedis annorum numerus poſtea foret. Quod quidem ſpatium, idque ſatis amplum, reliquit etiam is, qui ſingulas tres priores Partes (127) poſt Guidonis Epiſcopi noſtri obitum exſcripſit, & in unum collegit. Hic numerus demum aliquanto poſt Collectoris ipſius ætatem, imo recentiori admodum manu atque atramento, vacuo ſpatio (128) intruſus fuit, ut cuique legenti facile patet. Cedo Epiſcoporum nomenclaturam, qui poſt Datium enumerantur, ſicuti ſcripta eſſe debuit a primævo ejus auctore, & ſicuti nunc exſtat ab ipſius Collectore exſcripta.

„ Uitalis ſed. añ. IIII. dep. (*hic omiſſus a primævo Scriptore* depoſitionis *dies*) *Additus demum poſteriori* (129) *ætate* ſepulturæ *locus*: ad ſcm̃ uitalem.

„ Auxanus ſed. añ II. dep. III. Noñ Sept. *Additum*, *ut ſupra*: ad ſcm̃ stefañ ad r (*ſcilicet* Rotam).

„ Honoratus ſed. añ ′ dep. . *Additum*, *ut ſupra*, *ſic*: adnoceta.

„ Frontus ſedit añ XI. dep. (*omiſſus* depoſitionis *dies*) *Additum*, *ut ſupra*: in genua ad ſcm̃

In Honorato annos expunxi ex nuper allatis rationibus. Item poſt vocem *dep.* lacunam reliqui, in qua poſt Ejus obitum notandus

(127) Conſule in fine huj. Op. *Obſervat.* in hunc noſtrum *Catal.* præfixas *Seriei Chronol. Antiſtitum Mediol.*, de quibus agitur in hac *Hiſtoria Mediol. Eccl.* (128) Vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. III. & V. (129) Vide Papebr. in *Exeg.* cit. n. 2. pag. LVII. col. 2. & n. 48. init. p. LXVI. Vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. III. & in fine huj. Op *Obſervat.* nuper citt.

Digitized by Google

fuiſſet *depoſitionis* dies. Si vero de ordine diſputemus, unicuique patebit, hoc loco turbatam eſſe Antiſtitum ſeriem. Facilis vero afferri poteſt ratio, cur Scriptor hunc ordinem inverterit. Curabat enim ut legitimi dumtaxat, quo ordine ſediſſent, Epiſcopi recenſerentur. Idque plane præſtandum erat, quum ex Diptychis, teſte (130) Papebrochio, nomina ſanctorum legitimorumque Antiſtitum exſcriberet. Quumque, ſedente adhuc Honorato, cujus nomen in hoc *Catalogo* jam exſtabat, deceſſiſſet *Frontus*, hunc licet Schiſmaticum, eo quod recentiſſima ejus eſſet memoria, marte ſuo ultimo loco ſubjecit, ne & ipſum aliquando Sedem uſurpaſſe poſteri ignorarent. Pari ratione ante Ambroſium reſtituiſſemus Auxentium, ſi ad finem ſuæ nomenclaturæ illum Scriptor rejeciſſet; licet, exulante Dionyſio, in ejus locum ipſe Pſeudoepiſcopus Auguſti favore fuerit intruſus: quem tamen nominare forte noluit. Primam igitur hujus *Catalogi* nomenclaturam qui ſcripſit, coævus erat Honorato, quum in ejus ætatem deſinat ille Antiſtitum elenchus. Cui ſententiæ proxime accedit Mabillonius (131) conjiciens, *priorem hanc Partem concinnatam fuiſſe poſt obitum Frontonis*; veriſſime quidem ſed ante annum DLXXII., ſeu vivente adhuc poſt eum in Ambroſii Cathedra Honorato. In hoc igitur adlaboravit primævus ille Scriptor, ut diligenter adnotaret Sedis annos in unoquoque Epiſcopo, ut lacunam temporum inter mortem Datii & Honorati Sedem impleret; non autem, ut ſeriem & ordinem Paſtorum perſequeretur. Optime enim noverat, poſt quatuor Vitalis annos invaſiſſe *Frontum* a Paulino *non conſecratum*, *ſed exſecratum*, per annos XI., donec legitimo ſubſtituto Epiſcopo S. Auxano, *Frontum* Narſes *in cuſtodiam tradidit*, aut Genuam exulare juſſit, ne iterum Civitati Schi-

(130) Ib. pag. LVII. cit. (131) In *Muſ. Ital.* cit. T. I. P. 2. p. 111. nota a.

ſmatis peſtem afflaret: quorum alterutrum ex ejus auctoritate pendebat. Poſtea vero intra biennium defuncto Auxano, S. Honoratus Genuam fugiens *Frontum* ſub diligenti cuſtodia captivum (132) illuc fortaſſe abduxit, vel ibi jam exulantem invenit: quod falſo anno DLXXIII. (133) ſub Laurentio ſuſpicatus eſt eveniſſe Papebrochius. Hac plane ratione miro ordine impletur vacui temporis lacuna, quæ Vitalem inter & Auxanum intercedit apud omnes nomenclatores, quæque adamuſſim Schiſmatico convenit, *ſervato* etiam mirifice annorum, quibus ille ex *Catalogo* ſedit, ipſiſſimo numero. Sic ſolida conſtat compages annorum XVIII., qui a Datii morte ad Honoratum fluxere, Auctoris etiam ſynchrona auctoritate firmata. Hoc etiam placet adjungere, quod, ſi poſt Honorati Sedem *Fronti* annos XI. protrahere velimus, nullo modo conſtabunt Laurentii, & Conſtantii Epiſcoporum anni, quos ex S. Gregorio (134) certos habemus, ut opportuno (135) ſuo loco videbimus. Juſta igitur apparet ratio, ut vacuum ante Honoratum temporis ſpatium impleamus; nulla vero ratio eſt, ut annorum ſubſequentium ordo interturbetur. Fuſius hæc fortaſſe dicta videantur, quam ut ſynopſim hiſtoricam deceat: verumtamen neceſſitas expreſſit ad liberandam Vitalis, Auxani, & Honorati, Epiſcoporum noſtrorum, famam ab ea Schiſmatis labe, quam irreverenter SS. iis Viris Scriptores complures, Andabatarum more digladiantes, aſperſere;

(132) Vide infra Sect. XII. & XIV. (133) In *Exegeſi* cit. pag. LXVI. num. 46. (134) De *Laurentii* obitu, & *Conſtantii* electione lege *Epiſt.* 26. L. 3. Ind. XI. Magno Presb. Eccl. Mediol. Opp. T. 2. col. 642. It. *Epiſt.* 29. col. 644. *Epiſt.* 30. col. 645. *Epiſt.* 31. col. 646. It. L. 4. *Epiſt.* 1. col. 687. De obitu *Conſtantii*, & Electione *Deuſdedit* lege *Epiſt.* 4. Lib. II. Ind. IV. col. 1091. & *Epiſt.* 16. col 1103. (135) Infra Lib. III. Cap. I. Sect. V. & Cap. II. Sect. XII.

fere; ſi Cl. Virum D. Hieronymum de Prato inclytæ Oratorii Congregationis Veronenſis Sacerdotem unice excipiamus, qui rem ipſam acu tetigit (136) licet alia inita ratiocinandi forma.

XI. Sed ut eò revertamur, unde digreſſi ſumus, * ejecto ope Narſetis *Frontone* Schiſmatico, in ejus locum rite, ac populi ſuffragiis commendatus, ſuffectus eſt Auxanus; & reddita Eccleſiæ Mediolanenſi tranquillitas. Obſervo veterem mutuæ Conſecrationis inter Aquilejenſem & Mediolanenſem Epiſcopos conſuetudinem hac plane occaſione exoleviſſe. Romanos enim Pontifices poſt Vigilium *Cautionis*, ſive Fidei profeſſionis, uſum induxiſſe certum eſt, ut in electione Laurentii II. & Conſtantii (137) ex S. Gregorii *Epiſtolis* perſpicue patebit. Neque dubito, Narſete vivente Auxanum ipſum, recte de Catholica Fide ſentientem, nonniſi hac emiſſa *Cautione* & probata prius rite per Pontificium legatum Ejus electione, uti plane de Conſtantio ejuſque ſucceſſore Adeodato (138) accidit, inauguratum fuiſſe. Gemino igitur Liguriam noſtram Narſes mihi videtur obſtrinxiſſe beneficio, tam reſtituta laudabiliter Urbe noſtra, quam Schiſmate viriliter ab Eccleſia Mediolanenſi depulſo poſtquam ſanctiſſimum virum Auxanum in Ambroſianam Sedem invexit. Porro decennium integrum uſque ad annum Chriſti DLXVI. Liguriæ Urbs primaria Mediolanum, *Frontone* ſedente, & irridente irritos Pelagii conatus, Schiſmatis labe contabuit. Fidentius fortaſſe videbor Urbem hanc noſtram *primariam Liguriæ* hoc tempore nominaſſe, quam alii fortaſſe (139) cenſebunt,

Frontone depulſo Auxanus rite conſecratur. Obſoleta tunc primum mutuæ Conſecrationis inter Mediol. & Aquilejenſ. conſuetudo; & *Cautionum* uſus tempori: tunc primum inductus. Narſetis in Mediol. Eccleſiam & Urbem beneficia. Mediolani reparationis ab eo factæ certa epochas ſtatuitur.

* An. DLXVI.

Y y

(136) *Diſſ. 1.* inſert. in Vol. XLI. *Novæ Collectionis Opuſculorum* ſuperaddit[illegible] *Collectioni Calogeriana*. Venet. 1785. (137) Infra Lib. III. C. I. Sect. VI. Cap. II. Sect. I. (138) V. infra Lib. III. Cap. I. Sect. XII. & Cap. III. Sect. I. (139) Vide Cl. D. Carl Com. Verri *Iſtoria di Milano* T. 1. Cap. 2. p. 32. 40. & 49. Edit. Mediol. [illegible] De noſtræ Urbis ſtatu etiam poſt Attilæ ac Witigis excidium vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. X. Cap. II. Sect. VIII. Cap. VIII. Sect. III.

utpote a Witige, Beliſario vivente, ac Datio Epiſcopo, everſam, *Urbis* nomen, imo etiam *Oppidi* amiſiſſe. Verum mihi hos animos facit relatum ſuperius Marii coævi atque regionibus noſtris contermini Scriptoris teſtimonium, qui Narſetis vigilantiam, a bellicis ad pacis ſtudia translatam, fatetur præſertim in eo verſatam fuiſſe, ut *Mediolanum* inter ceteras *laudabiliter reparatas* (140) Urbes intento veluti digito demonſtraret. Quoto autem hujus Sæculi anno (141) Mediolani reſtituendis munitionibus manum atque animum adjecerit Narſes, conjectura potius aſſequi, quam certe poſſumus conſtituere. Indubitatum eſt, Totilam, libera acie ut poſſet per Italiam pro rei opportunitate excurrere, ipſas murorum Romæ ſubſtructiones, quæ annum integrum Beliſarium adverſus inanem Wirigis furorem protexerant, ut fuſe refert (142) Procopius, evertiſſe penitus pluribus in locis, ne ſupervenientibus Græcis præſidio eſſent. Id ipſum conſilium biennio ante Totilam impulerat, ut Neapolis mœnia (143) ſolo æquaret. Hinc illud belli Fulmen legitur a Venetia in Calabriam pro re nata excurriſſe, quoad vixit. Quæ quidem Gothorum immanitas patentiorem campum Narſeti obtulit, quo citius Tejam opprimeret. Verum Gothorum rebus accifis, nullis interrupta munitis locis Italiæ planities viam deinde (144) Buccellino & Leuthari Francorum ac Alemannorum Ducibus tutiorem poſtmodum ad incendia & rapinas per univerſam Italiam communivit. Ad clavum igitur Italiæ ſedens iis temporibus Narſes, quum pericula Provinciæ perpenderet, ac futuras calamitates præcavere deſtinaſſet, munitionibus exſtruendis animum adjecit, ut ex Mario citato diſcimus, quieto jam Provinciæ ſtatu,

(140) Vide ſup. pag. 348. (141) Vide ſup. pag. 348. cit. (142) Lib. 3. Cap. 22. & Murator. ad ann. 546. p. 411. (143) Id. Procop. L. 3 C. 8. & Murator. ad ann. 544. (144) Excerpt. ex Agathiæ *Hiſt.* L. 2. init. & pagg. ſeqq. Vide & *Additam.* ad *Hiſt. Miſcell.* pag. 179. D. Item Murator. ad ann. 553. & 554.

Digitized by Google

quum primum e tot cladibus ac populationibus Italia reſpiraret. Quod quum Pelagii I. temporibus contigiſſe videamus (nam Hamingi & Sindevalis (145) defectio, ad Joannis III. Pontificatum, uti jam (146) obſervavimus, referenda, aliquæ dumtaxat belli favillæ, non incendium fuiſſe cenſenda eſt) ad Urbem Liguriæ Caput præcipue mentem atque animum videtur convertiſſe. Schiſmatici igitur Epiſcopi *Frontonis* tempore ſanata tandem, quæ inflicta a Witige fuerant, vulnera coaluere, & Urbi noſtræ reddita munimenta, ut hoſtilium injuriarum penitus oblivisceretur. Utque certam laudabilis hujuſce reparationis epocham ſtatuamus (Mario Aventicenſe teſte, qui hoc cum ceteris in Italiam collatis beneficiis inſigne meritum in unum congeſſit, ut vidimus) eam in prima Joannis III. Romani Pontificis tempora rejiciemus, qui Petri Cathedram conſcendit anno DLX., ſive in poſtremos Juſtiniani Imperii annos, qui vitam produxit ad annum DLXIV. Ex Marii enim ſupputatione conſtat, Mediolani inſtaurationem jam perfectam, quum ab Juſtino ejus Succeſſore, Imperii ſui (juxta ejuſdem Chronologi calculos) anno IV.°, Narſes Byzantium revocaretur; quo certe tempore Italia a Gothico & externo quieſcebat bello. Quiſquis igitur exſecrandum Witigis refugit nomen eo quod Mediolanum everterit magna cum civium clade (licet, eodem Mario (147) auctore, *effracta* dumtaxat fuerit, nimirum, ut ſuſpicor, per Muri aditum ab Hoſte aliqua ex parte in Urbem (*) penetra-

(145) Paul. Diac. Lib. 2. C. 2. & 3. (146) Sup. pag. 346. nota (*). (147) Vide ſup. pag. 309. (*) Vel in hac vel in proxima Burgundionum irruptione, duce Theudeberto ipſo, eveniſſe reor illam Muri fracturam, unde geminis, *S. Andreæ* ſcil. & *S. Michaelis*, Eccleſiis cognomentum *Ad Murum ruptum*: quidquid inepte garriat Landulphus (*Med. Hiſt.* L. 2. C. 2.) *Lamberto* Italiæ Regi tribuens, quod verius *Theudeberto* convenit; vel utriuſque geſta adeo permiſcens, ut ex utroque monſtrum unum effinxerit perridiculum. Idem referunt ad SS. Auxani & Honorati tempora Flamma *Manip. Flor.* Cap. 6., Boſſ. in *Chron.*

tum) prædicandum certe ac celebrandum Narſetis nomen fateatur neceſſe eſt, qui *primariæ* Liguriæ Urbi opem ferens veteris ruinæ memoriam delevit omnino ac obliteravit adeo, ut, quum Anſpertus CCC. amplius poſt annos *diruta reddidiſſe Urbi Mœnia* in ejus Epitaphio (148) dicatur, haud intelligendum ſit, hanc Urbem tum *Mœnibus* ferme caruiſſe, contra *Rhythmi* noſtri (149) auctoritatem, ſed hunc Præſulem ea dumtaxat refeciſſe & alicubi amplificaſſe. Frontone itaque ſedente priſtino reſtituta eſt decori Mediolanum, a Schiſmatico deinde Auguſto nonniſi Sæculo XII. iterum evertenda. Ceterum procedente etiam Langobardorum Regno ſuum decus ac dignitatem ita retinuit, ut aliquando *Regiæ* retinuerit nomen *Civitatis*, ut inferius (150) pro opportunitate adnotabimus.

Narſes reſtituta Urbe, Vitali Altinenſi Epiſcopo in Siciliam, Frontone Genuam, ablegatis, Auxano ſuffecto, Mediolanenſem Eccleſiam Catholicæ Unitati reſtituit. Juſta aſſeritur Antiſtitum noſtrorum chronotaxis a *Datio* uſque ad *Honoratum*.

XII. Sic reſtituta in laudabilem formam Urbe, dum Schiſmaticus *Fronto* ſederet, reliquum erat, ut laudabilem Eccleſiæ etiam Mediolanenſis ædificationem Narſes promoveret. Et ſane ædificatio ipſi Romano angulari lapidi impoſita per hæc tempora videbatur, ideſt Apoſtolicæ Sedis Unitati reſtituta; quum Schiſmaticus *Ille*, a Paulino ordinatus, Pontifex eſſe defierit anno DLXVI. Etenim pacata omni ex parte Italia Narſes cum Joanne III. Romano Pontifice ad Religionis etiam componendam pacem, utpote religioſiſſimus, pia ſtudia conjunxit; & licet Pelagii I. vota minus implevisse, bello adhuc exardeſcente, viſus eſſet, in Succeſſoris

ad an. 567., Corius ad *Theudebertum* anno 575., demum Bugat. *Hiſt. Univ.* L. 2. p. 133. & ſeqq., ad *Eribertum* quendam Francorum Regis fratrem. Vide ſis Murat. & Giulin. ad an. 896. Ipſam *Muri rupti* appellationem, licet alia de cauſa, obtigiſſe Mœnium parti inter *Pincianam* & *Flaminiam* Romæ Portam, teſtis eſt Procop. Lib. 1. Cap. 23.

(148) V. *Epitaph.* ap. Giulin. T. 1. p. 423., ejuſq. animadverſ. p. 427. & ſeqq. & T. 5. p. 172. & ſeqq. Vide & Gratiol. Op. cit. Cap. II. §. V. p. 23. (149) Vide *Rhythm.* in laudem Mediol. in calce hujus Op. (150) Vide loca citt. ſup. nota (139).

paria de Schiſmate tollendo deſideria propenſus, Pontificia jura auctoritate ſua corroboravit. Quare Vitalem Altinenſem Epiſcopum ab Unitate Fidei diffidentem per hæc tempora comprehenſum in Siciliam amandavit exulem, ut Paulus Diaconus (151) refert. Pari igitur ſeveritatis exemplo uſus, ejectum (152) Frontonem, omnibus dignitatis inſignibus ſpoliatum, & cuſtodiæ arctiſſimæ mancipatum ita, ut omnibus ignotus eſſet cuſtodiæ locus; aut, ſi mavis, & mihi vero ſimilius videtur, Genuam urbem tum Græcis ſubjectam captivum exulare juſſum, ad inſtar Altinatis in Siciliam relegati, ibidem quandiu vixit, in vinculis detinendum curavit, & Auxanum Ambroſianæ Sedi, ut ſuperius (153) expendimus, ſubſtituit. In ejus, inquam, locum ſuffectus eſt S. Auxanus Catholicæ Unitatis ſtudioſiſſimus Pontifex; qui egregie omnium Paſtoralium virtutum munere perfunctus vix biennium fortaſſe non integrum ſupervixit. Non integrum dixi, tum ad tuendam chronotaxis rationem; tum ad prodendam ſcriptoris *Catalogi* noſtri vetuſtiſſimi imperitiam, qui nullius ex Primæ Partis Epiſcopis menſes, aut dies ultra annos adjecit: ex quo manifeſte apparet, eum nullam in annis deſignandis habuiſſe rationem, utrum, quos indicabat, anni integri eſſent, an incompleti. Quis enim credat, omnes ab Anatalone ad Honoratum Epiſcopos omni ex parte integros eos annos ſediſſe, qui citato in Indiculo deſcribuntur? Sic igitur videtur conſtituenda a Datio ad Honoratum chronologica Epiſcoporum ætas, ut inchoati etiam Sedis anni pro completis accipiantur. Quare, quum ineunte anno DLII. Datius e vivis exceſſerit, quatuor ſucceſſori Vitali attributi Sedis anni ſub finem

(151) Lib. 2. Cap. 4. Baron. ad an. 569. n. XIV. Murat. ad ann. 567. (152) Vide infra Lib. III. Cap. I. Sect. III. (153) Sup. pag. 351. in fine.

DLV. deſiiſſe cenſeantur. Hinc undecim alii *Frontonis*, ſeu Schiſmatici Epiſcopi, effluant ingrediente anno DLXVI. Quo tempore illo exauctorato, aut jam in vincula fortaſſe conjecto, S. Auxani biennium elabitur ſub exitum anni (154) DLXVII. Ineunte vero DLXVIII. Honoratus in Ambroſii Cathedra collocatur, pluribus ante Alboini in Venetiam adventum menſibus: & hic finem Primæ *Catalogi* Parti auctor impoſuit. Ex quibus omnibus & integra *Catalogi* fides conſtat in dinumerandis horum Epiſcoporum annis, neque certos conſtitutos a Scriptoribus limites tranſilimus, quibus & Datii mors, & Honorati fuga irruentibus Langobardis concluduntur.

Romanorum de ſuprema Narſetis poteſtate querelæ apud Juſtinum II. Auguſtum. Rumor expenditur de evocatis a Narſete in Italiam Langobardis.

*An. DLXVII.

XIII. Auxano ſedente, deleta Schiſmatis macula ac labes, Mediolanenſium religio ac cum Catholica Unitate conſenſio, uti jam diximus, confirmata eſt; quamvis Romani importunis querelis Juſtini animum fatigantes Unitatis Catholicæ columen ac fundamentum ſubruere niterentur. Eos ſcilicet urebant Narſetis divitiæ & gloria tot bellis ac triumphis collecta: * quare clanculum datis ad Juſtinum Auguſtum litteris profeſſi ſunt, ſatius ſibi eſſe Gothis, quam Græcis ſub Narſete Patricio famulari. Adjectæ etiam minæ, ſcilicet, ut Romam de manu illius liberaret; ſin minus, ſe in aliorum poteſtatem ultro ituros. Quum hæc Conſtantinopoli audita Auguſtum in Narſetem concitaſſent, atque de ejus ira certior factus eſſet Narſes; mitigandum Juſtinum ratus, dolens palam de ingrato Romanorum animo, ſeque calumniis adpetitum conquerens, in Campaniam profectus eſt, ut maritimo itinere Byzantium properaret ſe criminibus purgaturus; unde cuncta Italia cognoſceret, quomodo ipſe *totis viribus pro ea laboraſſet*. Verum ab hoc itinere

(154) Vide infra Sect. XIV.

revocatus Joannis III. Romani Pontificis officiis Romam cum eodem reverſus eſt. Hæc pauca vero ſimillima ex *Pontificali Libro* in Joannis III. *Vita* (155) delibavimus, quæ etiam rei exitus veriſſima comprobavit. Etenim, quæ in ea adduntur, *ſcripſiſſe* ſcilicet Narſetem *genti Langobardorum*, *ut venirent & poſſiderent Italiam*, non conſonant ipſi (156) narrationi. Certior quippe factus Narſes de Romanorum litteris, non Auguſto iraſcitur, ſed Romanis, moderato & pacato animo dicens: *Si male feci Romanis, male inveniam*. Deinde cur in Campaniam properaſſe dicitur Conſtantinopolim verſus, non autem in Liguriam auxiliariam, evocatis hoſtibus manum daturus? Fretus igitur conſcientia ſua, Neapolim proficiſcitur, ut Auguſto ipſi collata in Romanos beneficia exponat, & injuſtam ſui accuſationem coarguat. Quo animo ſubire poterat Imperatoris præſentiam, ſi reus proditæ Langobardis Italiæ tenebatur? Ipſe etiam pacificus Narſetis cum Joanne Romam rediens, imo vadimonium Pontificis (157) teſtantis, ſe potius Conſtantinopolim iturum dummodo Narſes Roma non egrederetur, plane ejus innocentiam teſtatam faciunt. Cur autem reverſum in Urbem Pontifex non rogavit, ut novis litteris veteres ad Langobardos datas, ſi vere dederat, retractaret? Quomodo Narſes Romæ ſupremum diem placide obiit, & honorifice (158) *eius corpus poſitum in locello plumbeo, & cum omnibus divitiis eius Conſtantinopolim eſt perlatum*, ſi tanti ſceleris fuiſſet convictus? Solus igitur ille Scriptor ſcire videtur, quod Romani omnes, & primus etiam *Hiſtoriæ Miſcellæ*

(155) Num. III. & ſeqq. T. 1. pag. 227. & 228. Vide & Paul. Diac. Lib. 2. Cap. 5. item *Additam. ad Miſcell.* loc. cit. infra nota (159) & al. Auctores citat. a Pagio ad *Annal. Baron.* ann. 567. n. V. (156) Hæc calumnia refellitur etiam infra p. 366. & ſeq. (157) *Lib. Pontif.* ibid. n. IV. pag. 228. (158) Paul. Diac. Lib. 2. Cap. 11. It. in *Additam. Hiſt. Miſcell.* in *Rer. Ital. Scr.* T. I. pag. 180. col. 1. D.

Auctor (159) ignorabat. Scriptor igitur *Vitæ* Joannis III. confectatus imprudenter vulgi Romani rumores, qui fortaſſe poſt Langobardorum irruptionem in Italiam invaluerant, eos a Narſete evocatos tradidit primus omnium Latinorum; quum apud Græcos, Theophanem, Cedrenum, Zonaram, mirum ſit ſuper hac re ſilentium. Hanc famam ſecuti ſunt Mellitus, a Pagio (160) relatus ad hunc annum, aliique; ſed Marius Aventicenſis fabellam hanc omiſit, licet ſcripſerit, eum ab adminiſtranda Italia revocatum. Fabellam hanc ipſam ab eo primum Scriptore in ſcenam productam, pluribus deinde *epiſodiis* Paulus Diaconus (161) ornavit: ex quo lutulento fonte reliqui Latini Scriptores hauſere. Addidit nimirum contumelioſas Sophiæ voces, Narſetem ad lanarum penſa in Gynæceum revocantis, & triſte Narſetis reſponſum, *talem ſe Eidem telam orditurum, qualem Ipſa dum viveret, deponere ac detexere non poſſet.* Extempore nimirum immemor virtutum & laudum, quas in Narſetis pietatem ac ſingularem religionem (162) congeſſerat, cum Imperii

(159) Auctor *Hiſt. Miſcell.* (Lib. 16. in *Rer. It. Scr.* T. 1. cit. pag. 108. col. 1. A.) ſcripſit agens de Juſtiniani Imperio: *Longobardos honoratos multis muneribus* (a Narſete, cui contra Totilam opem ut auxiliarii tulerant) *ad propria remiſit* (ipſe Narſes) *omnique tempore, quo Longobardi poſſederunt Pannonias, Romanæ Reip. adverſus æmulos adjutores fuerunt.* Deinde agens de Juſtino ſucceſſore, nihil omnino habet de Narſete, & nullam Langobardicæ in Italiam irruptionis cauſam afferens, hæc ad finem ejus Imperii ſubdit (pag. 111. col. 1. in fine) *Hujus Imperii anno undecimo* (corrige IV.), *qui eſt annus DLXVIII. Indict. primo, in ipſis Calendis Aprilis egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia, & II. Indict. cæpere prædari in Italia; III. vero Indict. dominari cœperunt in Italia.* Hæc, inquam, primævus *Miſcellæ* Auctor. Contra in *Additam. ad Miſcell.* pag. 180. col. 1. cit. init.) ſive Landulphi Sagacis, ſive veroſimilius Pauli Diac. ſint, eadem recoquitur crambe, iiſdemque omnino verbis, ut in P. D. Hiſtoria. (160) Ad *Annal.* Baron. ann. 567. num. VII. (161) Lib. 2. Cap. 5. cit. (162) Lib. 2. Cap. 3. *Erat vir piiſſimus, in religione catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, ut plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quam armis bellicis victoriam obtineret.* Vide ibid. not. (27).

Digitized by Google

Imperii, Italiæ, ac Romæ a ſe conſervatæ proditorem affirmat. Ex triviis igitnr Romanorum ac ſuburra præſertim corraſiſſe mihi videtur, quidquid ingenioſa Romanorum dicacitas neque Augnſtis, neque Moderatoribus parcens, evomere conſueſſet. Hoc modo aptius concinnatam fabulam apertis ulnis poſteri amplexi Latini Scriptores Græcorum facta propinarunt, quæ Græci ipſi ignoraverant. Ut tamen ſno ſe ipſe indicio proderet, auſus eſt inſulſe comminiſci miſſa a Narſete cum litteris (163) ad Langobardos *multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, quatinus eorum ad veniendum animos poſſet illicere*. Papæ! relegat Paulus, quæ jam Capite I. Libri II. Hiſtoriæ ſnæ narraverat, quæ certe ab hac narratione omnino diſſentiunt. Sic rerum imperitus Scriptor ſe ignorare fatetur, a Langobardis initnm jam multo ante fœdus cum Juſtiniano, & Noricum iiſdem vl fœderis ab Auguſto conceſſum, narrante (164) Procopio; itemqne eos ipſos Langobardos ſub Narſete Duce in Italia nna cum Herulis & Gepidis ſexdecim ante annis militaſſe; reqne bene geſta, donis Italiæ oneratos cum laude in patriam fuiſſe dimiſſos, ut iidem Procopius (165) & Panlns (166) teſtantnr. Hæc omnia ſuis momentis expendens acerrimi vir judicii Cl. Muratorius ad hunc annum DLXVII. ab hac proditionis labe Narſetem abſolvens, neque ſatis conſtare Pauli narrationem cenſens, cauſas irruptionis Langobardicæ alias omnino enumerat; ſcilicet feliciſſimas ante ab Odoacre & Theuderico ſuſceptas expeditiones, quarum adhuc memoria vigebat; Narſetis revocati virtute deſtitutam Italiam; viduam

Z z

(163) Lib. 2. Cap. 5. cit. (164) Lib. 3. Cap. 33. (165) Lib. 4. Cap. 26. & 33. Vide & Murat. *Annal.* ad an. 552. (166) Lib. 2. Cap. 1. cit.

poſt peſtilentem annum cultoribus atque incolis hanc Provinciam, atque inſitam animis & res novas ſemper molientem cupiditatem.

Auxanus ſancte moritur. De *Pallii*, & de Metropoliticæ Epiſcopi Med. dignitatis antiquitate. De Ejus jure Provinciales Epiſcop. ad Concilia convocandi, & conſecrandi.

XIV. Inter hoſce impendentis teterrimi belli turbines Auxanus, qui, Schiſmate Mediolanenſium depulſo, rite inauguratus biennio ante, Unitatem Romanæ Eccleſiæ aſſidue foverat, ſanctiſſime moritur (167) die III. Sept. anni (168) DLXVII., & in Eccleſia *S. Stephani* ad *Rotam* (*) tumulatur, vivente adhuc & in oc-

---

(167) In noſtro *Catal.* MS. vetuſtiſſimo ſic legitur: *Auxonus ſedit annos II.* (in *Catal.* ap. Murat. T. 4. *ann.* III.) *Depoſ. III. Non. Sept. ad S. Stephanum ad r.*, ſcilicet *Rotam.* In *Catal.* ſive *Viſit Archiep. Mediol.* ap. Michael. Pizzolpaſſ. MS. H. 56. P. Sup. fol. 60. *B. Auxonu: .... jacet ad Sanctum Stephanum ad Rotam, in altari S. Zacharie.* (168) Vide ſup. p. 350. & 352. (*) Gemina appellatione donatam fuiſſe hanc Eccleſiam, ſatis Eruditis conſtat: *ad Rotam* ſcilicet, & *in Brolio*. Illa in Medii etiam Ævi monumentis raro occurrit; hæc uſitatiſſima, & etiamnum vigens. Utramque nonniſi ipſo Medio Ævo obtinuiſſe recentiores nonnulli Hiſtorici opinantur, uti jam (ſup. pag. 71.) præmonuimus. Primum vero, quod ſciam, de priore illo cognomento *ad Rotam* mentio fit in ſæpius laudato noſtro *Catalogo*, ubi de *Auxoni* ſepulcro. Non diffiteor, neque diffitebor (Vide ſup. pag. 350. nota (127), & infra Lib. III. Cap. I. Sect. III.) ſepulturæ loca huic *Catalogo* poſteriori ætate adjuncta fuiſſe; ſed certe aliquanto ante Beroldi ætatem, qui falſo ab quibuſdam Recentioribus aſſeritur hoc *Rota* vocabulo prior hanc Eccleſiam nuncupaſſe. Porro in Archiep. Hariberti *Teſtamenti* tabulis ad an. 1034. (Ap. Puricell. *Monum. Ambr.* n. 224.) memoratur Eccleſia *S. Stephani* nullo addito titulo, ut animadvertit etiam Julin. T. 3. p. 156. Occurrit tamen hic titulus *ad Rotam* in *Manuali* noſtro *Ambroſ.* Sæculi XI. ſign. I. 55. P. Sup. fol. 194. ad diem 11. *Litan.*, & non in Beroldo, ipſo, ſed in *Calend.* XII. Sæculi, quod veteri, ut ajunt, *Beroldo* præfixum legitur, juris olim Canonici Lautii (V. Murat. *Antiq.* T. 4. col. 848. C.) nunc Bibliothecæ noſtræ, & *Sitoniani* nomine typis edito in R. I. Scr. T. 1. P. 2. col. 1035., ad *IV. Non. Jan. & VI. Id. Sept.* Vide & Julin. T. 3. p. 248. Neque in his tantum Codicibus reperitur, ſed etiam, in geminis Archiepp. *Catalogis* in R. *I. Scr.* T. cit. & T. 4., ubi de *Martiniani* & *Auxoni* ſepulcro. Quo ad poſtremam *Brolii* appellationem vide *Vicende* &c. *Note Rag.* III.

De teſtaceo illo, ſeu lateritio *Rotæ* ſigno, quod etiamnum in ea Baſilica inſpicitur, deque ejus ætate ex noſtratibus Hiſtoricis diverſi diverſa ſenſere (V. Calch. *Hiſt. Patr.* Lib. 6. ad ann. 1075. p. 140., Julin. T. 3. p. 255. & ſeqq. ad ann. 1034., *Vicende* &c. p. 261. & 262. num. 21., *Antich. Longob. Mila-neſi* Vol. 3.) Attamen a fide abſonum nobis non videtur, vel ferino, vel citius poſitum ad denotandum ſupplicii genus, quo miſerrime torti excruciatique Valentiniani I. Aug. juſſu illi *Innocentes* fuerunt, de quibus ſupra p. 70. De *Rota* ſupplicio fuſe agit Sam. Pitiſcus in *Lexico Antiq. Rom.* v. *Rota*.

culta cuſtodia jam detento aut Genuæ exulante (169) Schiſmatico *Frontone*, nequid imple in noſtra Eccleſia moveret. Huic ſancto Epiſcopo veluti novam, licet vetuſtiſſimam, *Pallii* ſive Metropolitæ dignitatem affingit recens *Antiquitatum Italicarum* Cl. Auctor (170) probans, Aquilejenſis Schiſmatis tempore auditum primò in Italia Metropolitæ nomen, ut antea Tomo XV. ſuarum *Diſſertationum* fuſius explanaverat. Citat S. Gregorii (171) auctoritatem ſcribentis, ſe Pallium miſiſſe Conſtantio, qui poſt Auxanum tertius Ambroſii Sedem adeptus eſt anno DXCIII.: *Præterea Pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſimus*. Sed infirmo admodum niti videtur fundamento celeberrimi Scriptoris ſententia. Etenim, ſi *de more* miſit Conſtantio Gregorius, inveteratam potius & antiquam innuere videtur *Pallii* conſuetudinem apud Mediolanenſem Epiſcopum, quam novam, & recentiſſimam, utpote quæ vix XXVII. ante annis fuiſſet inducta, ſi primum Metropolitica dignitas Auxano fuiſſet collata. Verumtamen, bona tanti Viri venia, liceat & mihi, quod pluribus optimæ notæ Scriptoribus licuit, ſummam Metropoliticæ dignitatis antiquitatem Mediolanenſi Epiſcopo vindicare. Quare non quæſtionis inſtituendæ gratia, ſed amore veritatis fas ſit hic recolligere, quæ ſuperius ſparſim delibavimus, ne tantum hoc decus in Auxani prædeceſſoribus intereat. Athanaſius enim de Dionyſio amandato in exilium ab Auguſto Conſtantio ſcribens (172) illum dicit *Italiæ Metropolis Epiſcopum*; neque ibidem loquebatur de ſæcularis dignitatis prærogativa, ſed de Eccleſiaſtici juris honore. Ambro-

(169) Vide ſup. p. 351. ſub fin. & 357. & infra L. III. C. I. Sect. III. (170) Jo. Rinaldus Comes Carlius, *Antichità Italiche* T. III. Lib. I. §. X pag. 68. Item fuſius in Opp. T. XV. pag. 241. & ſeqq. Vide infra Lib. III. Cap. II. Sect. IV. (171) Inter ejuſd. Opp. T. 2. col. 681. Lib. 4. *Epiſt.* 1. Edit. Pariſ. 1705. item in *Concil.* T. 5. col. 1137. (172) *Apolog. de Fuga ſua* n. 4. Opp. T. 1. p. 322. Ed. Pariſ. 1698. Vide ſup. pag. 32.

Digitized by Google

ſium vero id honoris habuiſſe, idem Scriptor quum negare non audeat, ſed ex ſingulari privilegio id juris delatum aſſerat; liceat mihi rogare, quo tempore, qua ratione, & a quo Illi fuerit conceſſum; & quando, & qua de cauſa Ejus ſucceſſoribus denegatum. Mihi certo conſtat, Simpliciano & Venerio hujuſmodi dignitatis teſtimonium non defuiſſe, quum illum Vigilius Tridentinus Epiſcopus *Patris* nomine (173) compellaret; atque utrumque Africani Patres conſulerent æque ac Romanum Pontificem, nec non ab Iis Clericorum ſubſidium Eccleſiis ſuis implorarent. Vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine receptum legimus, ut Metropolitani Concilia Provincialium Epiſcoporum cogerent pro opportunitate & neceſſitate temporum, ut habemus ex Epaonenſis Concilii Canone I.° (174) celebrati anno DXVII. his verbis: *Prima* (ſcilicet a primis Eccleſiæ temporibus) *& immutabili conſtitutione decretum eſt, ut, quum Metropolitanus fratres, vel comprovinciales ſuos ad Concilium ..... crediderit evocandos, niſi cauſa tædii evidentis exſtiterit, nullus excuſet*: imo & eoſdem Provinciæ Epiſcopos jure ſuo conſecrarent, ut ex Epiſtola Valentiniani Aug. inſerta in Actis Concilii Chalcedonenſis (175) anni CDLI.: *Regula ita præcipit, ut in unaquaque Provincia Metropolitanus habeat poteſtatem, & ipſe conſtituat omnes, qui in ea Provincia ſunt, Epiſcopos*. Hæc omnia Mediolanenſes Epiſcopos legimus Metropolitico jure præſtitiſſe. Nam poſt Ambroſium ſcimus etiam S. Simplicianum inauguraſſe (176) Gaudentium Novarienſem Epiſcopum. Neque ambigere poſſumus de Conſecratione S. Epiphanii Ticinenſis a S. Benigno Mediolanenſi peracta, niſi refragari velimus luculentiſſimo Ennodii

(173) V. ſup.° pag. 5. & 9. De *Jure Metropolitico Mediol. Epiſc.* vide loca citt. ſup. hujus Op. p. 125. nota (°) & infra Lib. III. Cap. II. Sect. IV. & al. (174) *Concil.* T. 4. col. 1576. (175) Ibid. col. 716. (176) Ughell. T. 4. col. 691.

Digitized by Google

teſtimonio ſuperius (177) allato; qui etiam non diffitetur, Urbem hanc *Metropolim* fuiſſe, quum aſſerat, (178) *Metropolitanæ jactantiæ vocabulis* Pontifices noſtros maxime commendari. Quod ſi alterum, cogendi in Provincia ſua Concilii, jus Metropoliticum in noſtræ Eccleſiæ Antiſtite velimus expendere, facile occurret Martiniani exemplum *Libros B. Ambroſii* Auguſto Theodoſio II. offerentis (179) contra Neſtorii errores, Concilii Epheſini tempore pro aperienda Eccleſiæ & Provinciæ hujus ſana doctrina adverſus impias Sectarii illius blaſphemias. Imo patet oculis omnium S. Leonis *Epiſtola* ad Euſebium noſtrum (180) optantis Provincialium noſtrorum Epiſcoporum in Synodo ſententiam ac ſuffragium pro damnandis in Chalcedonenſi Concilio Monothelitarum erroribus. Quo quidem teſtimonio nihil afferri luculentius ac magnificentius poteſt, quam ut Romanus Pontifex Italicæ Metropolis Pontificem moneat de Provinciæ noſtræ exponenda ſententia pro confirmanda Concilii Œcumenici auctoritate atque certa doctrina. Quid autem dicamus de Romano Concilio in cauſa electionis Symmachi Papæ, juſſu Theuderici Gothorum Regis Romæ congregato, in quo (181) Laurentius Mediolanenſis cum ſuis Epiſcopis aliiſque tota Italia evocatis, veluti ſecundus a Romano Pontifice præfuit, & Italicæ Metropoleos princeps juxta Eccleſiæ canones graviſſimam Judicis perſonam ſuſtinuit, reſpuens judicare Symmachum, ſed illius judicium uni Deo reſervans? Quid plura? Univerſus Italiæ Clerus Metropoliticam dignitatem (182) Datio ante Auxanum & Aquilejenſe Schiſma tributam fuiſſe teſtabatur, dolens in ſuis litteris datis Juſtiniano per legatos Francorum, propter diuturnam Datii abſentiam

(177) Vide ſup. pag. 126. (178) Sup. pag. 126. cit. (179) Vide ſup. pag. 77. (180) Sup. pag. 92. (181) Sup. pag. 222. & ſeq. (182) Sup. pag. 326. init.

multos in Italia mori ſine baptiſmo, eo quod Epiſcopi plures, quos ordinare ſolebat noſter Epiſcopus, fato conceſſiſſent. Italicæ igitur Provinciæ Metropolita erat Datius, quemadmodum etiam illius prædeceſſores poſt Ambroſium, ut fatebatur L. ante annos Ennodius in (183) *Hymno de S. Ambroſio*, in quo Laurentium Mediolanenſem appellat *Paſtorem Antiſtitum*, & *Magiſtrum docentium*. Ceterum minus recte agit cum Aquilejenſibus ſuis (184) eruditiſſimus Scriptor, quibus Metropoliticam dignitatem ex Schiſmate ortam attribuit, quam non ſine hæſitatione uſque ad *Chromatii Aquilejenſis* tempora cum aliis Scriptoribus revocandam (185) cenſuimus.

Honoratus poſt Auxanum eligitur *Cautione* veroſimiliter oblata. Ejus Sedis initia turbat ac vexat Langobardorum Alboino duce in Italiam irruptio.
An. DLXVIII.

XV. * Clero igitur approbante, & Joanne III. confirmante, ad vacuam Sedem ſub initium DLXVIII. S. Honoratus fuit evectus. Ab exordio enim Pontificatus Auxani deſiiſſe mos ille (186) videtur, relatus in Pelagii I. *Epiſtolis*; ut Aquilejenſis viciſſim & Mediolanenſis Epiſcopus alter alterum conſecraret. *Cautione* (187) veroſimiliter oblata, Honoratus Sedem ingreſſus vix clavum tenere cœperat, quum exorta teterrima tempeſtate, quæ jam ante intonabat, alibi portum quærere coactus eſt. Fuſius fortaſſe, ſed non abs re, Narſetem ab evocandis Langobardis penitus abhorruiſſe paulo ſuperius (188) oſtendimus: quandoquidem multo ante Narſetis exauctorationem ab juniore Juſtino imperatam probari poterat Barbaros id belli molitos, ſeque in Italiæ perniciem armaſſe. Liceat mihi ex verbis Pauli ipſius Langobardorum Hiſtorici eruere meditatam jam expeditionem a Barbaris ipſo Juſtiniano vivente. Præceperat hujus mortem graſſata per omnem Liguriam peſtilentia, quæ

(183) Sup. pag. 246. (184) *Antichità Italiche* cit. Lib. 2. §. 14. pag. 204. & ſeq. (185) Sup. pag. 43. (186) Sup. pag. 353. Infra Lib. III. Cap. I. Sect. VI. (187) De hac *Cautione* infra ſermo erit Libro III. Cap. I. Sect. VI. ubi de electione Laurentii Epiſc. Mediol. (188) Pag. 359. & ſeqq.

nudaverat incolis Provinciam, ut ipſemet ſcribit Libri II. Capite IV. Addit præterea ibidem hujuſce belli prælúdia, cæleſtia nimirum de more prodigia, *nocturnis vel diurnis horis perſonuiſſe tubas bellantium, auditum a pluribus quaſi murmur exercitus*; quæ prodigia etiam a S. Gregorio *Dialogorum* Libro III. Capite XXXVIII. referuntur. Hæc omnia a Paulo circa tempus Juſtiniani obitus quum deſcribantur, illud ſequitur, quod Narſete adhuc Italiam regente contigerint. Ipſa cæleſtia, ut tum credebantur, oſtenta quum Italos perculerint, teſte Muratorio in *Annalibus* ad annum DLXVI., impendens bellum præunciabant, quum adhuc auctoritate & Auguſti gratia Narſes floreret. Quod ſi expendamus ipſum belli Langobardici apparatum a Paulo deſcriptum, denunciatum quodammodo bellum ipſum Italiæ fateamur, neceſſe eſt. Gepidarum confecto & profligato feliciter bello, Alboin victoria tumens, & victorum hoſtium Provinciis fœderatorum Avarum poteſtati permiſſis, quid aliud adjicere Regno poterat, niſi Italiam, quam antea Langobardi præguſtaverant, quum ſub Narſete auxiliarii militaſſent? Quare, quum huic Provinciæ e proximo imminerent (dominabantur enim late in Pannonia & Norico (189) ad Alpes Julias, ut credit etiam (190) Muratorius) nullis pellecti Narſetis neque epiſtolis, neque donis, hujus regionis dumtaxat felicitate ad occupandæ ſpem erecti, immenſum conflavere ſuopte ingenio, & prædæ inhiantes, exercitum; ad quem augendum omni ex parte non dicam milites, ſed calones & lixæ, mulierumque ac puerorum ingens multitudo confluxit. Viginti Saxonum millibus a contribulibus Langobardis impetratis (ea enim Saxoniæ pars, quæ Albim & Viadrum interjacet, vetuſta fuit Langobardorum Sedes ante-

(189) Vide Procop. Lib. 3. Cap. 33. ſub fin. (190) Ad ann. 568. p. 473.

Digitized by Google

quam Pannoniam incolendam a Juſtiniano obtinerent, teſte (191) Cluverio in ſua *Germaniæ Antiquæ* deſcriptione, non antem Scandinavia, ut refert (192) Paulus) in Italiam Alboin contendit, & amicis ſuis Hunnis (tantam conceperat victoriæ ſpem) contracta omni Suorum ſupellectile Pannoniam poſſidendam attribuit. Hæc a Paulo (193) ſummatim collecta quantum porro indicant belli apparatum vix unius anni ſpatio comprehendendum! adeoque vivente Narſete Patricio, qui, quum in Italiam advenerit anno DLII. & per annos XVI. Italicas res adminiſtrarit (teſte Agnello Ravennate (194) in ſuo *Pontificali*) nondum fortaſſe Byzantium revocatus ab Juſtino fuerat, quum Alboin ſe jam ad bellum accinxiſſet. Revera hujus Regis fama pervagata jam erat in Occidentem; quum ſex circiter ante annos Nicetius Trevirenſis Epiſcopus ad ejus tum uxorem Cloſuindam ſeu Clodoſuindam, Chlotarii I., Chlodovei filii, Francorum Regis filiam ſcribens, Alboinum hiſce verbis (195) commendet: *Gaudemus ex hoc, gaudere nos Chriſtus faciat de Alboino Rege, quem habes, & de felicitate ſua triumphare. Stupentes ſumus, cum gentes illum tremunt cum venerationem impendunt, cum Poteſtates ſine ceſſatione laudant, cum etiam ipſe Imperator ipſum præponit.*

---

(191) Lib. 3. Cap. 26. tit. *De Langobardis*. (192) Lib. 1. Cap. 2. (193) Lib. 2. Cap. 6. & 7. (194) Part. II. *In Vita S. Agnelli* Cap. III. in R. *I. Scr.* T. 2. p. 114. col. 2. B. (195) Ap. Labbé *Concil.* T. 5. col. 834. & ap. Bouquet T. 4. cit. p. 76. D. Ibi in marg. *Circa an.* 563.

582.920

Digitized by Google